# DE COOPERATIONE DEI

Quum opus, cui titulus est : *S. Thomæ Aquinatis O. P. doctrina de cooperatione Dei cum omni natura creata, præsertim libera, auctore P. Victore Frins S. J.*, aliqui ejusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint, et edi posse judicaverint, facultatem concedimus, ut vulgetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo muneris nostri munitas dedimus.

Exaeten, die 7 Martii 1892

JACOBUS RATHGEB

*Præp. Provinciæ Germaniæ S. J.*

---

*Imprimatur :*

Parisiis, die 18 Octobris 1892

† FRANCISCUS CARDINALIS RICHARD

*Archiepiscopus Parisiensis.*

SANCTI THOMAE AQUINATIS O. P.

DOCTRINA

# DE COOPERATIONE DEI CUM OMNI NATURA CREATA PRAESERTIM LIBERA,

SEU

S. THOMAS PRAEDETERMINATIONIS PHYSICAE AD OMNEM ACTIONEM CREATAM ADVERSARIUS.

« *Responsio ad* R. P. F. A. M. DUMMERMUTH, O. P., *Praedeterminationis physicae defensorem* ».

Scripsit Victor **FRINS**, Societatis Jesu sacerdos.

*Cum approbatione Superiorum.*

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

NOV 25-1931

1409

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/sanctithomaeaqui00frin

# PROOEMIUM

Tanta est librorum in omni fere litterarum genere non copia tantum sed abundantia, ut vix non omnis scriptor excusandum esse jam exsistimet, quod novum librum edat. Hic tamen, quem modo edimus, quamquam etiam in ea quaestione, quam tractaturi sumus, non magnus tantum sed plane ingens est numerus, nihilominus ejusmodi excusatione non videtur indigere.

Quicumque enim theologiae studiis et quaestionibus inter catholicos agitatis vacant, exspectant omnes, ut responsum detur ad ea, quae R. P. Dummermuth O. P. opposuit contra opus R. P. Schneemann, quod inscribitur: « Controversiarum de Divinae Gratiae Libertatisque Concordia Initia et Progressus », Friburgi Brisgoviae vulgatum 1881. Illius autem libri haec est inscriptio: « S. Thomas et doctrina Praemotionis Physicae seu Responsio ad R. P. Schneemann S. J. » etc; Editus est Parisiis 1886, mortuo iam P. Schneemann die 20 mens. Novembris 1885. Non potuit igitur ipse se vir egregius contra novum adversarium defendere (1). Inde primum exortae morae, quae deinde negotio ad me delato, magnopere auctae sunt labore multiplici, in quem me incumbere variis temporibus et locis oportuit. At modo id praestare conabimur. Quamquam enim non omnia prorsus Patris Schneemann argumenta sine ulla exceptione invicta esse arbitramur, hoc tamen videtur nobis constare, Patrem Schneemann causam quam tuendam susceperat, non poenitenda defendisse felicitate. Qui si aliud praestitisset nihil, nisi ut prolatis denuo certissimis verissimisque monumentis, autographis, inquam, notis Pauli V et aliorum, qui causae interfuerant(2), tandem, e medio tolleret illam narratiunculam, quae ab adversariis passim venditata erat, Bullam condemnatoriam a Paulo V contra Molinistas paratam quidem fuisse, sed publici juris factam non esse ob quasdam prudentiae rationes: non mediocriter de causa Molinistarum meritus esset atque controversiam cognitionemque veritatis ab insigni obstaculo liberasset.

Ipsa porro inscriptione libri Patris Dummermuth perspicue indicatur, ex permultis argumentis, quae P. Schneemann pro Molinistarum causa attulerat, R. Patrem unum impugnare. Auctoritatem saltem Angelici Doctoris Mo-

(1) Ajimus « contra novum adversarium ». Nam etiam P. Schneemann librum suum tantum provocatus et quasi ab adversariis coactus conscripsit vulgavitque. Cfr Schneemann « Controv. » etc. p. IV. et V; p. 1 sqq.

(2) Schneemann, p. 280 sqq.

linistis eripere atque hunc ostendere conatur S. Doctorem et omnium Theologorum Scholasticorum sine dubio Principem praemotionem et praedeterminationem physicam recentiorum Thomistarum *manifesto et constanter* docuisse.

At, si de summa rerum quaerimus, videntur adhuc firma stare, non cetera tantum R. Patris Schneemann argumenta, sed illa ipsa etiam testimonia varia, ex operibus S. Thomae veterumque Thomistarum excitata, quibus demonstraret, tantum abesse, ut S. Thomas ejusque antiquiores discipuli inter defensores praemotionis et praedeterminationis physicae recentiorum Thomistarum numerari possint, ut doctrina illius veterumque ejus discipulorum paululum diligentius inspecta atque accuratius investigata, et ipse et veteres omnes Thomistae similibus atque postea Molina principiis in quaestione de libertate et gratia imbuti fuisse inveniantur. Et profecto quaecumque Molina aliique Societatis Jesu scriptores disputaverunt et statuerunt, ut divinae gratiae infallibilem efficaciam cum libertate humani arbitrii componerent, ea omnia delineata saltem apud S. Doctorem reperias. Id, dum rem exponere pergo, fiet, opinor, manifestum. Quare propriam Societatis Jesu theologis laudem tribui nolim nisi hanc: quod ea, quae apud S. Thomam delineata quidem, disjecta tamen et minus absoluta exstabant, ea diligentius excoluerint, uberius et luculentius evolverint, in unum corpus doctrinae redegerint, atque ita doctrinam catholicam de gratia et libertate ab impugnationibus Calvinistarum aliorumque haereticorum saeculi XVI[i], qui potissimum liberum hominis arbitrium novis de efficacia divinae voluntatis et gratiae prolatis sententiis impugnabant, validius vindicaverint.

Priusquam autem ad causam ipsam aggrediamur, duo nobis, ut liberam ab externis impedimentis viam habeamus, praestanda sunt. Demonstrandum 1° est, nequaquam verum esse id, quod R. P. Dummermuth multis efficere conatur, causam Molinistarum pluribus Romanorum Pontificum Constitutionibus praejudicatam jacere. Id huius libri parte sive sectione prima demonstrabimus. Definiendum nobis 2° est clare et dilucide quae sit ipsa res controversa, qui status quaestionis, quod punctum eminens in causa, ut manifesto de nostra constet doctrina atque intelligatur, quibus in rebus cum Thomistis consentiamus, quibus ab iis discrepemus, quibus eorum doctrinam et ob quas causas impugnemus. Haec in altera sectione exponentur. Quibus rebus expeditis ad ipsam, quae proprie tractanda est, quaestionem de doctrina S. Thomae circa motionem Dei in omni operatione creati agentis, praesertim liberi, gressum faciemus.

Haec autem quaestio proprie non una et simplex est, sed duplex. Nihil enim repugnat per se, S. Thomam docuisse necessitatem *cujusdam* praemotionis physicae ad singulos actus creatorum agentium, et nihilominus negasse praedeterminationem physicam Thomistarum, seu eam praedeterminationem physicam, quae omnino proprie dicitur. Praedeterminatio enim Thomistica species est, praemotio vero (etiam physica) genus; quare illa plura quam praemotio complectitur. Unde censemus non repugnare quidem generatim quominus cum praemotione quadam vere physica voluntatis etiam ad actum

particularem conciliemus libertatem arbitrii nostri, cum praedeterminatione vero physica Thomistarum eam componi posse, infitiamur (1).

Quinimo tuemur ipsi, ad multos et eos quidem excellentissimos et praeclarissimos omnes nostri liberi arbitrii actus, ad actus, inquam, salutares, praemotionem quandam Dei physicam vere et proprie talem, gratiam excitantem voluntatis, praerequiri; a praedeterminatione vero physica voluntatis recentiorum Thomistarum in omnibus nostris liberis actibus, etiam supernaturalibus jam propterea abhorremus, quoniam nobis persuasum est, eam omnis liberi actus peremptricem esse. Haec autem, uti patet, mere opinantes dicimus, nullam, ne minimam quidem, censuram sententiae adversariorum infligere volentes.

Quae cum ita sint, quaestionem de *praedeterminatione* physica ejusque ad singulos actus necessitate majoris prae ceteris momenti esse arbitramur (2). Quare etiam de hac quaestione una ex instituto agemus nec de ea universim et ex omni parte spectata, sed ita potissimum, quatenus sibi praesidium et firmamentum quaerit in auctoritate D. Thomae. Investigabimus itaque imprimis, num S. Thomas reapse docuerit, praedeterminationem physicam, qualem recentiores intelligunt Thomistae, ad singulos actus creaturae, ac nominatim ad omnes ejus actus liberos necessariam esse, ita ut nullus prorsus actus, ne liber quidem, sine ea elici et locum habere possit. At simul ostendemus explicite, vel necessitatem praemotionis physicae alicujus, quae in actione Dei eunte sita esset, *generatim* a S. Thoma et antiqua ejus schola in singulis actibus non requisitam esse, sed negatam. Unde argumento fortiori constabit, necessitatem praedeterminationis physicae ad omnes, qui revera eliciuntur creaturarum actus, ab Aquinate universe nequaquam potuisse statui aut propugnari. Jam ad primam sectionem transimus.

(1) Quamquam cum hac assertione, Deum ad *omnes* et singulas *in particulari* actiones creaturarum non quidem praedeterminare, attamen vere et proprie physice praemovere, non dicimus nullas vel leves tantum difficultates junctas esse. Imo putamus, cum ea assertione junctas esse difficultates plane maximas. Unam indicamus, quomodo tali praemotione ad actum malum adserta defendi efficaciter potest, Deum non esse auctorem ipsius peccati? Sed de ea re infra.

(2) Opinor itaque, R. P. Dummermuth librum accuratius et clarius inscripturum fuisse, si non, inscripsisset : « S. Thomas et doctrina Praemotionis physicae », sed « S. Thomas et doctrina Praedeterminationis physicae », de hac enim, non de illa potissimum controversia est.

BQ
6913
F4

# D. THOMAE AQUINATIS O. P.

## DOCTRINA

# DE COOPERATIONE DEI

## CUM OMNI NATURA CREATA, PRAESERTIM LIBERA.

---

## SECTIO PRIMA

### DE LAUDIBUS A SUMMIS PONTIFICIBUS CLEMENTE XI, BENEDICTO XIII, CLEMENTE XII, SCHOLAE THOMISTICAE TRIBUTIS.

---

Auspicatur R. P. Dummermuth opus suum a laudibus, quas Clemens XI, Benedictus XIII, Clemens XII Romani Pontifices Scholae Thomisticae impertierunt. Quibus laudibus R. Pater eam vim tribuit, ut doctrinae de praedeterminatione physica et de gratuita praedestinatione ad gloriam ante praevisa merita, quas profitentur recentiores Thomistae, eodem loco quo « inconcussa et tutissima dogmata » SS. Augustini et Thomae ab Apostolica Sede sint habitae ac propositae. Quod quidem si verum est, certe temeritas fuit, quod P. Schneemann demonstrare aggressus est, opinionem de praedeterminatione physica neque doctrinae S. Augustini neque placitis S. Thomae consentire. Sed audiamus, quomodo R. P. id, quod vult, efficere conetur.

« Anno 1713 die 8 Septembris », inquit, «Clemens XI promulgavit Constitutionem, quae incipit « Unigenitus Dei Filius » in qua damnantur centum et una propositiones Quesnelli. Inter illas quaedam habentur ad gratiam pertinentes, quas damnavit Pontifex in sensu Jansenii, qui gratiam necessitantem propugnavit. Vix edita Constitutione illa, *Jansenistae et Quesnellistae ubique jactitabant*, se illam de gratia efficaci doctrinam defendere, quam propugnat Schola Thomistica, et hanc ipsam doctrinam a Clemente, una cum propositionibus Quesnelli fuisse proscriptam. *Ad calumniam illam compescendam* Clemens XI die 1ª Septembris 1718 novam edidit Constitutionem, quae incipit « Pastoralis Officii », in qua inter alia sic habetur: « Ceterum in hoc ipso praepostero judicio consue-

tum calumniandi morem non derelinquunt; nisi enim eos excaecaret malitia eorum ac nisi diligerent magis tenebras quam lucem, ignorare non deberent sententias illas ac doctrinas, quas ipsi cum erroribus per Nos damnatis confundunt, palam et libere in Catholicis Scholis, etiam post editam a Nobis memoratam Constitutionem, sub oculis Nostris doceri, atque defendi, illasque propterea minime per eam fuisse proscriptas. Verum supercecidit ignis contentionis et aemulationis, et non viderunt solem lucidissimae veritatis ».

« Verum non cessavit iniquitas », inquit R. Pater pag. 2, « ut constat ex litteris adversus calumnias Doctrinae SS. Augustini et Thomae intentatas, datis a Benedicto XIII die 6 Novembris 1724 universis Fratribus Ordinis Prædicatorum Professoribus. Sic eos alloquitur Pontifex: (1) «Magno animo contemnite, dilecti filii, calumnias intentatas sententiis vestris *de Gratia praesertim per se et ab intrinseco efficaci ac de gratuita Praedestinatione ad gloriam sine ulla praevisione meritorum, quas laudabiliter hactenus docuistis*, et quas ab ipsis SS. Doctoribus Augustino et Thoma se hausisse, et verbo Dei, Summorumque Pontificum, et Conciliorum decretis, et Patrum dictis consonas esse *Schola vestra commendabili studio gloriatur*. Cum ergo bonis et rectis corde satis constet, ipsique calumniatores, nisi dolum loqui velint, satis perspiciant, *SS. Doctorum Augustini et Thomae inconcussa tutissimaque Dogmata, nullis prorsus antedictae Constitutionis censuris esse perstricta*, ne quis in posterum eo nomine calumnias struere, et dissensiones serere audeat, sub canonicis poenis stricte inhibemus ».

« Nec his litteris », ita pergit R. Pater, « obstructum est os loquentium iniqua. Praeposteris et falsis interpretationibus Apostolicas litteras eludere conabantur veritatis osores. Horum audaciam reprimit idem Pontifex, Constitutione data 26 Maji 1727, quae incipit « Pretiosus ». Doctrinam S. Thomae et Verae Scholae ejus maximis laudibus exornat, et injurias eidem illatas vindicat: « Quum autem, inquit, silere minime deceat *de Doctrina Angelici Doctoris S. Thomae Aquinatis, cui ipsemet Ordo Prædicatorum salubriter insistit;* ignoramus plane, quibus illam laudibus pro magnis suis in Ecclesiam meritis extollamus ». Deinde, constanti Summorum Pontificum testimonio allato, quo Angelica doctrina commendatur, et Constitutionibus ac Literis plurium suorum Praedecessorum commemoratis, pergit Benedictus XIII: « Per peculiares Nostras Literas incipientes « Demissas preces », datas 6 Novembris 1724, *calumnias, ejusdem Angelici Doctoris et S. Augustini doctrinae temere irrogatas, retudimus*, et prout rei gravitas exposcebat, auctoritatis Nostrae praesidio eliminavimus. Luculentius vero aestimationis argumentum *in ipsam S. Thomae doctrinam* nunc edituri, quo magis magisque *Prædicatorum Ordo ceterique Orthodoxi ac veri ipsius sectatores* ad illius since-

1 Datum hoc Breve est ad instantiam R. P. Augustini Pipiæ, Magistri Generalis Ordinis PP., qui conquestus fuerat apud Pontificem de calumniis (1) SS. Augustino et Thomae adeoque etiam (2) Thomisticae Scholae occasione Bullae « Unigenitus » illatis. Cfr ipsum Breve.

ram et tutam professionem inflammentur, praedictas omnes et singulas Decessorum Nostrorum Constitutiones, Literas, seu, ut vocant, Brevia, necnon omnia et singula in eis contenta, suprema, qua fungimur, auctoritate, motu, scientia et deliberatione praemissis, comprobamus, et rursus, quatenus opus fuerit cum ipsismet editis nuper a Nobis literis innovamus. Ut autem turbulenti ac pertinaces tranquillitatis Ecclesiae Catholicae perturbatores *desinant Orthodoxam S. Thomae doctrinam calumniari*, ac ne deinceps praeposteris et a veritate alienis interpretationibus Apostolicas ipsas literas Nostras, non sine aperta, ut accepimus, verbis Nostris ac etiam Decessorum Nostrorum irrogata violentia, tam *Prædicatorum Ordinem, quam alios veros illius Asseclas et Sectatores incessere audeant*, Constitutioni quae incipit « Pastoralis officii » felicis recordationis Clementis XI, omnibusque in ea contentis firmiter inhaerentes, sub divini interminatione judicii, iterumque sub canonicis poenis, omnibus et singulis Christi fidelibus mandamus, ne *Doctrinam memorati S. Doctoris, ejusque insignem in Ecclesia Scholam, praesertim ubi in eadem Schola de divina Gratia de se et ab intrinseco efficaci, ac de gratuita Praedestinatione ad gloriam sine ulla meritorum praevisione agatur*, ullatenus dicto vel scripto contumeliose impetant, *ac veluti consentientem cum damnatis ab Apostolica Sede*, et signanter a Constitutione dicti felicis recordationis Clementis XI incipiente « Unigenitus » Jansenii, Quesnelli et aliorum erroribus *traducant*, a quibus *S. Thomas et vera Schola Thomistica* quam longissime abest et abfuit, universis tam antiquis quam nunc Christi Ecclesiam vexantibus haeresibus et perniciosis assertis adversans. Damnamus item Folia, Theses et Libros antehac Typis impressos, vel etiam quod Deus avertat, imprimendos, in quibus *ad procreandam seu fovendam Doctrinae S. Thomae, Prædicatorum Ordini, aliisque Genuinae Thomisticae Doctrinae Asseclis invidiam*, designatae atque damnatae a Nobis calumniae assertive renovantur, vel in aliam a germana praedictarum nostrarum Literarum Sententia sive Decessorum nostrorum mente honorifica atque faventia Doctrinae Thomisticae verba fallacissime detorquentur ».

« Cum autem essent — ita narrationem R. P. Dummermuth prosequitur — qui elogia Scholae Thomisticae a Summis Pontificibus concessa, aequo animo non ferrent, Clemens XII, confirmatis Clementis XI et Benedicti XIII Constitutionibus, Breve edidit die 2 Octobris 1733, in quo doctrinam Sanctorum Augustini et Thomae de divinae gratiae efficacia non fuisse perstrictam declarat; laudes Thomisticae Scholae delatas iterato judicio comprobat et confirmat; et paci consulit ceterarum Scholarum catholicarum, aliter de efficacia gratiae sentientium: « Apostolicae providentiae officio a Praedecessoribus Nostris felicis recordationis Clemente XI et Benedicto XIII sapienter impenso, ad dissipandas Novatorum calumnias et artes, per quas inducta proscriptis erroribus Catholicorum dogmatum larva, et Sanctorum Doctorum illustria nomina obtendentes, simplicium animos a debita Constitutioni, quæ incipit: « Unigenitus » obedient

deterrere moliebantur, Nos paterna quoque sollicitudine inhærentes magnopere dolemus, tenebras a dissensionis filiis offusas(1)nondum quorumdam animis satis esse discussas, sed plerosque etiam nunc intolerabili pertinacia contendere, censuris laudatæ Constitutionis, *doctrinam Sanctorum Augustini et Thomae de gratiae efficacia esse perstrictam*. Ut igitur nullas caritatis partes ad revocandos errantes Nobis reliquas faciamus, universis et singulis Christi fidelibus, quacunque dignitate, etiam Episcopali, et majori fulgentibus in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus, et sub canonicis poenis mandamus, ne disputantes aut docentes, sive in Scholis sive in Concionibus, sive Scriptis editis; sive aliter, propositiones defendant, aut enuncient, quae antedictas novatorum calumnias firmare ac promovere possint. Mentem tamen eorundem Praedecessorum Nostrorum compertam habentes, nolumus, *aut per Nostras aut per ipsorum laudes Thomisticae Scholae delatas, quas iterato Nostro judicio comprobamus et confirmamus*, quidquam esse detractum *ceteris Catholicis Scholis diversa ab eadem in explicanda divinae gratiae efficacia sentientibus* (2), quarum etiam erga hanc sanctam Sedem praeclara sunt merita, quominus sententias ea de re tueri pergant, quas hactenus palam et libere ubique, etiam in hujus Almæ Urbis luce, docuerunt et propugnarunt ».

Hi textus sunt, quos R. P. Dummermuth ex Pontificiis decretis affe rendos esse censuit, ut suam thesim probaret. Priusquam autem conclusiones, quas ipse inde intulit, audiamus, oportet paucis examinare, *quae tandem illa sint, quae his Constitutionibus revera continentur*. Atque *in prima quidem constitutione* Clementis XI, quae incipit « Pastoralis officii », nihil omnino continetur, quod proprie ad propositum R. Patris obtinendum confert. Edicitur enim unum hoc, quod apud omnes catholicos jam in confesso est (3), Bulla « Unigenitus » non posse censeri condemnatam doctrinam Thomistarum vel ob unam hanc rationem, quoniam

(1) Scl. ab haereticis istis calumniatoribus.

(2) Infra (p. 9) R. P. Dummermuth hæc verba immutat nonnihil; eaque via id consequitur, ut videantur Romani Pontifices unos recentiores Thomistas pro veris S. Thomae discipulis agnovisse. Ita enim scribit: « Schola... quae, ut ait Clemens XII, diversa ab insigni et *vera Schola Thomistica* in explicanda divinae gratiae efficacia sentit » etc. Quis non credet, haec reapse protulisse verba Clementem XII ? neque tamen ita est. Subjicit quidem R. Pater notam, in qua animadvertit, recte se ita dixisse; potius dicendum erat, a se recte fuisse hæc addita atque immutata. « Laudes enim », arguit, «Thomisticæ Scholæ delatas a suis Prædecessoribus iterato suo judicio comprobat et confirmat Clemens XII. Illam distinguit ab illa, quæ Thomistica non est ». Num hæc sufficiant ad eam exclusivam locutionem R$^{i}$ P$^{is}$ Dummermuth in contextu excusandam, judicet lector. Certe is, qui ab ipso hic adhibetur modus utendi Pontificiis scriptis, commendari a diligentia minime poterit. At nonne Benedictus XIII ornavit reapse Scholam Thomisticam epithetis additis « insignis et verae » Scholae Thomisticae ? Ita plane. Sed duo hic animadvertenda: imprimis manet vitium minus accuratae relationis verborum Clementis Papae; deinde vero a Benedicto XIII appellantur Thomistae vera Schola Thomistica *in oppositione ad fucatos istos discipulos S. Thomæ*, qui S. Doctoris nomen quidem semper jactitabant, spiritu ejus catholico prorsus carebant, hic autem jam absolute ita appellarentur in ordine ad eos etiam, catholicos Theologos, qui non minus quam ipsi RR. PP. Dominicani catholica dogmata sectantur, Angelici Doctoris sententias veneratione et studio non communi prosequuntur.

(3)Conferantur v.g. ex Societate JesuTheologi ea ipsa aetate florentes: Stephanus Dechamps l. 2 de Haeresi Janseniana disp.3 c.3 et disp. 6 c. 9; Ripalda l. 2 adv.Mich.Baji errores l. 2, disp. 14, Sect.5; l.1, disp. 7, Sect. 2, n. 12; l. 2. disp. 24, Sect. 2; Annatus etc. Cfr etiamWirceburg. de Peccatis et Grat. n. 216.

ipsi suam doctrinam etiamnunc sub oculis ipsius Pontificis impune Romae tradant. Evidens est, hac re effici nullatenus posse Thomistarum doctrinam de praedeterminatione vel etiam praemotione physica etc. eandem esse atque eam, quam Summus Pontifex Benedictus XIII postea vocavit SS. Augustini et Thomae inconcussa et tutissima dogmata (1); sed

(1) Quae his verbis a Benedicto XIII usurpatis SS. Augustini et Thomae de gratia doctrinae tribuitur laus inconcussorum et tutissimorum dogmatum, nequaquam tam ample extendenda est, ut propterea *quaecunque* illi Doctores unquam in quaestionibus de gratia scripserint, senserint, dixerint, dogmatis vim et auctoritatem habeant. Aliud enim sunt inconcussa et tutissima dogmata, aliud quaestiones magis reconditae et fere ad explicationem dogmatis pertinentes. De his quaestionibus in indiculo capitulorum, qui nomine Coelestini I circumfertur, et qui auctoritate ecclesiae confirmatus et receptus est, haec exstant: « *Profundiores* vero *difficilioresque partes incurrentium quaestionum*, quas latius pertractarunt, qui haereticis (Pelagianis et Semipelagianis) restiterunt (scl imprimis S. Augustinus), sicut non audemus contemnere, ita *non necesse habemus adstruere*, quia ad confitendam gratiam Dei, *cujus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est*, satis sufficere credimus, quidquid secundum praedictas regulas Apostolicae Sedis nos scripta docuerunt, ut prorsus non opinemur catholicum, quod praefixis sententiis apparuerit contrarium ».

Innocentius autem XII Pontifex, qui multis post hunc indiculum compositum saeculis praefuit Eclesiae Dei, inter has profundiores et difficiliores partes incurrentium quaestionum, de quibus diversa licet opinari, referebat illas ipsas de gratiae efficacia et praedestinatione quaestiones, quae tum jam ab integro saeculo inter Dominicanos et PP. Societatis Jesu controversae erant. Audi quae hic Pontifex die 6. Februarii 1694 ad Academiam Lovaniensem in rem nostram percripsit.

« Dilecti filii salutem. Tradidit Nobis mensibus elapsis dilectus filius Joannes Libertus Hennebel Epistolam vestram die 7 Maji anni praeteriti; in qua humiliter postulatis, ut hujus S. Sedis auctoritate licitum vobis esset et liberum continuare in doctrina Majorum vestrorum, quae continetur in libro Censurarum Lovaniensis et Duacenae Universitatum, una cum Apologia Universitatis Lovaniensis et ab eadem declarari, *doctrinam de gratia per se efficaci et de praedestinatione ante praevisa merita*, nullis hactenus Apostolicis decretis damnatam et enervatam esse, eamque proinde posse teneri, quousque S. Sedes ipsa aliter statuerit. Qua in re vestram erga S. Petri Cathedram observantiam et reverentiam summopere collaudamus.

« Verum quia ut S. Coelestinus ad Episcopos Galliae rescripsit: « Profundiores difficilioresque partes incurrentium quaestionum, quas latius pertractarunt, qui haereticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere »; nec arbitramur opportunum, ut in praesens habeatur exactior illa de Divinis Auxiliis tractatio, quae a Praedecessoribus nostris Clemente VIII et Paulo V instituta fuit: « quia ad confitendam Dei gratiam, cujus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quidquid Apostolicae Sedis scripta docuerunt ». Haec Pontifex Innocentius XII.

Res manifesta est. Secundum Innocentium ad profundiores et difficiliores partes incurrentium de gratia quaestionum, de quibus diversa opinari licet, pertinent duae illae quaestiones, quae inter Thomistas et Molinistas controversae erant: una de efficacia gratiae, unde proveniat, num mere ab intrinseco ab ejus vi physice praedeterminante, an etiam suo modo ab extrinseco, et altera de praedestinatione ad gloriam ante praevisa merita. Dixi « num efficacia gratiae mere ab intrinseco aut etiam suo modo i. e. inadaequate ab extrinseco proveniat ». Nam neque Molinistae contendebant, gratiae stricto sensu efficaci adaequate provenire efficaciam suam ab extrinseco, sed asserebant, quamvis efficacia gratiae efficaci inadaequate ab intrinseco proveniat, quatenus dicit moralem influxum in voluntatem et vere physicam efficientiam consensus salutaris, ipsam tamen compleri et in ratione gratiae efficacis absolvi ab extrinseco, scl. ab aeterna praevisione, qua Deus cognoscit, quid omnis creatura, si in certis ad agendum omnino sufficientibus conditionibus ponatur, sit reapse actura, quomodo se sit ipsa determinatura. De qua re infra plura dicemus. Eas autem ipsas quaestiones, quas Innocentius XII inter liberas quaestiones referebat nullo novo instituto examine a Benedicto XIII inter inconcussa et tutissima SS. Augustini et Thomae dogmata collocatas esse, quis prudens unquam sibi persuadebit? maxime cum hae quaestiones etiam hodie idque ex positiva Ecclesiae concessione et declaratione, post Benedictum XIII facta, liberae disputationis et opinionis sunt. Vide Breve Clementis XII supra laudatum. Unum tamen Pontifices Innocentio XII posteriores Dominicanis indulserunt. Concesserunt iis id quod Innocentius XII ratus est non esse concedendum Lovaniensibus, atque declararunt doctrinas Thomistarum de gratia ab intrinseco efficaci et de praedestinatione ad gloriam ante praevisa merita non esse ab Ecclesia damnatas. Cfr. de his omnibus Liv. de Meyer, Hist. Controv. de div. Gratiae Auxil. l. 1, cp. 24 et Historiae vindicatae l. 1, c. 20 sq.

tantum nulla censura eam esse proscriptam. Imo vero praejudicium prorsus peremptorium contra thesim R. Patris inde enascitur. Etenim hoc ipsum, quod Thomistarum doctrina etiam post promulgatam Bullam « Unigenitus » Romae in conspectu Summi Pontificis et alibi impune docebatur, si evidens argumentum praebebat, eam illa Bulla non fuisse damnatam, sane constat, doctrinam Thomistarum probe distinctam esse nec unquam cum inconcussis et tutissimis SS. Doctorum Augustini et Thomae dogmatis aequatam. Quid ita? quoniam hujusmodi declaratio aequivalens fuisset doctrinae Molinistarum reprobatio et condemnatio; siquidem ea doctrina, quae Thomistarum de efficacia gratiae evidenter opposita est, esset jam eo ipso illis etiam dogmatis inconcussis et tutissimis manifesto contraria. Quod si esset, quomodo ipsa impune et Romae et alibi adhuc traderetur? Hoc unum sequitur, ut nec Thomistarum nec Molinistarum doctrina a quoquam damnanda sit, quia a SS. Pontificibus tolerantur. Constat igitur hoc primo a R. Patre laudato testimonio, errare ipsum, si reapse opinatur, Thomistarum de efficacia gratiae i. e. de ejus vi physice praedeterminante doctrinam pluribus Romanorum Pontificum Constitutionibus eodem loco habitam esse quo inconcussa tutissimaque SS. Augustini et Thomae dogmata.

*In altera vero Constitutione*, quam Benedictus XIII ex duabus priorem edidit, et quae incipit verbis « Demissas preces », continetur 1° *SS. Augustini et Thomae inconcussa et tutissima dogmata* nihil perstricta esse Bulla « Unigenitus », quod ab aliquibus asseri R. P. Augustinus Pipia, Generalis Ordinis Praedicatorum Magister, apud Summum Pontificem conquestus erat; 2° *a Thomistis laudabiliter hactenus, doceri suas sententias* praesertim de Gratia per se et ab intrinseco efficaci ac de gratuita Praedestinatione ad gloriam sine ulla praevisione meritorum; eosdemque *commendabili studio gloriari*, ab ipsis SS. Doctoribus Augustino et Thoma se hausisse doctrinas suas et eas consonas esse verbo Dei, decretis Summorum Pontificum et Conciliorum Patrumque dictis. Hoc alterum momentum continet plura, quae singula expendenda sunt, 1° accurata enarratione verborum, 2° adhibito lumine historiae. In posteriore igitur parte sententiae affirmantur a Pontifice duo, unum est, gloriari Thomistas, se hausisse doctrinas suas a SS. Augustino et Thoma, atque a ceteris verae Theologiae fontibus, num merito ita glorientur, non dicitur. Dicitur vero alterum, hanc gloriationem fieri *studio*

Cfr. etiam Palmieri « de divina Gratia actuali » p. 161 sqq; Scheeben Dogmatik III, 2, n. 234; item *Verba Pauli* V apud Schneemann, ll. p. 296, quibus quaestionem de efficacia gratiae, qualis sit, inter istas difficiliores de gratia quaestiones numerat, quas ut secundum Coelestinum I non oportet contemnere, ita non oportet adstruere.

Ceterum nequaquam hisce concedimus, SS. DD. Augustini et Thomae de efficacia gratiae doctrinam revera nobis adversari, sed intime persuasum habentes, hos Doctores eadem quoad substantiam sensisse in hac quaestione, quae Molinistae postea tradiderunt, illud efficere voluimus, ut, etsi doctrina Molinistarum in hac quaestione a doctrina illorum Doctorum nonnihil discreparet, non ideo continuo ut falsa, erronea, doctrinae et sensui Ecclesiae adversans traducenda esset. Revera autem doctrinam Patrum Societatis Jesu, quod ad substantiam rei attinet, eandem esse atque illorum Doctorum doctrinam proximis disputationibus manifestum fiet.

*commendabili*, hoc est, studio, quod commendationem mereatur. Numquid igitur illud unum studium commendatione dignum est, quod versatur circa exploratam omnino veritatem et circa dogmata tutissima et inconcussa? Hoc sane studium maxime omnium commendari oportet. Annon etiam studium defendendi sententias, quae cum certo falsae non sint, ideo defenduntur, quia putantur summis Ecclesiae Doctoribus ipsique traditioni divinae consentaneae esse, meretur commendationem? Hujusmodi enim studium est sustentandae veritatis aut ejus, quod putatur esse veritas formaliter aut virtualiter revelata, atque optima sequitur principia. Quidni hujusmodi studium etiam commendemus, maxime, quando conjuncta sit obedientia et pia sub Ecclesiae auctoritatem subiectio? Quod cum apud veros Thomistas ita se habeat, nihil concludi potest ex his laudibus ipsis tributis nisi *animum, quo utantur* Thomistae in suis sententiis defendendis, *commendabilem et bonum esse ;* non potest concludi, ipsas eorum sententias veras aut aequandas esse cum SS. Augustini et Thomae tutissimis dogmatis.

Transeamus ad priorem partem ejusdem sententiae Pontificiae considerandam. In ea statuitur, *Thomistas laudabiliter hactenus docuisse suas sententias*, quod idem valet atque si dictum sit, Thomistas docentes suas sententias hactenus laudem mereri vel meritos esse. Jam vero 1° notetur gravis restrictio, quae continetur in voce «hactenus» ; an haec sine ulla prorsus cautione addita est ? deinde 2° attendatur, laudem nos mereri docentes etiam tum, quando docentes non certo falsa, praeclarissimas et certissimas sequimur in docendo auctoritates, atque ea proferimus, quae putamus nos iis auctoritatibus consentanea apud ipsas invenisse. Hic sane si qua laus tribuitur, potius laudatur subjectivum studium et animus docentium quam veritas objectiva ipsius doctrinae. Atque talis reapse laus hic tribuitur a Pontifice Thomistis. Nam laus, quae hic inchoatur, absolvitur insequenti inciso, quo Thomistarum studium commendabile esse effertur; quod quidem ipsum non objectivum laudis momentum continet, ut vidimus, sed subjectivum atque in animis docentium constitutum. Cur autem si priora objectiva fuissent et laudem continuissent ipsius veritatis doctrinae, oratio ad mere subjectiva deflexisset? Constat igitur ex mera analysi verborum neque in hoc Brevi Benedicti XIII quidquam inveniri, quo veritas sententiarum a Schola Thomistica traditarum stabilitur, et multo minus eo statui, Thomistarum sententias de gratia physice praedeterminante etc. aequiparandas esse inconcussis et tutissimis SS. Augustini et Thomae dogmatis; quod si statutum unquam esset, non posset permitti ut Romae et alibi his oppositae doctrinae adhuc tradantur.

Quinimo si hoc documentum Pontificium lumine historico illustratum erit, magis etiam apparebit, laudem *veritatis* doctrinae suae, quam PP. Dominicani a Summo Pontifice explicite et enixe petierant, eos consecutos non esse, sed studium ipsorum et animum esse laudatum. Quid enim Dosini supplici libello a Pontifice postulaverant? Planissimis ac gravissimis verbis suam ipsi doctrinam de gratia per se efficaci et de praedestinatione

gratuita ad gloriam dixerant eam doctrinam, « quam Sanctitatis Vestrae praedecessores Innocentius I, Zosimus, Bonifacius, Coelestinus, Sixtus, Leo, Felix, Gelasius, Hormisdas, et ceteri quam antiqui tam recentiores SS. Pontifices genuinis doctrinae SS. Patrum praesertim Augustini et Thomae principiis apprime consentaneam esse saepissime indicarunt », ideoque Romanum Pontificem obtestabantur, ut declarare vellet, « doctrinam de gratia per se efficaci et de praedestinatione gratuita ad gloriam absque ulla per scientiam mediam praevisione ad merita hominum esse doctrinam antiquam, Scripturae sacrae, Decretis SS. Pontificum et principiis doctrinae SS. Patrum Augustini et Thomae magis consonam » ; imo rem fore significant toti Praedicatorum ordini [cujus sodalis Benedictus XIII olim exstiterat] longe gratissimam, omnibus veritatis cultoribus jucundissimam, « si Sanctitas sua in rem Ecclesiae et ad promptius novas emergentes opiniones radicitus evellendas opportunius fore judicaret publicari Bullam, quam SS. P. Paulus V... aliquando a se promulgandam iri spem fecerat » (1). — Itaque hoc oratores a Summo Pontifice petunt, ut antiquitatem et veritatem suae doctrinae commendet. Rogant enim eum, ut declaret, suam doctrinam *esse antiquam, esse eam magis consonam* genuinis fontibus religionis revelatae, Scripturae sacrae, Decretis SS. Pontificum, quos longa serie antea enumeraverant, *esse* etiam magis consonam principiis sanae Theologiae, prouti a SS. Doctoribus Augustino et Thoma tradantur. Iis porro nondum contenti, rogant insuper, ut Benedictus XIII, olim suus in religione sodalis, velit facere aliquid sibi gratissimum, scilicet promulgare Pauli V Bullam contra Molinam de qua bulla tam multa Dominicani ea aetate enarrabant (2). Concessitne quidquam horum Romanus Pontifex? Ultimum, etsi maxime voluisset, Benedictus XIII concedere minime potuit; non enim erat huiusmodi bulla. Sed reliqua numquid concessit? Rogaverant Dominicani, ut suam doctrinam interposita Apostolica auctoritate declararet Pontifex antiquam *esse*, *esse* magis consonam S. Scripturae, Decretis SS. Pontificum etc; Pontifex vero declarat, id de sua doctrina commendabili studio *gloriari Dominicanos*. Manifesta satis repulsa; cujus fortasse ut dolorem paululum mitigaret, illud praemisit: doctrinas suas Dominicanos laudabiliter hactenus docuisse. Quae ipsa laus ex duplici capite votis Dominicanorum minime respondebat. Etenim est laus in se nimis ambigua, quam ut laus ipsius veritatis et antiquitatis doctrinae censeri possit. Doctrinae enim cujusdam *traditio* ac defensio potest ex variis causis et capitibus laudabilis esse vel laudem mereri, quarum causarum paucas quasdam supra recensuimus. Deinde vero ipsa verba laudis ita circumscripta sunt, ut praeteritum quidem tempus respiciant, futuri autem temporis nullam certam securitatem dent: «quas laudabiliter *hactenus docuistis*».—Fieri ergo potest (si severe interpretari verba velis) ut *postea*

(1) Bullam a Paulo V contra Molinam praeparatam fuisse, commentum est nescio unde ortum. Id egregie et invicte docuit P. Schneemann loco in prooemio laudato.

(2) Cfr. v. g. Billuart « Cursus Theol. » t. 1. diss. VI, art. VI. §. VIII. « De Paulo V et ejus sententia ferenda contra Molinam »

(*aliquando*) non laudabiliter eae doctrinae doceantur. Et haec quidem de hoc altero Pontificio decreto a R. P. Dummermuth in sua causa laudato. Extat libellus supplex Dominicanorum impressus in periodico Parisiensi « Etudes » Mai. 1890 studio et opera R. P. Jos. Brucker S. J. (1).

*Tertius locus* sumptus est ex Bulla ejusdem Pontificis « Pretiosus ». In eo statuuntur quinque: 1° S. Thomae doctrinam et orthodoxam esse et summis laudibus cumulandam. 2° Ordinem Praedicatorum salubriter huic doctrinae insistere; optimae enim in se doctrinae salubriter sane insistitur. 3° Brevia praecedentia, quibus ipsa doctrina S. Thomae ab injuriis Jansenistarum vindicata erat, confirmantur. 4° obiter monet Pontifex, praeter Ordinem Praedicatorum alios etiam inveniri veros et orthodoxos S. Thomae sectatores; in quo asserto inclusa videtur esse haec sententia, *posse etiam eum verum et orthodoxum S. Thomae sectatorem esse, qui diversa ab iis opinatur, quae sibi videntur Dominicani apud S. Thomam invenisse.* 5° Prohibetur denuo sub poenis canonicis, ne quis « doctrinam S. Thomae ejusque insignem Scholam, praesertim ubi in eadem Schola de divina Gratia de se et ab intrinseco efficaci et de gratuita Praedestinatione ad gloriam sine ulla meritorum praevisione agatur, ullo modo contumeliose impetat ac velut consentientem cum damnatis a S. Sede erroribus traducat. Ab his enim erroribus S. Thomas et vera Schola Thomistica quam longissime abest et abfuit ». Quid jam in hisce omnibus inest, quo vel leviter indicatur, aut Thomistarum sententias de praedeterminatione physica et de praedestinatione ad gloriam ante praevisa merita in se et objective veras esse aut eas cum inconcussis et tutissimis SS. Augustini et Thomae dogmatis convenire? quinimo cavetur studiose, ne utraque inter se commisceamus. Etenim duo vetantur a Pontifice, ne impetant « doctrinam memorati S. Doctoris i. e. S. Thomae, *et ejus insignem Scholam* ». Non dixit Pontifex, quod obvium erat dicere causamque Thomistarum cum causa S. Thomae unam fecisset, « et ejus insignis scholae », sed de industria mutans sermonem ait: « et ejus insignem Scholam », insuper emphatice addens « praesertim *ubi in eadem Schola* [ num etiam apud S. Thomam, in medio relinquitur ], de Gratia de se ab intrinseco efficaci etc. agatur ». Qua quidem dicendi formula videtur indicari, intercedere sane quendam inter doctrinam Scholae Thomisticae et doctrinam Angelici Doctoris nexum, nequaquam vero, has doctrinas propterea jam esse necessario inter se aequandas. Ergo ne in hac quidem Bulla quidquam est, quod thesim R. Patris demonstret.

*Reliqua est Constitutio Clementis XII.* Ibi declarantur tria: 1° declara-

(1) Minus ergo accuratum est etiam illud, quod suo tempore affirmabatur in periodico Germanico « Der Katholik» Jahrgang 1873, I, pag. 434 in nota: a Benedicto XIII in Brevi allato doctrinam Thomisticam de praedeterminatione etc laudabilem dici. Non est doctrina ipsa dicta laudabilis, sed ejus defensionem laudabiliter hactenus susceptam esse, declaratum. Haec autem duo, ut expositum est, valde inter se diversa sunt, si et Thomistarum petitionem et Pontificis responsionem aequo judicio examinaveris atque comparaveris.

tur iterum, SS. Augustini et Thomae doctrinam de gratiae efficacia fuisse nequaquam Bulla « Unigenitus » perstrictam; 2° confirmantur laudes Thomisticae Scholae olim a Pontificibus tributae; 3° statuitur, in his controversiis licere etiam diversa a Thomistis sentire ac tradere. Haec certe talia non sunt, quibus vel doctrinae Thomisticae veritas vel ejus cum inconcussis tutissimisque SS. Augustini et Thomae dogmatis identitas affirmetur, potius haec indentitas excluditur atque in dubium vocatur. Non enim posset Romanus Pontifex concedere, ut aliae Scholae suas doctrinas a Thomistis diversas traderent, si Thomistarum doctrinae SS. Augustini et Thomae inconcussa et tutissima dogmata essent.

Nunc videamus, quae ex iisdem quatuor documentis R. P. Dummermuth colligat. Ait pag. 5: « Documenta haec attulimus, ut vel ab ipso initio constet, juxta Summos Pontifices, causam Thomistarum, quos injuria quidam Bannesianos vocant *nequaquam distinguendam esse* a causa Sanctorum Doctorum Augustini et Thomae. *In nullo separari possunt* discipuli fideles a suis magistris ; *eandem omnino doctrinam* propugnant. Iisdem injuriis et conviciis a suis calumniatoribus afficiuntur, *eadem gloria iisdemque laudibus a suis Vindicibus exornantur* ».

Patet, omnia haec sine ullo fundamento ex praemissis documentis inferri: nam nunquam, ne aequivalenter quidem, dixerunt Pontifices, « causam Thomistarum nequaquam distinguendam esse a causa SS. Doctorum Augustini et Thomae » etc. imo ipsi eam a causa horum SS. Doctorum non uno modo dixtinxerunt: v. g. nunquam asserta Thomistarum tanquam inconcussa et tutissima dogmata celebrarunt; quinimo, cum a talibus dogmatis recedere nulli liceat, licet omnino recedere ab assertis et opinionibus Thomistarum; praeterea quamvis neutram injuriis et conviciis, quasi a Romanis Pontificibus damnatae sint, liceat impetere nec doctrinam S. Thomae nec Scholam Thomisticam, tamen eas ut duas res diversas inter se posuerunt RR. Pontifices, non ut unam eandemque. Quae ergo hoc loco ex Pontificiis scriptis, infert R. P. Dummermuth, non solum fundamento carent, sed etiam iis manifesto adversantur.

Prosequitur R. P. (1): « Declarant Pontifices « Thomisticae Scholae sententias ac doctrinas minime per Constitutionem « Unigenitus » fuisse proscriptas » ; et « sanctorum Doctorum Augustini et Thomae inconcussa tutissimaque dogmata nullis prorsus antedictae Constitutionis censuris fuisse perstricta ». Quaenam autem sint illae sententiae Thomistarum, ac inconcussa tutissimaque dogmata Sanctorum Doctorum, apertissimum est ». Unum his declarationibus Pontificum manifestum est, nec assertiones Thomistarum nec illa inconcussa dogmata proscripta esse, et hanc negationem utrisque esse communem. Ceterum assertiones Thomistarum, de quibus agitur, cum doctrinis illorum Doctorum, quae sunt tutissima dogmata, positive et omnino convenire inque iis includi, id ex his Pon-

(1) pag. 5.

tificum Consttutionibus nullo modo recte colligitur, quod ita esse, argumentis modo allatis luculenter constat.

Pergit R. P. : « Dicit enim Clemens XII : Censuris laudatae Constitutionis doctrinam Sanctorum Augustini et Thomae de gratiae efficacia non esse perstrictam ». Ita est. Sed quod unum ex hac sententia pro Thomistis sequitur, hoc est: Fontes quidem, ex quibus sententias et doctrinas suas commendabili studio gloriantur se hausisse, quibusque salubriter insistunt, nihil illa censura Pontificia affectos esse; ipsos tamen sententiam et mentem illorum Doctorum in doctrinis, de quibus agitur, assecutos esse et recte reddidisse, deduci inde non potest. At « fideles sunt discipuli ». Proposito et animo, conceditur ; effectu et reapse, id licet dubitare. Errare posse a sententia magistri fidelem etiam ex animo discipulum, hujus rei testis est inter alia varia fortuna, quam doctrina de Virginis Conceptione apud Thomistas experta est. Olim v. g. multi volebant, ex libris Aquinatis certissime se hausisse doctrinam de maculato Virginis Conceptu ; hodie volunt multi, eum nullis dictis Aquinatis contineri.

Pergit R. P. : « Hinc monitum a Benedicto XIII calumniatoribus datum: « Desinant orthodoxam S. Thomae doctrinam calumniari » Calumniabantur autem doctrinam de Gratia per se et ab intrinseco efficaci » Ex eo, quod Jansenistae calumniantes dicebant, gratiam per se efficacem Thomistarum Constitutione « Unigenitus » fuisse damnatam, et quod simul calumniantes asserebant, orthodoxam doctrinam S. Thomae esse damnatam, vult R. P. colligere, eas doctrinas easdem esse omnique in re aequales. At ex iis quae calumniose i. e. cum damnoso et injurioso mendacio dicta sunt, difficile est quidquam veri positive concludere. Multa ergo calumniabantur Jansenistae. Calumniabantur orthodoxam S. Thomae doctrinam, quia hanc asserebant a sua doctrina per RR. Pontifices damnata non distingui, idem de doctrina RR. PP. Dominicanorum, quae est de praedeterminatione physica, dicebant. At si neutra convenit cum doctrina istorum haereticorum, num hinc efficitur, eas convenire inter se?—Atque haec sufficiant, ut intelligatur, qua R. P. ratione in explicandis his Summorum Pontificum documentis utatur. Alia non affert. Constat ergo, contra doctrinam Molinistarum allatis Pontificiis Constitutionibus nullum praejudicium procreari (1).

(1) Ceterum quae horum decretorum vis et sententia esset, P. Schneemann in suo opere clare exposuerat p. 349 sq. Nec neglexerat illud exponere atque praemittere quosdam Dominicanos nimio causae Jansenii et Quesnelli patrocinio ansam dedisse aliquam, cur causa Thomistica cum istorum haereticorum causa posset intime connexa, imo eadem videri. Cfr. Schneemann, p. 334 sqq. Haec nonnihil attendere oportebat Patrem Dummermuth; omisisset enim illam insinuationem in fine notae 1, pag. 2.

# SECTIO SECUNDA

## EXPONITUR STATUS CONTROVERSIAE

### § 1

**Praecipuae controversiae inter recentiores Thomistas etMolinistas vigentes circa cooperationem Dei cum homine libere in ordine naturali et supernaturali operante enarrantur et dijudicantur.**

### ART. I

QUAENAM MOLINISTIS IN DOCTRINA RECENTIORUM THOMISTARUM DIFFICILIA VIDEANTUR ESSE QUAEQUE THOMISTAE AD EA RESPONDEANT.

In doctrina recentiorum Thomistarum de modo cooperationis divinae cum libera creatura potissimum *tria* sunt, quae Molinistae reprehendenda esse exsistimant(1). Ajunt Molinistae ; 1) doctrina Thomistarum revera *destrui libertatem actionum* nostrarum, quamvis Thomistae sibi videantur eam adstruere ; 2) item Deum fieri auctorem et *causam malarum actionum, prout malae sunt*; 3) gratiam denique, quam dicunt Thomistae sufficientem, vere et *proprie sufficientem minime esse.* De singulis pauca.

Atque *quod ad primum quidem caput attinet,* ut luculenter constet, quid et quale illud sit, quod in Thomistica doctrina Molinistis reprehensione dignum esse videatur, enumeranda sunt ea momenta, quae ex una parte a Thomistis, ex altera vero parte a Molinistis ad veram libertatem actionum nostrarum requiruntur.

Ambae itaque partes cum Ecclesia catholica profitentur : etiam in statu naturae lapsae ad merendum et demerendum, adeoque ad veram voluntatis libertatem in agendo non sufficere libertatem a coactione, sed quam maxime libertatem a necessitate requiri. Vide praeter propositionem 3am ab Innocentio X die 31 Maji 1653 in Jansenio damnatam, Billuart de actibus hum. diss. 2, art. IV, § « Dico 1° ».

At ne tum quidem, quando ad propriam controversiam acceditur

(1) Inter has praecipuas difficultates, quas Molinistae adversus Thomistas movent, non numeramus illud Molinistarum argumentum, quo hi conantur ostendere, Thomistas plane *superfluas* entitates inducere, quando praemotiones et praedeterminationes physicas asserunt. Eas enim solas difficultates recensemus hoc loco, quibus *indoles* et natura praemotionum et praedeterminationum physicarum, qualis sit, luculentius manifestetur. — Ceterum illud etiam argumentum, saltem ex parte, attingemus, ubi ea enarrabimus quae Thomistae in Molinistis reprehendenda censent, et quae Molinistae ad eorum objectiones respondent : videbimus enim ibi, rationes Thomistarum pro asserendis praemotionibus et praedeterminationibus physicis allatas infirmas esse.

atque quaeritur, quid opus sit, ut homo in agendo non a sola coactione externa, sed etiam a vera necessitate interna liber sit, statim oritur inter partes dissensio. *Consentiunt* enim ambae partes 1° libertatem a necessitate in operando esse formaliter in una potentia voluntatis ejusque actibus scl. in electionibus nostris; non esse eam in ulla alia hominis facultate vel in ullo alio actu formaliter(1). Consentiunt 2°, ad omnem usum hujus libertatis a necessitate judicium rationis objective indifferens praerequiri. Definiunt autem objective indifferens rationis judicium, quod etiam liberum dicunt, sic ut sit ejusmodi rationis judicium, quo aliquod objectum ut bonum quidem mente exibeatur, neque tamen ut ex omni parte perfectum et sub omni consideratione bonum offeratur (2). Consentiunt 3°, ideo rationem liberi arbitrii atque libertatem a necessitate in operando per se competere voluntati, quoniam voluntas, quae est materiae expers, talis sit appetitiva facultas, quae natura sua non sit determinata ad certum quoddam genus bonorum aut ad certa quaedam genera bonorum motu proprio appetenda, sed quae indefinite pateat ad omne genus bonorum suapte sponte amplectendum, quod sibi sufficienti rationis judicio fuerit propositum. Unde consentiunt 4°, voluntatem esse energiam vel virtutem activam ex se suppositis supponendis idoneam ad volendum et non volendum, ad hoc bonum aut illud bonum volendum (3). Consentiunt 5°, quando jam voluntas unum bonum præ alio bono reapse eligat atque velit vel volitionem alicujus boni libero actu eliciat, perseverare nihilominus in ipsa potentiam vel energiam habitualem et naturalem ad aliud bonum volendum aut etiam ad praesentis actus omissionem volendam (4). Huc-

(1)«Essentia libertatis creatae», inquit Graveson O. P. Epist. Theol. histor. polem. I ep. 8, « ut ostendimus, sistit in indifferentia activa voluntatis, quae tanquam a radice oritur ex indifferentia objectiva judicii rationis, quae est in intellectu ». «Quodsi quaeras, unde originem habeat haec indifferentia activa, quae voluntatem creatam formaliter et essentialiter reddit liberam eique confert potentiam agendi et non agendi, respondeo ipse cum S. Thoma, hanc indifferentiam activam, per quam voluntas potest agere vel non agere, suam habere originem ac radicem extrinsecam ex indifferentia objecti, quod intellectus proponit voluntati et ideo vocari indifferentiam objectivam judicii ratio nis ». Idem ibid.

(2) Cfr not. praeced. « Ergo in nobis indifferentia objectiva judicii, qua intellectus judicat, objectum propositum voluntati, ut prosequendum, non continere omnem rationem boni atque adeo posse ab illa amari vel rejici, erit proxima radix et origo libertatis ». Gonet, O. P., Clyp. Thomist. t. 1, tr. 4, disp. 9, a 3.,

(3) Cfr. Billuart ll.

(4) Hoc momentum maxime urgent Thomistae hacque assertione facta putant se libertatem arbitrii in tuto collocasse. Est etiam hoc momentum fundamentum celebris illius distinctionis inter *sensum compositum et sensum divisum*, prout Thomistae illam intelligunt. « Schola nostra Thomistica constantissime tenet », ait *Sebille*, O. P., « *ad liberam elicientiam actus* pro aliquo instante, *sufficere, quod voluntas sit proxime pro eodem potens non agere*, licet pro eodem *ipsa negatio actus sit impossibilis, ratione alicujus praerequisiti tunc exsistentis*, scl. praedeterminationis physicae et cum quo ipsa negatio actus essentialem habet repugnantiam. Sebille « Interpres Thomist. » l. 3. c. 1 sect 5. p. 212; vide locum apud Limbourg «Zeitschrift fur Kath. Theologie « Jahrgang I, p. 216, quo scriptore saepissime in hac sectione utemur, quoniam insigni cum diligentia locos ex variis Thomistis huc pertinentes collegit.

Quomodo autem illa proxima non agendi potentia, quam Thomistae asserunt, pro eodem instante adesse, quo voluntas revera agat, intelligenda sit, id diligenter a pluribus Thomistis discendum est; inde enim maximam partem dependet intelligentia verae naturae praedeterminationis physicae et illius objectionis, quam Molinistae contra Thomistas movent, ipsorum placitis a parte rei libertatem actionum nostrarum destrui videri. « Voluntas nostra », inquit idem, quem modo lauda-

usque consentiunt ambæ partes. *Dissentiunt* vero, quando Molinistae insuper ad libertatem a necessitate in operando formalem et simpliciter dictam quam maxime exigunt, ut vel in eo ipso signo rationis, quo voluntas *reipsa transeat in actum* volendi, *aut libere non transeat in actum* volendi, *possit* etiam in concreto i. e. ratione habita omnium momentorum, quae voluntatem vere et *physice* afficiunt, *reapse non transire in illum actum*, aut contrario *possit reapse transire in illum actum*. Contra Thomistae unanimiter statuunt, in quo signo rationis voluntas secundum ipsos vere libere transeat *in actum*, eam *non posse in concreto reipsa omittere illum actum*, et in quo signo libere *omittat actum* volendi, eam *non posse reipsa* et secundum conditionem, in qua est, *transire in eum actum*. Etenim secundum ipsos in eo signo voluntas aut jam est *physice praemota et praedeterminata* a Deo ad illum actum, et ita jam in ejus potestate non est non transire in illum actum, aut contra non est ita praemota et praedeterminata physice a Deo, et sic repugnat, quominus in illum actum revera transeat. (1) De cetero Molinistae non

vimus Sebille, « etiam in statu, quo actu retinet praedeterminationem ad amorem, est *vere proximeque potens ad non amandum*. Sed in quo quaeso sensu? *anne, quia sub illo statu etiam sit possibilis actualis positio non amoris? Hoc sane implicatorium est*, cum in via Divi Thomae *praedeterminatio efficax infallibilem et insuperabilem connexionem habeat cum positione amoris*. Solum ergo volumus, quod *voluntas* nostra etiam in statu, quo actu retinet praedeterminationem ad amorem, *sit vere proximeque potens ad non amandum in hoc sensu, quod habeat quidem proximam potentiam* etiam pro illo statu retentae praedeterminationis: *licet actualis positio non amoris nunquam sit retenta praedeterminatione possibilis;* nam ad hoc, ut voluntas, etiam retenta praedeterminatione, sit proxime potens ad extremum oppositum, non requiritur, quod illud extremum etiam retenta praedeterminatione sit possibile in (concreto), sed sufficit, quod sit possibile absolute»: id est, fieri quidem id in concreto, quae est antecedens affectio potentiae, nullo pacto potest, posset autem hoc accidere quantum est ex parte potentiae ipsius, quae de se etiam aptitudinem ad non amandum habet. Sebille, ll. p. 212 s. « Docent (Thomistae) », ait Graveson ll. I p. 52, « hominem, dum gratia per se efficaci [i. e. praedeterminatione physica ordinis supernaturalis] est instructus, retinere veram ei dissentiendi seu non agendi potentiam in sensu diviso i. e. *retinere potentiam* gratiae per se efficaci *dissentiendi divisam tamen et sejunctam ab actuali dissensu, in qua potentia* [divisa et necessario sejuncta ab actu] *sistit genuina hominis libertatis ratio;* hominem tamen praeditum gratia per se efficaci non retinere potentiam ei dissentiendi in sensu composito h. e. non retinere potentiam ei dissentiendi conjunctam cum actuali dissensu » [ i. e. actualis dissensus est simpliciter impossibilis hic et nunc ].

« Sicut aër positus sub luce retinet in sensu composito potentiam ad tenebrescendum, verumque est dicere, aërem habere simul lucem et potentiam ad tenebras, quoniam unum oppositum expellit reliquum, non autem potentiam ad reliquum : ita voluntas posita sub decreto praedeterminante ad consensum, retinet potentiam ad dissensum verumque est dicere in sensu composito, posse dissentire [i. e. esse potentiam de se aptam etiam ad dissensum eliciendum], non tamen dissensurum, nisi cesset decretum; velut et aër lucidus potest tenebrescere, non tamen tenebrescet, nisi abeunte lumine ». Xantes Mariales « Biblioth. Interpr. » IV relect. 9. sect. 6. Atque similiter alii Thomistae passim.

(1) Quod attinet ad doctrinam Molinistarum hoc ultimo asserto contentam, de ea ubertim constat; vide, sis, Molinam, « Liberi arbitrii cum gratiae donis... Concord. » edit. alt. disp. 1, membr. VII potissimum § « secundum est », ad q. 23, a, 4 et 5; Suarez, de Grat. proleg. I, cp. 6, n. 10 sqq. et opusc. « De concursu » l. 1, cp. 3. — Ea doctrina Thomistarum voluntatem a Deo physice praemotam et praedeterminatam non posse retinere actum, constat satis locis in nota praecedente allatis. Alteram partem doctrinae, Thomisticae, voluntatem, quando a Deo praemota et praedeterminata physice ad actum non sit, non posse revera elicere actum, fatentur et docent Thomistae planissimis verbis, ut doctrinam certissimam et principalem. Audi Dominic. Bannez, O. P. in 1^m part. q. 14, a. 13, (p. 216 B. edition. Duacen. 1614; col. 619 A edit. Venet. 1587) « *Nulla* causa secunda *potest* operari, ni-

negant posse aliquando actum bonum atque adeo meritorium ita se habere, ut explicant Thomistae, si in *causa* hujus actus aliae fuerint conditiones ; sed tum in eadem *causa* proprie esse in eaque sola libertatem meritumque dicunt. Idem dicunt de actu malo.

Ajunt porro, Thomistae, ad functionem primae causae primique agentis pertinere imprimis hoc, ut ipsum omnem causam omneque agens creatum *prius natura quam agat,* de potentia in actum traducat, idque relate ad eam ipsam operationem, quae ponenda sit. Hac autem actuatione in causa secunda divinitus posita, dicunt, causam secundam non posse illum actum non elicere, sed quantum sit ex vi motionis divinae, absoluta jam necessitate elicere actum, licet a causis liberis simul libere eliciatur. Quod aliis verbis ita dicunt: in potentia libera ita actuata « manere quidem potentiam ad non actum, *neque tamen jam posse ullatenus jungi cum illa ad non actum potentia reipsa non actum*», —verba sunt Thomistarum (1)—inque eo signo rationis, ubi reapse agat, voluntatem habere natura prius rationem merae sed verae potentiae ad non actum, nullo tamen pacto valentis jam retinere vel suspendere actum (2). Ejus autem contrarium usuvenire ajunt, quoties illa potentiae actuatio divinitus facta non fuerit : tunc esse *potentiam* meram et veram ad actum, sed *sine possibilitate*, *ut transeat hic et nunc revera in actum.* Idem breviter sic dici potest: Potentia per se ad agendum aut non agendum indifferens nunquam agit nisi a Deo ineluctabili vi determinata ; eadem cum agit, quatenus Dei impulsus in ea attenditur, non potest non agere, sed tamen, quatenus ipsius natura indifferens attenditur, agit libere. Manet enim semper natura ipsa indifferens ac libera, sed Dei determinatione *accedente* non potest non agere, illa *absente* non potest agere actu.

Ita Thomistae, quando causam et vim praemotionis et praedeterminationis physicae explicant.

Molinistae hic insurgunt, atque 1° quidem concedunt, admissis et statutis praemotionibus et praedeterminationibus physicis ad singulos creaturarum actus, prout a Thomistis explicantur et postulantur, cetera fere quae dicunt, ab iis prorsus constanter et recte et necessario dici ; at opinantur ipsi, his placitis Thomisticis destrui revera libertatem arbitrii nostri in agendo. Atque hoc primum caput est, prout

si sit efficaciter a prima determinata ». Alvarez, de Auxil. disp. 22 n. 33 (p. 168 ed. Roman. 1610). « *Nulla potentia fieri posse*, ut ego faciam aliquem actum et quod voluntas mea non sit physice a Deo praedeterminata ad illum actum producendum ». « Fieri non posse, quod ego aliquid faciam et Deus non praedeterminaverit, me id facturum ». « Praecipuum ex praerequisitis» ait Nazarius», O. P., « ut homo per suum liberum arbitrium producat talem actum ( puto conversionis in Deum ) est efficax Dei voluntas seu decretum, quo statuit ab aeterno, ut liberum hujus hominis arbitrium eliciat talem actum, et physica motio sive auxilium efficax, quo praemovet Deus voluntatem ad talem actum. At cum efficaci Dei voluntate seu decreto et motione vel auxilio pariter efficaci non stat simul, quod liberum hominis arbitrium *non eliciat actum* illum ». In p. 1, q. 19. a. 10 (edit. colon. a. 1621 t. 1, pag. 560 A ). Haec modo sufficiant.

(1) Cfr v. g. Billuart « De Deo » diss. 8, a. 4, §. 2 « Ad 1 » et « Ad 2 ».

(2) Potentia ad non actum tum manet in sensu diviso a non actu, non in sensu composito cum non actu, ut ajunt Thomistae.

jam diximus, cur Molinistae eum cooperationis divinae modum, qui per praemotiones et praedeterminationes physicas ad singulos actus fieri adstruitur impugnent. Nec videntur sine ratione Molinistae ita censuisse et censere.

Etenim si in quo signo i. e. si tum ipsum cum, sive eatenus quatenus supponitur voluntas seipsam determinare, velitne agere necne, hoccine an illud velit agere, seu ubi voluntas de potentia transit in actum, ita a Deo (natura prius, etsi non tempore) praemotionibus et praedeterminationibus physicis praeventa est, ut vi illius praemotionis *non possit nisi unum illud* ad quod divinitus praemota et praedeterminata est, *reapse* velle et agere, *hoc autem necesse sit eam* velle et agere : qui non voluntatis movendi se in diversa facultas *ex omni parte* a Deo praevie ad unum coarctata est? *Quid* adhuc *decisionis in potestate et arbitratu* liberi arbitrii ad se vertendum in partem quamlibet remanet ? quo sensu adhuc vere dicitur, voluntatem *eligere* unum prae alio, cum ipsa indeclinabiliter et insuperabiliter antecedenti divinae motioni ad unum particulare definitumque volendum et amplectendum obsequatur?

Videntur profecto haec duo statui a Thomistis prorsus repugnantia: unum ut voluntati relinquatur vera electio et electionis hic et nunc possibilitas ; alterum ut in eodem signo i. e. simul prorsus et coniuncte ineluctabilis quaedam ab alio, scl. a Deo, voluntati praevie immissa sit ad unum particulare volendum necessitas (1).

Et revera quomodo libertas illa, quae ad justam imputationem actionum et omissionum sive in laudem et praemium sive in vituperium et poenam requiritur, in homine remanet, quando homo, quoties revera agit et reapse vult, id ab alio, cujus influxum nec vincere nec declinare, nec omnino impedire et praevenire ullo pacto potest, in ordine ad unum particulare volendum praeoccupatus et praeventus agit ac vult ? Et contra, quomodo in homine non-actio s. omissio similiter libera dici potest, quando quoties non agit atque non vult, ideo actionem et volitionem non ponit, quia eam reapse ponere nunc quidem nequit, carens necessario alterius influxu, quem nulla via et vi hujusmodi, quae perfecte in sua potestate constituta sit, comparare sibi potest ? Ita autem nobiscum si audias Thomistas, in omnibus prorsus actionibus omnibusque omissionibus agitur ; qui igitur liberi sumus ?

At habent Thomistae, quod respondeant. Dicunt 1° manente judicio indifferenti fieri absolute non posse, ut actus voluntatis nostrae a libera potentia non libere procedat, utut haec potentia ad unum volendum ab alio physice praedeterminata sit (2) ; sequi enim necessario

(1) « Necesse est haec duo conjungere : et immobiliter agere et tamen libere agere ; alterum ex efficacia divinae voluntatis, alterum ex conditione voluntatis creatae ». Massoulié, O. P. « S. Thomas sui interpr », dissert. 3, qu. 2, a. 5 (edit. Rom. 1692 t. II, p. 37).

(2) Ait Billuart « de actibus humanis » diss. 2, a. 5 « Dico : Implicat voluntatem, stante judicio indifferente, necessitari ». Hinc Sebille l. l. p. 220 hoc modo definivit libertatem : « Nihil aliud est (libertas) quam ipsissima potentia voluntatis ut connotans objectum indifferenter propositum ». Quibus praeiverat Bannez ad 1, q. 19, art. 10, dub. 1 in fine. § « Sed dicis » etc. [col. 731 A edit. Venet. 1587]

vim appetitivam non solum in amplitudine sed etiam in modo operandi vim apprehensivam; quare judicio objectum indifferenter manifestante, fieri non posse, ut voluntas necessario, non indifferenter et libere, in ipsum tendat (1).

Dicunt 2° ab interna in volendo necessitate tamdiu nos vere liberos esse, etsi divinitus ad unum agendum physice praedeterminemur, quamdiu potentia, qua volumus, vere potens manet ad utrumlibet. Est enim liberum arbitrium « potentia rationalis ad opposita ». (Billuart de actbs hum. II.) Manet autem potentia vere potens ad utrumlibet sub physica praedeterminatione.

Dicunt 3° bene attendendum esse, quid ipsi tandem statuant; statuere se, actum, ad quem homo physice praemoveatur et praedeterminetur a Deo, non posse quidem non fieri, quae est virtus divinae praemotionis et praedeterminationis; eam tamen praemotionem ita comparatam esse, ut actio et actus sub ipsa libere fiat et homo vi ipsius seipsum determinet. « Movet » (enim), ait Billuart, (Deus) « non solum ad substantiam actus sed etiam ad ejus modum, qui est libertas ». « De Deo » diss. 8, a. 4, § 2. Ergo salva et secura est humanae voluntatis libertas sub divina praemotione, et praedeterminatione imo ipsa firmatur et stabilitur.

Reponunt Molinistae ad primum: saltem maxime dubium videri, num voluntas creata nequeat, ne divinitus quidem, moveri aliter atque id per se connaturalis ipsius habitudo et proportio ad vires apprehensivas judiciumque rationis exigit; imo videri id negari non posse, nisi velimus amplitudinem divinae potentiae contra rationes rerum nimium coarctare et Dei intimum in voluntate dominatum negligere atque evertere. Lege S. Thomam q. 22 de verit. a. 8, ubi hoc fieri posse, evidenter tradit, quidquid aliqui contradicunt.

Sed demus Thomistis, esse ita, uti dicunt. Tamen inde nihil merito inferri posse, ajunt Molinistae, quam non esse quidquam ponendum in voluntate, quod istum connaturalem agendi modum voluntatis perturbet et prorsus tollat; tale autem aliquid praemotionem et praedeterminationem physicam Thomistarum esse. Aut quomodo dici potest, voluntatem posita praedeterminatione physica Thomistarum adhuc indifferentem esse eumque actionis dominio sese ipsam determinare, si prius quam se determinet, divinitus jam praemota et praedeterminata physice est, imo indeclinabiliter et insuperabiliter ad unum particulare agendum? Si eadem prius quam *ita* a Deo praemota erat, *non potuit reapse* actum elicere, sed habuit tantum nudam quandam et inefficacem potentiam ad eliciendum actum?

Ad secundum ita reponunt Molinistae: Satis non est ad libertatem ne-

1) « Voluntas », inquit Billuart II., « est appetitus rationalis sequens cognitionem et ductum intellectus, cum non sit nisi appetitus boni, quod sibi per vim cognoscitivam proponitur. Ergo sicut implicat voluntatem appetere objectum, quod sibi per intellectum non proponitur, seu incognitum, ita implicat aliter appetere, quam sibi proponitur ».

cessitatis expertem, potentiam i. e. voluntatem ad plures et varios actus eliciendos ex mera parte sua sufficere aut secundum se carere actione posse; aliis verbis :Satis non esse ad libertatem a necessitate immunem, voluntatem potentiam esse de se idoneam ad varia bona, imo etiam ad omne particulare bonum, quod sufficienter propositum sit, volendum et intentionaliter amplectendum, sed requiri insuper ad hoc *actualem liberum usum* potentiae, ita ut apud ipsam potentiam agentem, non vero apud alium, decisio sit, velitne agere necne, hoccine an illud velit agere. Nam alias etiam facultates praeter voluntatem non solum actu carere, sed etiam diversissimos actus elicere posse v. g. intellectum, nec propterea eas liberas esse, quoniam apud ipsas decisio et dominium non sit, num agere velint et quem actum velint agere. Nec porro, quamvis intrinsecus voluntarii sint ac sua sponte eliciantur omnes prorsus actus voluntatis, potest defectus liberae determinationis et decisionis suppleri, quia non spontaneitas aut etiam voluptas criterium formale liberi actus est, sed talis emanatio actionis et actus a potentia, ut, in quo signo seu quando et quatenus actio et actus a potentia procedat et facultas de potentia transeat in actum, possit iisdem conditionibus manentibus omnibus, quae eam ullo modo physice afficiunt, etiam ab ea non procedere, possitque facultas sic quoque non transire de potentia in actum. Quod cum locum habere non possit in potentia affecta praemotione et praedeterminatione physica Thomistarum, evidens est, potentiam ita affectam carere libertate in eliciendis actibus, utut de se ad plura et varia aliqualiter potens sit.

Ad tertium respondent Molinistæ, hic videri Thomistas manifesto repugnantia postulare ac statuere. Etenim ut aliqua actio cum formali libertate a voluntate procedat, opus esse aiunt Molinistae, idque ex ipsa notione actionis formaliter liberae, prout omnium mentibus insidet, derivatur, ut actio vi momentorum omnium, quae eam vere, etsi natura tantum praevertunt et physice in ipsam influunt, etiam non fieri vel aliter fieri hic et nunc possit. Libertas enim vera et propria liberi arbitrii in agendo, et quæ ad justam imputationem actionum nostrarum requiritur et sufficit, continetur hac re, ut positis omnibus ad agendum necessariis possimus agere et non agere, hoc vel illud agere (1); et hac sola via veri domini actionum nostrarum sumus, quibus actio juste imputetur. Aut quomodo verus dominus rei recte dicitur is, qui non potest de re, cujus dominus esse dicitur, diverso modo unquam disponere, sed de quo disponitur semper ab alio relate ad illam rem, de qua agitur? Aut quomodo nobis formaliter libera actio est libereque ipsa a nostra voluntate elicitur, quando momenta, quae ipsam actionem decisionemque voluntatis natura saltem praevertunt et physice in actionem i. e. electionem influunt, atque ita in eam influunt, *ut ob ipsorum tendentiam essentialem, antecedentem et physicam haec praecise actio et electio*, si tamen electio dicenda est, *a voluntate procedere cum*

(1) Hanc esse verissimam definitionem libertatis liberique arbitrii, et apud omnes praeter unos recentiores quosdam Thomistas receptam, infra de Capreolo, principe Thomistarum, agentes videbimus. Cfr interim Schneemann « Controv. » pag. 27 not. 3; Suarez « de Grat. » Proleg. 1 c. 3 n. 1, sqq.

*absoluta necessitate debeat*, alia procedere aut hæc non procedere prorsus jam non possit? Jam vero quando vi praedeterminationis physicae ad unum actio a voluntate procedit: procedit a voluntate vi cujusdam momenti voluntatem physice afficientis, quod non solum actionem decisionemque voluntatis vere praevertat physiceque in ipsam influat, sed quod etiam ex intima sua natura atque essentia antecedenter sic impellat, ut voluntas ab ea actione elicienda abstinere non possit. Directa est ergo vi hujus impulsionis voluntas antecedenter et physice, indeclinabiliter et insuperabiliter in unam omnino viam, in unam omnino actionem, et nihilominus consequens hæc actio libera et electio vera esse dicitur! Quomodo hic non aperta repugnantia? Habetur enim jam actio, quam vi momentorum antecedentium et physice in ipsam influentium fieri a voluntate prorsus jam necesse sit, et quam simul in eodem signo non sit necesse fieri: prius vi praedeterminationis physicae, alterum, quia supponitur, eam libere et elective elici.

Quare dicere, Deum inducere in voluntatem momenta antecedentia cum physica, imo cum majore quam physica vi voluntatem in unam agendi viam et unam actionem propellentia et simul voluntatem non necessitantia in eam viam et actionem, quia actio dicitur libere et non necessario a voluntate procedere, nihil hoc aliud est quam affirmare, Dei omnipotentiam ad contradictoria simul verificanda extendi.

Nec juste nobis imputatur id, ad quod nos alius, cujus influxum nec praevenire nec cavere nec vincere possumus, physice praedeterminavit. Jure imputabilitatem vel, si ita loqui placet, responsabilitatem hujusmodi actionis declinamus, et in illum alium totam rejicimus. Quare Molinistae putant, physica praedeterminatione Thomistarum dominium actionum a nobis auferri ac proinde libertatem in agendo perimi et moralem imputabilitatem nobis nullam remanere.

*Altera difficultas*, quae Molinistas in systemate Thomistarum praecipue offendit, haec est: videtur Deus in systemate Thomistarum vere et proprie causa peccati, ut tale est, exsistere; seu videtur Deus jam non solum permittere peccatum, quae est doctrina catholica, sed ipsum ut tale est efficere, atque antecedenter et vere ipsum velle. Cfr Trid. sess. 6, can. 6.

Omnes quidem, qui catholici sumus, fatemur, peccatum ut ens est et actionibus, produci physice etiam a Deo, non a solis nobis, imo sub his rationibus principalius produci a Deo quam ab homine peccante. At Deum auctorem peccati ut peccatum est dicere, similiter horremus omnes. Negant igitur id etiam Thomistae atque ex animis negant — Cfr Salmantic. De voluntate Dei disp. 10, dub. 7. — Quaestio vero movetur a Molinistis, num Thomistae in suo systemate id iure negent suo; an id, quod verbis negant, negantque ex animis, id placitis suis et revera adstruere videntur. Porro sic prorsus videri Thomistis accidere, Molinistarum assertio est. Et sane si Deus praemovet praedeterminatque physice voluntatem ad actum illum eliciendum, qui homini necessario

peccaminosus est, quod *affirmant Thomistae debentque affirmare*(1), effici non potest, ne Deus existat verus auctor veraque et propria causa peccati ut sic.

Quicumque enim antecedenter movet, et ciet voluntatem aliquam de se adhuc indifferentem et indeterminatam ad actionem ipsi necessario peccaminosam, et in concreto saltem deformen a regulis morum, non potest causalitatem peccati ut sic declinare. Est enim hujusmodi *causa* vere *antecedens causa, cur voluntas antea indifferens actionem illam malam revera vitaliter eliciat*. Quam igitur in hac actione voluntas causalitatem exserit, *ea adaequate*, etiam sub vitali ratione in causam illam antecedenter moventem et cientem *reducitur*. Procedit itaque jam actio mala humanae voluntatis non solum secundum aliquam inadaequatam rationem physicam, sed etiam praecise ut peccatum et actus formaliter vitalis est, ab illa causa antecedenter movente et ciente. Nam a voluntate sub hac etiam praecise ratione procedit. Id porro si jam de omni causa, antecedenter movente voluntatem indifferentem verum est, quomodo non est magis verum de causa antecedenter movente et ciente voluntatem per modum praedeterminationis physicae? Aut cur id, quod valet in omni causa ciente et movente antecedenter voluntatem ad actionem malam, in causa physice non solum praemovente sed etiam praedeterminante atque adeo in Deo non valere dicendum est?

Ajunt Thomistae, hanc conclusionem ideo infirmam esse, quoniam Deus causet actionem, quae homini necessario peccaminosa est, tantummodo physice, non ut causa moralis : suadendo, invitando, exhortando, imperando, etc., imo deterret ab ea patranda. Quare dicunt, Deum actionem malam sub sola physica ratione attingere atque causare, ut ens est scilicet et actio, non sub morali ratione, quatenus est peccatum (2).

At hoc responso Molinistae nequaquam difficultati propositae satisfactum esse putant. Etenim ille praevius influxus, qui praedeterminatione physica voluntatis continetur, cum ipsam formalem *radicem* peccaminosae actionis hucusque indifferentem necdum peccantem, voluntatem humanam ut sic antecedenter moveat in directionem et actionem, quae *homini necessario* peccaminosa est, imo sic moveat,

(1) Debent hoc affirmare; nam si Bannezio auctore «nulla causa secunda potest operari, nisi sit efficaciter a prima determinata», cum peccatum commissionis—de eo enim unice hic agitur—vera operatio sit causae secundae, necesse est, ut fuerit prius a Deo ad id operandum efficaciter determinata. Affirmant reapse.«Fatentur Thomistae», inquit Graveson l ep. 4,«Deum per praemotionem esse causam efficientem hujus, quod Theologi appellant materiale peccati, quia id, quod dicitur materiale peccati, habet rationem entis, ut docent omnes Thomistae; porro omne ens debet a Deo produci per praevium et physicum influxum ». « Thomistae», inquit Xantes Mariales, ll. rel. 2, s. 3, «defendunt partem affirmantem et dicunt, adversarios totam philosophiam destruere. Difficultatis fervor huc redigitur, utrum Deus praedefiniat entitatem peccati efficaciterque praemoveat voluntatem ad producendam illam, puta ad producendam entitatem odii Dei, blasphemiae, desperationis et hujusmodi, quae sine inseparabili deformitate fieri [ab homine] nequeunt. Pia auris ab una parte perhorrescit audire, Deum praedefinivisse entitatem omnium ac singulorum peccatorum, imo physice praedeterminare efficaciterque praemovere voluntatem ad eliciendam actionem inseparabilem a deformitate » etc.

(2) Cfr Salmant. ll. et de vitiis et peccatis disp. 6 dub. 4 § 6; Xantes Mar. relect. 8, sect. 3.

ut in aliam directionem et actionem vi impressionis acceptae declinare voluntas non possit: videtur potius sane quam omnis alia antecedens motio, quae moraliter tantum ad hujusmodi actionem impellit et allicit, vera esse causa et multo verior multoque magis adaequata actionis causa esse etiam sub ea praecise causalitatis ratione, sub qua actio a voluntate peccante, formaliter spectata, procedit. Movet enim voluntatem eamque praemovet efficaciter in terminum volitionis, non abstracte, sed prouti manifestatus est homini dictamine conscientiae; manifestatus est autem terminus actionis et electionis ex supposito dictamine conscientiae ut malus i. e. ut talis, a quo voluntas *simpliciter et plene abhorrere debeat*, et quem, *si omnino eum libere vult*, jam morali imputatione *necessario ut malum* et recto ordine abhorrentem libere velit et amplectatur. Sequitur ergo, Deum praemotione et praedeterminatione physica, si omnino antecedenter movet voluntatem in objectum malum, in illud ut est malum movere atque ob hoc ipsum distinctionem a Thomistis supra factam non valere. Quod autem causalitatis genus, de quo agitur, dicitur physicum, non morale i. e. non per modum finis, et suasionis, sed, per modum verae physicae efficientiae, id non minuit sed auget causalitatis rationem in Deo. Nam causa efficiens physica maxime vera est causa effectus et actionis.

Dicent Thomistae, vix non eandem difficultatem Molinistis superandam esse. Nam terminus actionis, ad quam Deus simultanee cooperatur physice et immediate secundum Molinistas, item cognitus est ut malus. Si ergo Molinistis dicere liceat, Deum cooperari tantum ad actionem peccaminosam materialiter, quamvis ex suppositione terminus actionis sit cognitus ab homine operante ut malus, idem licet Thomistis dicere, quando asserant, Deum ad actionem, quae homini necessario peccaminosa sit, physice praemovere, imo etiam physice praedeterminare. Praemovet enim et praedeterminat ad actionem homini malam ut causa physica est, non ut est causa moralis.

At maximum discrimen est inter assertionem et principia Molinistarum et assertionem et principia Thomistarum. Quod ut plene percipiatur, et praesens difficultas Molinistarum contra Thomistas, funditus intelligatur, attendenda sunt tria: malitia actus, volitio ut talis, physica praemotio. Considerandum est 1° actum voluntatis, qui formaliter malus est, esse supposita libertate actionis formaliter malum praecise ut est formalis *et sensu pleno et proprio volitio alicujus objecti sufficienter cogniti ut mali. Volentes enim et intentionaliter tale objectum amplectentes evadimus ipsi sumusque formaliter mali, actusque noster sic formali malitia inficitur*, et non aliter vel alia via (1). Considerandum est 2°, nequaquam esse idem causare actum, quo volumus malum, secundum se, et secundum absolutam entitatem ejus, et eum

(1) «Abominabiles facti sunt, *sicut ea, quae dilexerunt*». Oseas 9,10. Cfr Psl. 13, 2. «Abominabiles facti sunt in *studiis* suis». Volendo vitaliter malum malo unimur.

causare ut est mali *volitio sensu formali et pleno*. Causat actum, quo malum volumus, secundum se omnis, qui aliquo physico influxu ad efficiendum actum influit confertque ad hoc, ut is actus esse incipiat. At vero ut aliquis praeter voluntatem, quae est proprium volitionis ut sic et sensu perfecto et proprio principium, et quae proprie vult, exsistat causa volitionis formaliter sumptae et sensu perfecto, debet conferre ad efficiendum actum influendo *in ipsam hanc potentiam*, quae proprie vult, et quidem, *in ordine ad provocandam ipsam* ad productionem actus volitionis. *Nam actus volitionis solummodo quatenus a facultate vitali vitali modo procedit et in ea inest, energiam volitionis propriam habet; unde etiam tantummodo ut sic sensu pleno et proprio volitio est;* quare sola voluntas et qui voluntatem ad producendum actum volitionis provocat et incitat, volitionis ut sic et sensu proprio causa et auctor est. — Quare 3° quicunque statuit influxum Dei in potentiam voluntatis ut sic in ordine ad hoc, ut actus certus volitionis ab ea eliciatur, asserit eo ipso, Deum non solum hujus actus voluntatis secundum se spectati (materialiter) causam exsistere, sed etiam ejus causam exsistere, *ut est praecise volitio alicujus objecti sensu pleno et proprio*. Quare ulterius, si de volendo objecto, quod cognitum est malum, agitur, eo ipso asserit, Deum tali influxu causam formalis malitiae actus existere. Etenim eo ipso asserit, Deum causam exsistere formalis volitionis objecti ut mali sufficienter cogniti. Ergo asserit etiam, etsi implicite tantum et virtualiter, Deum esse causam formalis malitiae actus. Nam ut supra ostendimus, supposita libertate, cum volitione formali et sensu pleno et proprio objecti cogniti ut mali inseparabiliter cohaeret formalis malitia actus, imo ea eo ipso in actu adest et nihil aliud est quam *aliquo vero modo velle* objectum cognitum ut malum. Qui ergo supposita actionis libertate, quam omnes in actu adesse supponimus, causa est hujusmodi volitionis ut sic, is est causa etiam formalis malitiae actus. Haec, quae videntur evidentia esse, jam ad doctrinam Thomistarum et Molinistarum applicentur.

Asserunt itaque Thomistae, Deum influere in ipsam potentiam voluntatis ut sic in ordine ad hoc, ut actus certus et determinatus volitionis, et in casu quidem objecti quod sufficienter cognitum est ut malum, a voluntate eliciatur. Id asserunt et statuunt, quando asserunt et statuunt praemotionem et praedeterminationem physicam ad actum, qui homini necessario est peccaminosus. Ergo conclusionem declinare Thomistae non possunt, secundum ipsos Deum esse causam actus mali formaliter ut malus actus est. Contra vero Molinistae, qui statuunt, concursum Dei directe et immediate tantummodo afficere *actum*, imo terminative spectatum esse unum idemque cum actu et actione nullo vero modo directe et per se afficere potentiam voluntatis ut sic, jure meritoque affirmant, Deum secundum ipsos esse quidem causam actus voluntatis secundum se et secundum esse physicum spectati, neque

tamen esse causam actus ut pleno et proprio sensu volitio est et formalem rationem volitionis habet. Quare recte etiam affirmant, secundum suam sententiam, Deum esse quidem causam immediatam et plane principalem actus, *qui* est malus, neque tamen esse ejus causam, *quatenus* est malus; seu aliis verbis, Deum causam esse actionis pravae materialiter sumptae, quatenus ens est et actio, non esse causam ejus formaliter sumptae, quatenus praecise et specifice volitio objecti mali sensu pleno est, atque propterea formali malitia inficitur. Rectene Molinistae statuant cooperationem Dei per se et directe unum actum attingere, alia quaestio est; hic unum quaeritur: liceatne pro ratione systematis sui ita respondere; hoc enim negaverant Thomistae, sed, ut patet, injuria.

Dicet Thomista, ad suum systema tuendum, Deum non intendere actus peccaminositatem et malitiam, sed ob altiores rationes suae providentiae solam entitatem physicam actus intendere, qui utique homini necessario peccaminosus sit. Hanc autem actus entitatem secundum se peccaminosam et peccatum non esse.

Molinistae hic imprimis duo respondent. Unum hoc: optime utique ageretur cum Thomistis, si possent sustinere assertum, in ipsorum etiam sententia, Deum solius entitatis physicae actus secundum se spectati, non ut formaliter procedat ex voluntate, auctorem et causam esse. At secundum Thomistas, ut modo probavimus, hoc maxime exigitur, ut Deus causet ipsum processum, emanationem actus, qui est malus, a vitali hominis potentia et ex vitali hominis potentia, movens ipsam, imo ipsam praedeterminans physice ad eliciendum hunc actum volitionis. Causa autem, quae est causa actus peccaminosi, ut a potentia vitali procedit atque formaliter volitio et intentionalis amplexus objecti mali est, causat eum non solum secundum entitatem, sed etiam secundum pravitatem et malitiam, quemadmodum item vidimus. Ergo summum sequeretur ex asserto Thomistarum, Deum non intendere malum actum, quia sit malus, per modum finis; at saltem eum intenderet vereque vellet per modum medii quod item dicere non licet. Et revera, ut aliquis auctor exsistat peccati ut sic, nihil opus est formaliter ejus malitiam intendi. Nam etiam homo peccans quoties tandem malitiam suae malae actionis intendit? et si quandoque ita fit, ipsa malitia actus ut aliquid sibi bonum a peccante apprehenditur et ut tale intenditur. Ergo opus non est intendere malitiam actus, ut illius malitiae causae simus, sed sufficit causare libere volitionem actus, qui est sufficienter cognitus ut malus, inque iis adiunctis, ut malitia ab actu hominis agentis non possit separari. Et hoc est alterum responsum Molinistarum, quod superiori exceptioni Thomistarum opponunt.

Et profecto, qui Deus antecedenter causare et efficere potest, ut voluntas de se adhuc indifferens et non volens se moveat volendo v. g. in odium Dei vel desperationem, eliciatque hos actus essentialiter malos, quin tamen ipse merito censeatur eos actus causasse secundum essentialem eorum malitiam? Hoc videtur intelligi non posse.

Absolvimus alteram gravissimam querelam, quam Molinistae contra Tho-

mistas instituunt; atque contendunt Molinistae omnia Thomistarum responsa nullo modo hanc difficultatem elevare.

Tertia querela principalis Molinistarum succedit. Ipsa repetitur ab iis, quae Thomistae de natura gratiae efficacis in oppositione ad gratiam sufficientem docent. Sed de hac difficultate agemus commodius infra, ubi illa discutiemus, quae Thomistae in Molinistis reprehendunt. Ostendemus ibi, gratiam Thomistice tantum sufficientem vere sufficientem ad salutariter operandum *nullo modo esse.*

---

## ART. II

### EXPONITUR ATQUE EXPENDITUR QUAE THOMISTAE IN MOLINISTARUM SENTENTIA IMPRIMIS REPREHENDANT, QUAEQUE MOLINISTAE AD EA RESPONDEANT.

## CAP. I

### DIFFICULTATES THOMISTARUM CONTRA MOLINISTAS.

Thomistae potissimum quatuor habebant, quae in doctrina Molinistarum reprehenderant. Ajebant 1° tolli a Molinistis debitam secundarum causarum, imprimis vero liberae voluntatis, sub *prima* causa primoque motore subordinationem et ab ea dependentiam. Hoc autem imprimis ideo fieri, quoniam *a*) operationis inchoatio sit secundum Molinistas non apud Creatorem sed apud creaturam; continuatio tantum operationis et perfectio sit Creatoris et creaturae simul. Porro *b*) ne in hac tarda quidem Creatoris cum creatura cooperatione justam servari proportionem. Ponuntur enim a Molinistis Creator et creatura in operationibus creaturae partiales causae, in ordine ad eundem effectum producendum se mutuo integrantes; qua assertione essentialis superioritas primae causae in operationibus secundae causae, hujusque a prima causa in operando essentialis dependentia perimitur. Habent enim sese jam prima causa et secunda causa ex aequo, cum secundum veram doctrinam hae causae nequaquam ex aequo concurrant ad productionem actionis et effectus secundae causae sed secunda causa in operando simpliciter pendeat a prima, prima vero nullo modo a secunda.

Opponebant Molinistis 2°: male et perverse ab iis explicari rationem gratiae efficacis. Nam praedeterminationes physicae sicut universim ut inimicae libertatis arbitrii a Molinistis rejiciuntur, ita ne in ordine quidem gratiae admitti ab eis possunt. Ita autem destrui ajunt veram indolem

gratiae efficacis, prout a Scriptura Sacra, a SS. Patribus, a Conciliis exhibeatur, idque sub triplici respectu (1).

Etenim, ut aiunt, *a*) S. Scriptura, Sanctique Patres atque Concilia docent, gratia efficaci ipsum velle supernaturale nobis conferri, non tantum conferri nobis posse velle; contra Molinistae rejiciunt gratiam, quae ipsum velle formale bonamque voluntatem nobis largiatur. Nam gratia ipsorum efficax non est ex sua essentia talis, sed ab homine utente ea talis efficitur. Deinde *b*) secundum Scripturam et Patres gratia efficax praeest voluntati, non subest, ipsa inflectit voluntatem, quocunque Deus voluit, non ipsa a voluntate inflectitur, denique est liberi arbitrii domina, non serva ejus et pedisequa. Contrarium obtinere ajunt secundum explicationem gratiae efficacis, quam Molinistae tradunt. Subditur enim secundum Molinistas omnis sine exceptione gratia actualis libero arbitrio hominis, estque secundum eos omnis gratia actualis versatilis et pendula gratia; ne Deus quidem potest ea pro suo arbitratu voluntatem creatam flectere et ducere, quo ipse velit, sed debet explorare et exspectare, quid voluntas creata pro innata sibi libertate ipsa decretura sit et electura. Unde accedit *c*) aliud gravissimum incommodum in sententia Molinistarum, quodque supra jam suo modo in naturali ordine notatum est, sed quod hic in ordine supernaturali et gratiae multo gravius evadit. Cum gratia sit liberi arbitrii pedisequa, liberum arbitrium solis viribus sibi innatis et naturalibus inchoat opus salutare, coepto demum operi gratia se immiscet (2).

(1) Hanc opinionem, gratiam efficacem debere constitui in praedeterminatione physica ordinis supernaturalis mira exaggeratione celebrant recentiores Thomistae ut certissimam et exploratissimam atque omnino defendendam. Audi inter alios Contenson « Theol. mentis et cordis » l. 8, diss. 2, specul. 3: « Generalem praedeterminationem, inquit, admittunt duntaxat Thomistae ut probabilem secundum rationem naturalem et non necessario cum fide catholica connexam. [Num hoc omnium aut saltem plurimorum Thomistarum sit, modo nihil attinet inquirere; non propter hanc assertionem locum afferimus, sed propter id, quod sequitur]. Gratiam vero per se efficacem tenent *ut conclusionem theologicam* ab Augustino et Aquinate *certissime traditam et post articulos fidei omni exceptione majorem, in proxima et veluti ultima dispositione definibilem.* Unde etsi nulla ad actus mere naturales et morales physica praedeterminatio admitteretur, eam tamen in ordine supernaturali ad recte christianeque vivendum admittendam contendimus. Generalem praemotionem *ideo solum* adstruimus, ut per eam ad gratiam per se efficacem uberius fortiusque stabiliendam viam muniamus ad eamque propugnandam serviat etiam philosophia ». — Obiter nota, hic videri principali illi argumento Thomistarum pro praemotionibus et praedeterminationibus physicis adstruendis, quod a Deo, ut a primo movente repetitur, vehementer detrahi et ei parum virtutis tribui; nam non solum quae ex eo deducitur conclusio ut mere probabilis exhibetur, sed insuper asseritur, eam doctrinam non propter se statui, sed propter aliud. Si autem verum esset id, quod Thomistae communissime tradunt, negatis praemotionibus et praedeterminationibus physicis a Deo auferri dignitatem primi agentis primique moventis inque eam dignitatem agens creatum loco Dei intrudi, quomodo haec doctrina potest non urgeri propter se, sed propter aliud tantum? An dici illud potest, minoris momenti quaestionem esse, sitne Deus primus rerum motor necne?

(2) Cfr. Suarez de Grat. l. 5, c. 27, ubi enumerantur praecipui ex recentioribus Thomistis: Davila, Cabrera, Alvarez, Cumel, Ledesma, qui talem Molinistis doctrinam imponunt; quasi cum hac doctrina, liberum arbitrium seipsum ad agendum determinare, non a Deo determinari, absona haec doctrina necessario connectatur. Repetiit hanc imputationem recentiore aetate Constantinus von Schæzler in libro, qui inscribitur: « Neue Untersuchungen ueber das Dogma von der Gnade », ubi p. 200 haec: « Gott — so læsst sich [nach von Schæzler der Molinismus vernehmen — bewegt meinen Geist (durch einen *physischen* Einfluss) allerdings nicht *dazu*, dass er mit der Gnade freithætig mitwirke, denn das wære eben die Thomistische praemotio [?]: allein *nach dem einmal der creatürliche, Wille sich in Thaetigkeit gesetzt hat, vollbringt Gott zugleich mit ihm* * *concursu simultaneo*) den

Id autem videtur aliud nihil esse quam instauratio haeresis Semipelagianae, secundum quam initium salutarium operum ab hominis naturalibus viribus proficiscitur, continuatio vero operis et consummatio a Deo auxiliante simulque nobiscum operante peragitur.

Sed hic jam 3° alius naevus systematis Molinistici se prodit. Molinistarum assertionibus etiam scientia Dei de liberis actibus in aperto periculo versatur, adeoque etiam certitudo divinae providentiae. Nam sublatis decretis divinis physice praedeterminantibus et indeclinabili obtemperatione creaturae liberae, inter Deum et actum liberum creaturae nullus est nexus determinatus. Procedunt enim a Deo creante causae liberae ut indifferentes atque indeterminatae ad agendum et non agendum, ad sic aut aliter agendum; nec ceterae creatae causae viresque omnes, quae in determinationem liberae causae influxum quendam exercent, eam simpliciter ad unum determinant. Sublato ergo divino decreto liberam causam physice praedeterminante, non est in Deo quidquam, quod eum in certam cognitionem liberorum actuum creaturae ducere possit, quodque Dei cognitionem ad unam potius partem contradictionis quam ad alteram relate ad liberas actiones creaturarum determinet. Quomodo ergo liberos actus creaturae cognoscet certo Deus? Reliquum ergo est, ut et decreta physice praedeterminantia in Deo et proinde physicas praedeterminationes in liberis creaturis actu agentibus ut necessarias admittamus, eas tamen tales, quae earum in agendo libertatem integram relinquant. Aut explicent Molinistae, e qua re media Deus actus futuros liberos in ipsorum theoria cognoscat (1).

Sequitur ex superioribus incommodis etiam 4ᵐ idque insigne in eadem doctrina Molinistarum. Nam ultimum arbitrium rerum a Molinistis e manibus Dei eripitur et in potestate liberae creaturae collocatur. Neque praedestinatio eorum, qui salvi fiunt, apud Deum est, sed apud hominem ejusque liberum arbitrium. Quaerenti enim et sciscitanti, cur praedestinatus quispiam salvus fiat, denique respondere debet Molinista: quoniam homo libere et bene pro suo arbitratu utitur gratia divinitus data; non potest respondere, quoniam Deus ipsum ante mundi constitutionem singulari nec omnibus communi dilectione elegit. Gratia enim, quae praedestinato datur, non alius naturae est, quam quae datur non praedestinato, nec intentio, qua datur alia est; ergo denique totum discrimen apud hominem est. Hic autem videtur jam esse ipse Pelagianismus.

Hae sunt incusationes potissimae Thomistarum, quibus Molinistas impugnant, graves sane, si verae; at numquid reapse verae? Hoc jam videndum.

*übernatürlichen* Act, *wozu der Wille zwar aus eigener natürlicher Kraft* * (die *moralische* Gnadenanregung vorausgesetzt) *den ersten Anlauf nehmen kann und zuvor genommen haben muss*, * damit der göttliche Einfluss zugleich mit seiner eigenen natürlichen Thaetigkeit physisch darauf einwirke, den er aber nicht ohne diesen zu *vollenden* im Stande ist ».

* Haec verba a nobis distincta sunt.

(1) « Sublata a Deo physicae praemotionis efficacitate, nulla relinquetur alia sufficiens in Deo causalitas respectu determinationis liberorum actuum, et consequenter neque in Deo esse poterit talium praescientia futurorum, qua remota rationem divinae providentiae ac praedestinationis respectu dictorum actuum auferri necesse est». Nazarius, O. P. in p. 1, q. 22. a 4, controv. 2 (edit. Colon. a 1621 T. p. 615. 2. A).

## CAPUT II

### DE PRIMA DIFFICULTATE THOMISTARUM SCL. DE DEO PRIMO ET UNIVERSALI MOTORE.

*Ad hoc, quod primo loco objectum est*, respondent Molinistae, videri Thomistas verissimam notionem Dei ut *primae* causae *primi*que motoris exaggerare *et falso applicare.*

Nam quando Deus prima causa primusque motor appellatur, hac appellatione minime indicatur, Deum debere, si severe loquamur, in omnibus actionibus creatorum agentium natura saltem et causalitate prius quam ipsa creatura agat, aliquid operari atque imprimere in creatura agenti; hoc enim sine ullo rationis fundamento diceretur, prout mox videbimus (1). Sed vis hujus formulae *a*) ad duo pertinet: 1° ut significetur, Deum esse omnium rerum unum ex nihilo conditorem per creationem; quocum intime cohaeret, quod ipse omnes res directe et immediate, ut esse pergant, conservat. Quae quidem consideratio huc non spectat, nec de hac re inter Thomistas et Molinistas controversia est. Spectat vero huc *altera* consideratio et vis ejusdem formulae. Nam 2° ipsa etiam opis divinae in actionibus creaturarum necessitas, principatus et excellentia, universalitas, intimitas atque independentia, creaturae vero a Deo in operando intima dependentia effertur. Secundum hanc igitur considerationem ne levissimus quidem motus, nec ulla prorsus actio potest a creatura ullo modo fieri vel exire nisi simul active procedat a Deo, et quidem a Deo multo principalius quam a creatura, sub praeclariore, fundamentaliore, interiore, universaliore ratione, atque ex parte Dei plane independenter. Neque vero amplius quidquam essentialis habitudo creaturae ad creatorem in operando exigit. Ratio enim *una physice adaequata*, cur nihil ulla creatura sine Deo simul physice et immediate influente operari et producere possit, haec est: Modus operandi sequitur modum essendi s. actio naturam. Omnis autem causa secunda suapte natura essentialiter, intime, immediate pendet a Deo conservante ut sit. Nisi itaque creaturae operandi modum attribuere velimus, qui essentialiter perfectior et superior sit, quam ipsius modus essendi, fatendum est, nullam creaturam valere quidquam operari nec ullum motum emittere, nisi Deus simul intime motui illi cooperetur simulque cum creatura effectum, ut esse possit, physice et efficaciter moveat. Haec ergo doctrina vera. At num vera haec doctrina involvit hanc alteram: praevenire debere Deum omnem motum creaturae priore quodam influxu physico, a conservatione rei viriumque ejus distincto, in quo influxu recipiendo creatura plane passive se habeat(2), et quo praevie physice mota a Deo ipsa se mo-

(1) Vide interim Ferrariens. ad l. 3 cf. Gent. c. 149; Cajetanum ad 1, p. 14, a. q. 13 et q. 19. a. 8.

(2) Ita asserunt et in suo systemate recte, Thomistae. Vide inter alios Massoulié ll. 1, 1, qu. 2, a. 2 (initio) ubi haec :« Sententia S. Thomae ejusque scholae in eo posita est, quod causae omnes secundae, quaecunque sit earum conditio, seu spirituales sint seu corporeae, seu necessariae seu liberae, suis etiam

veat i. e. agat? Nequaquam id affirmandum est. Etenim ad veram doctrinam adaequate tuendam sufficit, ut nihil omnino, ne minimum quidem, creatura producere possit *quod non simul* Deus, ut omnis esse principium, vere simultanee, intime et immediate et physice ipse quoque producat, ita ut nec ullus effectus nec motus ullus ad effectum a creatura procedere possit, nisi ad eum motum et effectum simul physice et immediate adiuvet Deus.

Atque hic habemus, cur plane absurde Molinistis illud objiciatur, secundum ipsorum doctrinam inchoationem operationis ad unam pertinere creaturam. Si enim creatura sine Deo simultanee, intime et immediate physice iuvante nihil prorsus secundum Molinistas potest, ipsa quoque operationis inceptio sine eo ita iuvante esse non potest.

Fortasse hoc verius Thomista diceret: quomodo duo agentia, praesertim libera, adeo perfecta simultaneitate ad eandem actionem eundemque effectum physice cooperari possint ut nihil prorsus actionis et effectus alterutrum elabatur, ac fugiat, id non esse adeo facile ad concipiendum et explicandum nisi unum prius in alterum influat atque alterum una secum ad agendum rapiat. Sed haec longe alia quaestio est neque, si modus talis cooperationis physicae a nobis explicari reapse non posset, id satis esset ad demonstrandum talem mere simultaneum cooperationis modum in rerum natura esse non posse. Interim hoc nobis constet, ex notione Dei ut primae causae primique motoris nihil amplius quam simultaneum concursum Dei recte inferri.

In superiore illa consideratione *b*) aliqua veritas continetur, qua non perspecta doctrina Molinistica qualis sit, penitus perspici nequit. Continetur enim in ea consideratione implicite *ratio, sub qua* Deus secundum Molinistas in omnem actionem omnemque effectum creatae causae physice et immediate influit. Ut creatae causae competit influendi modus in suam actionem et suum effectum naturae suae dependenti et specificae proportionatus, ita Deo qui super omnem speciem est, competit influendi modus, respondens sibi ut est unum esse per essentiam, solus indigens nemine ut sit et agat, estque omnis alterius naturae primum principium et prima causa. Secunda igitur causa influit in actionem et effectum suum, quatenus haec

facultatibus instructae, ad agendum egeant, quod Deus eas moveat et applicet, non solum concursu simultaneo, de quo nemo ambigit,... sed etiam praevio influxu *et ex parte causae* ; quique sit *ipse motus causae* impressus a Deo movente et applicante, seu ipse *usus passivus et applicatio passiva causae* ». — « Quod movetur, sub hac praecise ratione *passive se habet* ». Ita Reginaldus, Ord. Praed. De mente Concil. Trid. t. 1, c. 56 (edit. Antverp. 1706 col. 543). « Voluntas *patitur antecedenter*, cum sit causa secunda, *quae operari nequit*, nisi praemota a causa prima» Xantes Mariales Ord. Praed. Biblioth. interpret. t. 3. controv. 19, a. 10 c. 4. — Atque disertissime Nazar. Ord. Praed. in p. 1. q. 22, a. 4, controv. 2 (edit. Colon. 1621 p. 617. 2E): « Haec vero applicatio ... duplex est. Altera, quae *a solo Deo* est, ad quam *mere passive* se habet creata voluntas... et haec *applicatio praevenit* instanti naturae, saltem a quo, non solum operationem voluntatis, sed eam etiam applicationem, qua libere seipsam applicat voluntas ad agendum... Altera applicatio est, qua voluntas a Dei motione praeventa seipsam libere applicat ad agendum ». Nec minus clare Alvarez «de Auxiliis Gratiae » disp. 22, n° 35 : « Illa enim motio (qua Deus ipse efficit, quod liberum arbitrium se determinet ad volendum hoc vel illud) *non est efficienter* a voluntate creata, cum antecedat ordine naturae et causalitatis determinationem seu cooperationem illius ».

habent *rationem esse seu naturae talis et ad certam speciem circumscriptae;* Deus vero influit physice in eadem, quatenus omnis prorsus actio omnisque effectus causae alicujus secundae participat aliqua ratione et certo quodam gradu de ratione τοῦ esse simpliciter seu quatenus sunt entia. Quis autem non videt, qui hic influendi modus sub ratione entis, quia ens, sit non solum universalior, se extendens ad omne esse participatum, sed etiam fundamentalior atque interior in singulis entibus creatis prae illo modo, quo creata omnis causa mere sub ratione esse talis in suos effectus influit? Hic porro influendi modus certus et definitus causae secundae ratio etiam est, cur omnis creata causa certum ambitum effectuum praetergredi ex sese nullo pacto possit. Nullum vero ens creatum esse potest, quod non Deus aut solus aut simul cum creatura immediate Deus produxerit.

Quemadmodum ex praecedentibus liquet *necessitas*, *universalitas* et prorsus *fundamentalis ratio divini influxus* in omnes *actiones et omnes* effectus creatorum agentium, ita etiam intelligitur Dei summa *independentia*, etiam tum, quando cum creata causa simul ad effectum aliquem cooperatur atque concurrit. Creatura *non potest* operari nec producere quidquam *nisi suo modo fulciatur et sustentetur in operando et effectu producendo* a Deo simul cooperante; quare dicitur creatura semper « *operari in virtute Dei*; » at creator omnium rerum creaturae cooperatione non indiget. Nec tum quando Deus cum creatura simul ad eundem effectum operatur, ipse sibi in operatione creaturae quasi quoddam fulcrum et sustentaculum propriae operationis quaerit, sed ideo solum cooperationem creaturae admittit, quoniam 1° non vult ipse solus per se omnia facere, nec quas creaturis indidit vires, vult conveniente actione fructuque operis carere; 2° ideo cooperationem causae secundae admittit, quia saepe vult effectus producere, in quibus cooperatio creaturae est de essentia talis effectus, ut sunt v.g. actus vitales creaturarum omnes. In his igitur effectibus producendis non potest Deus cooperatione creaturae carere, non quod hac cooperatione propter aliqualem impotentiam suae energiae quasi fulcro suae operationis indigeat, sed quia talis effectus sine ea cooperatione in sua formali et essentiali ratione esse non potest. Propter hoc autem genus necessariae cooperationis creaturae, cum Creatore, non magis dependens fit Deus a creatura cooperante quam dependens fit ab anima rationali, quia non potest condere hominem sine anima rationali (1). Hinc patet, *a)* quam falsum sit illud,

(1) Recte Suarez de Grat. l. 3, cp. 27,n.5. «Dependentia (in operando et proprie dicta) dicit necessitatem juvaminis alterius ex propria impotentia». — Quam modo tradidimus doctrinam, tradit Suarez in opusculo « de Concursu » l. 1, cp. 4, n. 8 his verbis : « Actio Dei [terminative spectata] non est prior actione creaturae propria prioritate causalitatis, ut etiam Cajetanus* cum multis aliis Theologis diserte docuit, quia cum in re sit omnino eadem actio, non potest esse sibi ipsi causa, nec se ipsa prior. Tamen ut *illamet actio ad duas causas*, primam sel. et secundam, *dicit respectum, ratione a nobis distinguitur secundum istas habitudines:* et hoc modo dicitur aliquando esse *prior natura*, ut est a prima causa, non prioritate causalitatis, sed *vel nobilitate causae primae*, quae *altiori modo et nobiliori magisque independente* influit; *vel* quia influxus causae primae *in quadam priore ratione* fundatur; est enim necessarius ejus influxus *ex generali ratione entis creati*, quae in effectu causae secundae reperitur, causa autem secunda semper influit *ex particulari aliqua ratione entis* in suo effectu inventa; *vel* denique quia inter influxum causae primae et secundae ex suo genere non est

quod Thomistae quandoque Molinistis oggerunt, quasi secundum ipsos creatura, imprimis libera, non magis dependeat in sua operatione a Deo quam Deus vicissim a creatura. Hoc profecto non magis est verum, imo multo etiam minus, quam si dixeris, qui fragilem hominem imbecillumque in progrediendo sustentat et juvat, eum propterea hujus hominis ope indigere, quia profecto hunc praecise progressivum motum producere non potest, nisi simul influente atque simul se movente fragili illo imbecilloque homine.

Hinc patet etiam *b*) quam immerito Thomistae dixerint, Molinistas ponere ex aequo influxum Dei et influxum creaturae in effectibus et operationibus creaturae. Vocarunt quidem Molinistae nonnunquam Deum et creaturam *causas partiales, sese mutuo integrantes* ad eundem effectum producendum; explicantes vero addiderunt, hoc intelligendum esse non ex parte effectus, quem singulae totum attingerent atque producerent, sed ex parte ipsius causae, quatenus causa secunda *necessarium suae energiae complementum* sibi deposcat a prima causa, causa vero prima ita suum *moderetur* influxum in causatum, ut nisi secunda causa in suo ordine principaliter simul in idem influat, nihil prorsus producatur et fiat. At hoc non est ponere influxum causae primae et influxum causae secundae ex aequo in operationibus et effectibus causae secundae, sed Dei essentialem principatum et causae secundae essentialem in his operationibus a Deo dependentiam agnoscere. Is vero Dei in operationibus creaturarum principatus harumque a Deo dependentia qualis sit, supra exposuimus(1). Duo Thomistis concedi possunt; unum: hoc essentiale influxus discrimen Deum inter et creaturam ab ipso Molina verbis satis claris non semper esse elatum. At esse ab illo plane neglectum, solus is suspicari potest, qui Molinae librum integrum non legit. Cfr v. g. Mol. « Concordia » etc ad Qust. 14, a. 13 disp. 25 § « Sententiam hanc »; disp. 26 § « Secundo » et « Ex dictis »; disp. 27 § « Ad nobis » et sq. quibus in locis Molina constanter Deo tribuit causalitatem operationis et effectus creaturae « *in gradu causae maxime universalis* »; creaturae vero *in suo gradu*, i. e. in gradu essentialiter inferiore (2). Hoc

mutua conversio; *potest* enim *esse prior sine posteriore, non tamen e contrario*, quam etiam Aristoteles (Postpraedicament. cap. de priori) vocavit quandam prioritatem naturae. — Sicut etiam dicunt auctores *causam primam immediatius concurrere*, quam secunda m: quod non potest intelligi, quantum ad negationem immediati influxus; nam revera influxus causae secundae etiam est omnino proximus, ita ut nullus alius proprie mediet inter illum et effectum. Imo hac ratione communiter dici sole causa proxima; et ut supra dicebam, multi ita loquuntur, ut dicant causam secundam concurrere immediate immediatione suppositi, non tamen primam. Dicitur ergo *causa prima immediatius concurrere* solum *ob majorem ejus excellentiam ac nobilitatem, necessitatemque*; nam utraque ratione videtur intimius esse in omni re et effectu. Ad eum ergo modum dicitur prius influere secundum hunc concursum » ( Cfr Suarez ibid. c. 6, n. 2; c. 11, n. 4; c. 15, n. 7 etc; Metaph. disp. 22, s. 3, n. 10 et aliassaepe hanc doctrinam repetit).

(1) 1, q. 14, a. 13 & q. 19, a. 8. Ita etiam Ferrar. ad lib. 3, c. a. G. c.149.

(2) Secundum haec corrigenda sunt ea, quae Scheeben «Handbuch der Kath. Dogmatik» t. 2, n. 58 de doctrina Molinistarum tradere videtur, quasi influxus Deo et influxus creaturae in operationibus creaturae ex aequo ponatur, et creatura suo modo independenter inchoet operationem, quam Deus consummet atque absolvat.

autem uno discrimine radicaliter aliud omne discrimen includitur et virtualiter designatur, quo prima causa excellentius et nobilius quam secunda causa in operationem et effectum secundae causae influit.

Alterum, quod concedimus Thomistis, hoc est, modum loquendi, quo Deus causa partialis in operatione et effectu causae secundae producendis vocatur, non esse, uti jam Suarez l. 3 de Grat. cp. 27, n. 16 indicavit, sub *omni* respectu aptum ad designandam veram habitudinem inter primam causam et secundam causam in operationibus et effectibus secundae causae. Nam, ut ait Suarez ll. «nomen partialis causae videtur dicere habitudinem ad alteram causam partialem *ejusdem ordinis* », quod idem adnotavit Cajetanus 1, q. 52, a, 3. § « Ad evidentiam » in fine. Quamvis ergo Molina non primus denominationem partialis causae Deo tribuerit adiuvanti operationes causae secundae, sed eam a gravissimis theologis acceperit v. g. a Capreolo q. 1, art. 3 ad 12 contra tertiam conclusionem, a Cajetano ll. (1), imo quamvis haec expressio revera *apta* sit *ad designandam necessitatem concursus utriusque causae*, primae et secundae, in operationibus et effectibus secundae causae: melius tamen ab hac formula abstinemus, quia, etsi non necessario, facile tamen minime rectam suggerit notionem, quasi hae causae sint ordinis eiusdem. Quare *Deus* etiam *ut concurrens auxilio simultaneo vocetur potius causa totalis* quam partialis, quia ut dicatur totalis, sufficit, quod in suo ordine et gradu, qui est perfectissimus, tota causa sit (2). *Neve dicatur*, Deum per concursum universalem concurrentem cum causis secundis *efficere unam integram causam* coalescentem ex pluribus, quae sint comparatione cujusque effectus non integrae et totales (Molina ll. disp. 26 in fine). « Nam, ut idem Suarez ll. auctor est, ex causa prima et secunda non conflatur una totalis causa, sed cumulus plurium causarum ad talem modum efficiendi necessarius, quod longe diversum est, ut bene notavit Fonseca l. 5 Metaph. c. 2, qst. 2, sect. 2, § « Quo loco » in fine. Quare potius dicamus, Deum in illo causarum cumulo esse unam praecipuam causam ex pluribus simul ad eundem effectum concurrentibus. Qua dicendi formula « res quidem eadem significatur, invidia vero verbi evitatur» (Suar. ll.).

Quid ergo dicemus de illo exemplo, quod Molina aliique adhibuerunt ad illustrandum concursum Dei, de duobus simul trahentibus navim, quam unus trahere non potest? Dicimus aptum illud exemplum esse sub utroque respectu, sub quo a Molina adhibitum est: 1° ad illustrandam necessitatem utriusque influxus ad effectum producendum 2° aptum illud etiam esse ad illustrandum aliquatenus, quomodo omne prorsus esse physicum et reale in effectu secundae causae sit aliquo modo ab utraque causa, a prima et a secunda. Eatenus vero est minus aptum, atque etiam a S. Thoma in opusculo « contra errores Graecorum » cp. 23 sub eo respectu reprobatur, quatenus subordinationem secundae

(1) Cfr Suar. «de Grat.» L.3, c.27, n.3, qui alios etiam veteres Theologos eodem modo loquentes affert.
(2) Cfr tamen Palmieri « de Grat. Actuali » p. 71 sq.

causae sub prima causa minime effert. At sub hoc respectu a Molinistis adhibitum non fuit. Audi ipsum Molinam:

« Cum dicimus, inquit Molina, neque Deum per concursum universalem, neque causas secundas esse integras sed partiales causas effectuum, intelligendum id est de partialitate causae, ut vocant, non de partialitate effectus: totus quippe effectus et a Deo est et a causis secundis ; *sed neque a Deo neque a causis secundis ut a tota causa*, sed ut a parte causae, *quae simul exigit concursum* et influxum alterius: non secus ac cum duo trahunt navim, totus motus proficiscitur ab unoquoque trahentium, sed *non tanquam a tota causa* motus, siquidem quivis eorum simul efficit cum altero *omnes et singulas partes ejusdem motus* ». Molina, Concord. q. 14, a. 13, disp. 26, § « Ex dictis ». Non est in hac doctrina Molinae per se quidquam, quod jure reprehendas, nisi forte quod quaedam verba minus convenienter selecta esse videntur (1).

Persuadent sibi Molinistae, se doctrinis traditis difficultatem primam Thomistarum prorsus elevasse ; illud vero putant addendum, Thomistas, quamvis si res obiter consideretur, amplius aliquid quam Molinistae primae causae in operationibus secundarum causarum tribuere videantur, revera tamen, primam causam eo influxu in operationibus et effectibus illarum causarum privare, qui ipsi maxime sit proprius. Statuunt enim Thomistae, causalitatem propriam primae causae in operationibus et effectibus secundarum causarum exerceri praemotionibus et praedeterminationibus physicis. Jam vero, subsumunt Molinistae, omne esse fierique omne creatum debet a Deo dependere non mediate tantum et per aliud sed maxime immediate et per se. Influxus porro, qui praemotionibus et praedeterminationibus physicis exercetur, mediatus tantum est et per aliud. — Respondent Thomistae, praemotiones et praedeterminationes physicas habere rationem instrumentorum primae causae. Ergo his Deus immediate et per se in operationibus et effectibus secundarum causarum operari censendus est. At sunt instrumenta omnino a prima causa separata inque secunda causa recepta ; ergo medii rationem habent, et quod

(1) R. P. Dummermuth, qui non uno loco hoc exemplum de duobus trahentibus navim more Thomistarum in Molina vituperat. — Cfr. v. g. etiam pag. 108 sqq. — tandem p. 591 illud approbat in Musso, Episcopo Bitontino, Ord. Frat. Min. quia Mussus illud non attulerit ut in omnibus simile, sed sub quodam respectu. At ubinam dixit Molina vel leviter indicavit, se afferre illud *ut in omnibus simile* ? At dicit R. P. « signanter illico addidit » Mussus : « Deus porro origine saltem prius agat quam natura », vultque R. P. voce « origine prius » significari a Musso praemotionem physicam sensu Thomistico. Verum Molina etiam et Molinistae fatentur, quod attinet ad motionem illam, qua Deus movet omne agens motione generali in singulis operationibus, ipsam posse dici et porro debere dici ratione principii vel originis priorem esse quam motionem agentis secundi. Qui enim, si secus esset, Dei in concurrendo principatum et a creatura independentiam, creaturae vero concurrentis in operando a Deo dependentiam et auxilii divini essentialem indigentiam defenderet vel defendere possent ? At quaestio nullo modo est de hac re, num Deus possit dici *origine prius* agere quam ipsa tota natura, quod cum Musso Molinistae fatentur ; sed num actio divina *terminative* spectata sit et operetur prior re et natura, quam actio creaturae. Hoc autem non usuvenire indicat Mussus satis clare eodem loco ( de divina Histor. c. 15 ). Nam postquam dixit : « Deus porro *origine saltem prius* [ agat ] quam ipsa tota natura » addit : « *efficacia vero magis et milius* agat » nequaquam hic ait « prius ».

ipsis mediantibus fit, nequaquam prorsus immediate a Deo fit. Videtur itaque non esse, cur Thomistae Molinistis opponant, quasi hi causas secundas a debita subordinatione et dependentia sub causa prima in operando eximant; videtur contra evidens esse, Thomistas secundas causas in operando nec intime nec maxime immediate primae causae subjicere; unde dum illud, quod opus non est, adstruunt, praeviam nimirum motionem et determinationem causae secundae ex parte Dei, illud quod est maxime necessarium, videntur negligere, concursum Dei simultaneum, immediatum atque intimum cum causis secundis in omnibus earum operationibus.

Solent Thomistae pro necessitate praemotionis et praedeterminationis physicae in causis liberis, praeter illud universale argumentum ex prima causa primoque motore, quod cadit in omnia agentia, etiam speciale, afferre, quod in solam quadrat voluntatem : ajunt, voluntatem potentiam esse de se ad utramque partem contradictionis ad volendum et non volendum, imo ad hoc vel illud volendum sicuti idoneam, ita etiam ex se indifferentem. At omnis actualis volitio est determinati objecti volitio. Quare voluntas creata et libera, ut velle omnino aliquid reapse possit, necessario prius extrahenda est ex sua naturali indifferentia circa objecta atque ad unum determinatum objectum volendum et amplectendum physice a Deo praemovenda et praedeterminanda est. Necesse est autem hanc praedeterminationem a Deo fieri, quia alia omnis virtus, quae in motum voluntatis influit, mediante judicio in eum influit, porro nullum judicium naturalem indifferentiam voluntatis vincit atque tollit, quoniam etiam ipsum objective indifferens est. Praeterea omne judicium se habet tantum ex parte objecti, non ex parte subjecti potentiaeque agentis cujus subjectiva indeterminatio tollenda est.

Respondent Molinistae; videri etiam hanc particularem rationem vi probandi carere; niti enim eam falso conceptu voluntatis, ut haec potentia activa et liberum arbitrium est. Nam virtute naturalis determinationis ad omne bonum in communi, quam profecto voluntas naturaliter habet, posse voluntatem immediate et per se sine nova determinatione per alium facta, *modo aliquod objectum bonum sibi vel potius subjecto,* cujus voluntas vitale instrumentum est, *sufficienter propositum sit,* hanc vel illam volitionem aut *reapse elicere* aut etiam non elicere, Deo simultaneo dumtaxat cooperante (1). Sic enim, sine physica praedeterminatione voluntatem seu verius et rectius, ipsum agens rationale, ad agendum per voluntatem, in actu primo proximo sufficienter constitutum esse. Potest itaque voluntas ob innatam sibi indifferentiam activam et ob determinationem naturalem ad bonum in communi immediate alterutrum actum, volitionis aut nolitionis, circa illud bonum particulare propositum elicere, sine alia ulla praemotione et praedeterminatione ad exercitium actus a supremo agente impressa. Si vero praedeterminatio

(1) Cfr S. Thom. « de Malo » qu. 3, a. 3 ad 5.

physica ad actum particularem revera opus esset in voluntate, ut reapse agere posset, Molinistae secundum ea, quae sibi videntur evidenter probasse, existimant, ipsam liberam potentiam inter res vere possibiles numerari non posse. Quare non solum praedeterminatio necessaria non est ex particulari indole voluntatis, sed libera ejus indoles omnino requirit, ut praedeterminatio physica in ea non sit.

---

## CAP. III

### DE ALTERA DIFFICULTATE THOMISTARUM SEU DE RATIONE GRATIAE EFFICACIS ET GRATIAE SUFFICIENTIS THOMISTICA.

*Transeamus ad alteram objectionem Thomistarum :* Notionem, quam Molinistae dant gratiae efficacis, falsam esse volunt. Gratia enim efficax, inquiunt, ab omni, qui recte sentit, confundi debet cum praedeterminatione physica ordinis supernaturalis ; nam ita solum dat homini revera ipsum velle supernaturale, non tantum velle posse ; ita tantummodo supremum Dei dominium in rebelles etiam voluntates integrum servatur ; ita solum totus actus, qui salutaris dicitur, etiam secundum initium suum non est a sola naturali potentia, sed etiam a gratia vere et physice eum efficiente. Theoria ergo Molinistarum, quae praedeterminationi physicae ubique adversatur, ex hoc etiam capite rejicienda est.

Respondent Molinistae, ostendi sane facillime, quomodo Deus det homini ipsum velle supernaturale, si gratia efficax revera aliud nihil sit nisi praedeterminatio physica ordinis supernaturalis ; at unam veritatem supernaturalem non ita defendi oportere, ut aliae veritates non minus revelatae detrimentum patiantur. Id autem revera accidere in sententia Thomistarum de gratia efficaci. Nam ea dari ita velle supernaturale, bonamque voluntatem, *ut simul libertas actuum salutarium pereat,* et ut insuper, *quae a Thomistis gratia mere sufficiens statuitur, revere sufficiens minime sit.* Hae autem duae veritates item revelatae sunt. Atque praedeterminationibus physicis libertatem actionum nostrarum perimi, supra ostensum est. *Jam ostendendum, in systemate Thomistico gratiis vere sed mere sufficientibus, si loquamur proprie de sufficientia, locum non esse.* Quod si ita est, solus is, qui salutariter operatur, sensu pleno *potuit* operari salutariter. Cfr 1 proposit. Jansenii damnat.

Et revera fac gratiam efficacem in praedeterminatione physica sitam esse, quid immediate consequitur? consequitur 1°, ut ipsa sit diversae

plane naturae a gratia sufficiente, quippe quae sine actu salutari esse possit, et de se necessario sine actu sit(1); consequitur 2° ut ambo elementa, gratiae sufficientis et gratiae efficacis, inter se prorsus heterogenea, ad omnem fructum salutaris operis producendum essentialiter simul requirantur(2); unde consequitur 3° , ut gratia Thomistice sufficiens ad finem praestitutum obtinendum, scl. ad fructum salutaris operis producendum, ad quem vocat et invitat, sufficiens revera non sit. Non potest enim per ipsam solam, etsi abundantissime in voluntate invenitur, liberum arbitrium in ullam salutarem operationem revera transire, sed manet, donec gratia efficax divinitus accesserit et praecesserit, ex sua natura elementum necessario sterile et infructuosum.

Et revera, cum ex sententia Thomistarum duo haec longissime inter se distent: *voluntatem esse potentem i. e. habere potentiam ad aliquid* agendum, etiam proxime et adaequate, et *actionem aliquam esse reapse voluntati hic et nunc possibilem,* quorum primum habetur gratia sufficienti, alterum non habetur nisi accedente gratia efficaci; evidens est, una gratia sufficienti, actionem supernaturalem *reapse* possibilem voluntati non esse seu eam poni non posse *revera* vi unius gratiae sufficientis Thomisticae (3).

Nec voluntas agere quidquam potest una gratia sufficienti instructa, ad necessariam illam sterilitatem, expertem operis salutaris, supe-

(1) Hic duo attendenda, quorum unum rationem continet alterius. Primarium illud est, quod exprimit quidam princeps recentiorum Thomistarum, Alvarez, ll. disp. 72; n. 2 his verbis: « Gratia sufficiens et efficax distinguuntur per aliquid sibi intrinsecum ». Alterum est, quod hinc pendet, sufficientem gratiam secundum Thomistas *se sola semper et necessario* carere fructu operis salutaris. Nam secundum se aliquo elemento ad actum salutarem necessario caret. Cfr notam sequent. Cujus contrarium obtinet in theoria Molinistarum. Est quidem etiam apud Molinistas verum, gratiam *mere* sufficientem seu specifice sufficientem semper carere de facto actu salutari, et quam specifico sensu Molinistae gratiam efficacem vocant, eam semper esse cum eo. Sed cur ita est ? Non quod illa aliquod physicum momentum natura diversum in se non habeat quod haec habet — hoc affirmare Thomisticum est — sed quia, licet illa, si adaequate spectatur, *omnia prorsus* habeat, *quibus possit* salutaris consensus *reapse* ab homine *elici* seu poni, si homo velit, caret tamen ideo effectu, quia homo ipsa uti reapse non vult. Et haec suo modo ultima ratio est secundum Molinistas, cur illa gratia sit atque denominetur *mere* sufficiens seu in actum salutaris operis non transiens. Quia autem hoc reapse aliquando eveniet — homo reapse non utetur ea gratia — propterea in praevisione Dei semper verum erat sic eventurum, ac proinde in praevisione Dei illa gratia semper erat mere sufficiens i. e. non transiens in actum consensus. Itaque si Thomistae, quod non raro faciunt, volunt aequiparare causam cum causa, quasi quod dici potest contra gratiam Thomistice sufficientem, idem dici possit contra gratiam *mere* sufficientem Molinistarum, et quod contra gratiam physice praedeterminantem recte objicitur, valeat etiam de gratia efficaci Molinistarum, decipiuntur. Toto coelo inter se differt gratia sufficiens Thomistarum a gratia *mere* sufficienti, qualem Molinistae defendunt; idem valet de efficaci gratia in utroque systemate : « Gratia sufficiens et efficax distinguuntur per aliquid intrinsecum » secundum Thomistas ; non ita distinguuntur secundum Molinistas : hoc teneatur.

(2) « Tertia conclusio. Haec duo simul sunt compossibilia, quod scilicet praeter auxilium sufficiens, quod tribuit posse, *sit absolute necessarium aliud auxilium praevenientis gratiae efficacis* tribuens actualiter pie operari, et nihilominus auxilium illud, quod dicitur sufficiens, sit vere sufficiens » Alvarez ll. disp. 79 . n. 4.

(3) « Gratia sufficiens in sensu thomistico non complectitur omnia, quae sunt necessaria ad actu agendum ». Graveson ll. 1, p. 43 edit. Venet. 1761. Cfr. alii Thomistae idem fatentes apud Suarez « de grat. » l. 5, cp. 10, n. 16.

superandam et a se abigendam. Nihil enim in ordine salutis *reapse* fieri a nobis potest secundum Thomistas sine gratia efficaci et physice praedeterminante, *etiam si quaeritur de actu illo ipso ad quem proxime vocamur*. Quid ergo faciet homo, ut illius actus eliciendi gratiam impetret et assequatur ad quem proxime vocatur, quandoquidem sine ea jam obtenta et in se recepta *nihil prorsus* potest reapse facere ad illum actum eliciendum ? Liquet, gratiam Thomistice sufficientem, quamdiu alterum momentum gratiae efficacis non accesserit et praecesserit, nec proxime, nec remote, nec immediate nec mediate ad salutariter *reapse* operandum sufficere.

Quaerunt Thomistae ex hac difficultate exitum ; at is videtur esse impervius. Dicunt et frequenter repetunt, in potestate hominis positum esse, ut consequatur gratiam efficacem, *dummodo ipse gratiae sufficienti ne resistat ;* seu potius ajunt, hominem carere auxilio efficaci *quia sufficienti resistat*(1) quae duo quidam Thomistae pro valde diversis habent(2), licet fateatur Goudin, O. P. « Talis est ( gratia sufficiens Thomistarum ), ex qua non modo actus prodire potest, sed etiam reipsa prodeat, *quoties voluntas creata ipsi non deest, licet fatear, ad gratiam efficacem pertinere, ut voluntas gratiae sufficienti non desit* » (3). Ergo propter resistentiam, qua opponitur gratiae sufficienti, efficaci gratia homo caret. Videamus igitur, quid sit gratiae sufficienti resistere.

Cum gratia sufficiens, saltem si adaequate spectatur, sit ex omnium sententia quaedam ad opus supernaturale operandum divinitus immissa in humanam mentem vocatio, invitatio, sollicitatio, inclinatio, per se dicendum esset, omnes huic gratiae resistere, qui illi vocationi, invitationi, sollicitationi, inclinationi non obsecundent. At hoc nolunt dici Thomistae. Ait Billuart II. : « Itaque admittimus et constanter docemus cum utroque Doctore gratiae, quod non resistere gratiae sufficienti seu quod idem est, ipsi consentire sit quid positivum, et quod ad illud opus sit gratia efficaci », « neque enim dicimus ideo gratiam efficacem conferri homini, quia bene utitur sufficienti, quia illi non resistit seu consentit, quia bene se praeparat ad efficacem : Haec enim scimus esse effectum gratiae efficacis et non ejus causam » ( Billuart II. § « Nihil simplicius » ).

Quid ergo secundum illos Thomistas est, gratiae sufficienti, ejusque vocationi, invitationi, sollicitationi, inclinationi resistere ? Est peccare, est nolle habere gratiam efficacem. His enim terminis explicat Billuart II. illam resistentiam. Alii dicunt, esse non sinere se moveri gratia sufficienti *contrarium aliquid agendo ;* ad quod contrarium agendum homo

(1) « Deus tribuens auxilium sufficiens, *in eo offert efficax, et quia homo resistit sufficienti, privatur efficaci*, quod sibi offerebatur ». ( Lemos « Panoplia » t. IV, p. 2, tr. 3, c. 6 ; Alvarez II. disp. 113, n. 8, 13 et alibi ; Billuart « De Deo » diss. 8, a. 4, § 3. « Nihil simplicius », ubi haec : « dicimus ideo hominem privari gratia efficaci, quia resistit sufficienti ». Alios vide apud Suar. II. n. 26 ).

(2) Cfr. v. g. Billuart II.

(3) Tract. theol. II « de grat. » q. 5, a. 2, et similiter Billuart II.

profecto nec ullo *auxilio gratiae nec gratia praedeterminante* indiget. In hoc responso Thomistarum permulti naevi inveniuntur. Primo percunctabitur aliquis, quanto tempore homo in hoc genere non resistentiae dedeat perseverare, ut consequatur gratiam efficacem. Sane hic nihil potest cum aliquo fundamento responderi. Nam gratiam efficacem non statim dari, *ubi primum* voluntas gratiae excitanti *non restiterit actu contrario,* evidens est. Nam plurimi actum salutarem, ad quem sollicitabantur, nunquam elicuerunt, et proinde gratia efficaci caruerunt, qui tamen gratiae sufficienti non statim contrarium aliquem actum opposuerunt. Quamdiu ergo in ea non-resistentia perseverandum? — Videtur praeterea *fingi*, hominem sollicitatum gratia sufficienti, si careat auxilio efficaci, aut noluisse habere illud aut semper peccato distincto a nonusu auxilii gratiae peccasse. Sollicitatus v. g. auxilio interno ad audiendam missam die dominica, nec tamen eam audiens, numquid recusavit noluitque habere auxilium efficax? aut illud saltem dici cum specie veritatis potest, eum semper peccasse peccato distincto a peccato non auditae missae? Quis hoc dixerit? Cur ergo caret auxilio efficaci ad audiendam missam? — Insuper, ubinam exstat divina promissio, nos ideo jam habituros esse auxilium gratiae efficacis et praedeterminantis, quia non peccaverimus per actum gratiae Thomistice sufficienti contrarium? Sane ne opera quidem in gratia et ex gratia facta eam vim impetrandi certam et indubiam habent; qui ergo id affirmatur de statu mentis, qui nihil sit, nisi non peccare? Annon timent sibi, qui haec statuunt, ob hujusmodi assertum notam Pelagianismi, quae Molinistis tam facile inurebatur? Aut quid in non peccando et in non agendo contra gratiam, si id per se spectatur, supernaturale invenitur atque inest? nihilominus haec malae actionis omissio quasi quaedam via ac dispositio esse dicitur ad gratiam Dei efficacem obtinendam. — Amplius idque efficacissime respondent Molinistae, non esse situm in hominis potestate secundum Thomistas, si tamen constanter loqui velint, ullum actum, ergo ne talem quidem actum gratiae contrarium aut reapse elicere aut reapse omittere: ergo non magis in eorum potestate est auxilium efficax sibi comparare. Nam ad talem actum aut homo praedeterminatur a Deo physice aut non ita praedeterminatur. Si physice praedeterminatur, quae est insuperabilis virtus praedeterminationis physicae, non potest eum actum suspendere; si non praedeterminatur, ob naturalem suam indeterminationem et ob defectum motionis ex parte primi motoris non potest reapse agere. Si contra hanc responsionem excipiunt quidam Thomistae, male nos agere reapse posse sine praedeterminatione physica: reponunt Molinistae 1° id inconstanter et contra scholae principia ab illis dici; 2° hoc responso incidere Thomistas in systema scientiae mediae, ab ipsis in Molinistis vehementissime impugnatum. Affirmant enim illi Thomistae duo; unum: dari homini gratiam efficacem ob intermissum libere actum gratiae sufficienti contrarium aut saltem cum respectu ad illum; alterum: decretum ad

actum contrarium praedeterminans non requiri, ut homo revera ponat istum contrarium actum. Ergo libera intermissio actus in omisso decreto praedeterminante actus non potest praevideri. Atqui praescitur tamen ea intermissio; nam ob eam intermissionem aut saltem ratione illius intermissionis habita Deus decernit dare homini gratiam efficacem. Quomodo ergo et ubinam Deus hanc intermissionem actus liberam praevidet? Nihil reliquum est quam ut dicant, praevideri eam a Deo propterea, quia ipse sibi ob infinitam suam perfectionem et perspicacitatem sufficit ad omne verum i. e. omne, quod secundum se cognoscibile est, reapse cognoscendum. Hoc autem adaequatum fundamentum scientiae mediae est imo est ipsa scientia media virtualiter et implicite asserta. Ceterum si quidam Thomistae actus malos a praemotione et praedeterminatione physica excipiunt, saltem argumenta illa duo ex ratione petita ad praemotionem et praedeterminationem physicam in omni ordine rerum stabiliendam collabuntur: unum, quia si esset secus, cessaret Deus esse primus motor; alterum ex naturali indeterminatione voluntatis petitum, quia jam se homo determinaret ipse. Nam ut ex una parte voluntas ad malum agendum naturaliter determinata non est, ita actio mala *actio* est; nihilominus ad malum actum non opus est praedeterminatione physica. Ergo si in eo actu nec naturalis indeterminatio voluntatis nec ratio verae actionis praemotionem et praedeterminationem physicam exigunt, nunquam ob has saltem rationes exigitur; exulat ergo ipsa saltem a toto ambitu naturalium actionum (1). Eam vero ne in supernaturali quidem ordine allatis argumentis Thomistarum probari, jam nominatim ostendemus; nam generatim ob sublatam libertatem praedeterminationem physicam penitus rejiciendam supra demonstratum est.

Quomodo igitur Molinistae, rejecta praedeterminatione physica, explicant Deum dare nobis velle supernaturale, vel, quod idem est, dare nobis voluntatem supernaturaliter bonam? Explicant cum S. Augustino hoc modo, ut propterea dicatur Deus nobis dare ipsum velle supernaturale, et non tantum posse velle, quia Deus det nobis non tantum vires physicas supernaturales, quibus physice potentes evadamus ad supernaturaliter agendum, et quibuscum supernaturaliter agamus, sed eos, qui reipsa supernaturaliter operantur, *talibus* etiam gratiis praeveniat et excitet moraliter, *quibuscum eos praevideat reapse esse consensuros et cooperaturos.* Audiamus, quae Augustinus habeat « de Spiritu et Litt. » c. 34, n. 60: « attendat et videat, *non ideo tantum istam voluntatem* (consensum fidei) *divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est,* quod nobis naturaliter concreatum est (2); *verum etiam quod visorum suasionibus agit Deus, ut velimus et ut credamus,* sive extrinsecus per evangelicas exhortationes... *sive intrinsecus, ubi nemo habet in*

(1) Cfr. circa omnia haec Suarez opuscul. de Concursu l. 1, c. 9, n. 4 sqq.; et l. 3, c. 13, n. 7 sq.

(2) Prout asserebant Pelagiani.

*potestate, quid ei* [*indeliberate*] *veniat in mentem:* sed consentire et dissentire propriae voluntatis est [non praedeterminationis physicae]. *His ergo modis quando agit Deus cum anima rationali, ut ei credat... profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine,* et in omnibus misericordia ejus praevenit nos; consentire autem vocationi Dei vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriae voluntatis est. Quae res non solum non infirmat quod dictum est: « Quid habes quod non accepisti»? verum etiam confirmat. Accipere quippe et habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo: ac per hoc *quid* habeat et *quid* accipiat, *Dei* est; *accipere* autem et habere utique *accipientis et habentis.* Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctat, *cur illi ita suadeatur ut persuadeatur,* illi autem non ita; duo sola occurrunt interim, quae respondere mihi placeat: « O altitudo divitiarum »; « Numquid iniquitas apud Deum »? Cui responsio ista displicet, quaerat doctiores, sed caveat, ne inveniat praesumptiores ». Habes, cur secundum S. Augustinum Deus dicatur nobis dare velle supernaturale, quia scilicet Deus variis modis ut consentiamus allicit idque ita, ut nos scit consensuros esse, et quia Deus (quod loco citato non tam dicitur quam supponitur a S. Doctore) nobiscum scil. gratia sua nobis collata consensum salutarem physice operatur. Horum autem unum jam saepe sufficit ad certas locutiones Scripturae explicandas, ambo simul sumpta certe sufficiunt, ut omnes difficultates ex Scripturis contra Molinistas petitae eleventur. Velut illud ad Philipp. 2, 13 Deus « operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate » *per se* nihil requirit quam ut Deus gratia nobis collata physice cum nostra simul voluntate opus salutare producat, quamvis verum sit altera consideratione addita intellectum pleniorem evadere et luculentiorem. Patet ergo propter hoc, quod Deus dicatur nobis dare bonam voluntatem, opus non esse ad praedeterminationes physicas confugere.

Opponebant Thomistae Molinistis alterum in hac secunda difficultate: nisi gratia efficax in praedeterminatione physica ordinis supernaturalis collocetur, Deum in hominum, etiam rebellium, voluntates non habere absolutam et perfectam potestatem.

Respondent Molinistae, praedeterminationibus physicis utique absolutam quandam Dei in omnes creatas voluntates potestatem exerceri, neque tamen talem, qualis Deo erga libere agentia ut talia sunt conveniat; unde si hoc sibi Thomistae sumant, quasi ipsi soli statutis et assertis praedeterminationibus physicis jura ac dominium Dei in voluntates humanas integra tueantur, ipsos decipi. Male enim defendi, ajunt Molinistae, jura et dominium Dei in voluntates humanas, quando ita defendantur, ut humanae voluntati pereat sua in agendo libertas. Utrumque debet defendi: Deum talem exercere dominatum in omni creata voluntate, ut omnem actum, quem velit, impetrare ab ea possit; neque tamen solum tollenda voluntatis humanae libertate, sed etiam hac libertate servanda. At hoc posterius locum non habet statutis et assertis praede-

terminationibus physicis. Cur Molinistae sentiant cum praedeterminatione physica libertatem non componi, id supra ostensum est. Et revera jura et dominium Dei in voluntatibus hominum, rejecta etiam necessitate praedeterminationum physicarum ad singulos actus, salva sunt et integra. Etenim auctoribus S. Augustino (1) et S. Thoma (2) tot et tam diversa Deo praesto sunt adminicula gratiae ut nulla sit nec esse possit adeo indurata voluntas, quam Deus non possit eo flectere, quocunque ipse velit, etsi instrumenta et auxilia adhibuerit de se mere indifferentia, i. e. voluntatem nullo modo ad unum physice determinantia.

Thomistae replicant, Deum debere hoc perficere posse in qualibet hominis conditione et *quaecunque sint auxilia gratiae excitantis a Deo adhibita*, quippe quae maxime ad conditionem internam subjecti agentis pertineant, *non tantummodo si auxiliis utatur et gratiis congruis* i. e. talibus gratiis, quibus praeviderit hominem reapse consensurum esse: hoc enim habet, inquiunt, sensus catholicus Deum posse hominum voluntates in quibusvis circumstantiis convertere (3).

Respondent Molinistae, sensum catholicum illud utique persuasum habere, quod S. Augustinus scripserit: «Deum malas hominum voluntates, *quas* voluerit, *quando* voluerit, *ubi* voluerit, in bonum posse convertere» (Enchirid. c. 98), neque tamen sensum catholicum propterea etiam alterum hoc persuasum habere, talem conversionem *omni* prorsus auxilio gratiae in homine infallibiliter divinitus effici vel effici posse. Hoc enim videtur esse contrarium ipsis naturis et essentiis rerum, quae immutabiles sunt, nec ullo divino testimonio vel leviter id indicatur. Afferant Thomistae hujusmodi testimonium; neque tamen afferant illud: «voluntati ejus quis resistet?» (Rom. 9, 19); hoc enim et alia similia ad rem non pertinent. Nemo profecto impedire potest, ne Deus consequatur id, quod absolute intendit ac vult; at id Deum infallibiliter *omni* auxilio a libera voluntate impetrare posse istis verbis non continetur. Contrarium autem naturis rerum est, velle ut determinatio ad actum vel actio sit simpliciter libera i. e. in decisione et electione voluntatis creatae relicta, et nihilominus postulare simul, ut voluntas, quemcunque tandem Deus antecedentem gratiae influxum adhibuerit, nihilominus eo infallibiliter flectatur, quo Deus eam flecti absolute velit. Debet Deus hominem in re proposita ita vocare, quomodo scit, hominem libere esse obsecuturum; id est, debet hominem vocare auxilio vel gratia congrua. Aliquibus hic videtur systema Thomistarum adscribere Deo ampliorem potentiam in voluntatibus hominum, si physicis utatur praedeterminationibus, quam systema Molinistarum, si congruis utatur gratiis et propterea magis in illud, quia Deo gloriosius, inclinant. At non nemo fortasse exsistimabit hanc opinionem, proficisci a minus claro conceptu potentiae Dei ejusque indolis.

(1) Cfr v. g. ad Simplic. l. 1, q. 2, n. 13 sq.
(2) Cfr De Ver. q.6, a 3.
(3) Cfr Billuart II. diss. 6, art. 6 § 6.

Est enim potentia Dei *ipsa rationalis voluntas Dei ut sic quatenus vult aliquid esse*, aut si ab hac rationali voluntate virtualiter distinguitur, est saltem aliquid, quod hac rationali voluntate totum regitur et administratur. Nulla autem rationalis voluntas in id, quod agens videt metaphysice repugnare, tendere potest, ut id esse velit ac iubeat. In nihilum enim tenderet. Ergo ne Dei quidem voluntas in aliquid hujusmodi tendere decernendo potest. Atqui secundum Molinistas in hujusmodi objectum voluntas Dei tenderet, si auxilium efficax vellet, quod sine respectu ad liberum usum consensumque voluntatis futurum et praevisum, per se solum et sola sua vi et tendentia physica liberam voluntatem in definitam et certam determinationem actionemque salva voluntatis libertate infallibiliter traheret. Talis enim influxus simul indifferens esset, utpote qui voluntati suam libertatem i. e. indifferentiam activam saltem ad actionem et non actionem relinqueret, et simul esset minime indifferens, utpote qui physica vi et tendentia voluntatem infallibiliter, ineluctabiliter, invincibiliter, in certam determinationem et actionem pertraheret.

Et revera, si Thomistae nihil asserunt contra sensum catholicum et dominium Dei, quando contendunt, non posse Deum consensum salutarem impetrare nec efficere nisi solis gratiis Thomistice efficacibus i. e. physice praedeterminantibus; liceat item Molinistis asserere, talem consensum Deum non posse infallibiliter impetrare atque efficere nisi solis gratiis congruis i. e. gratiis, quas Deus efficaces esse futuras ab aeterno praeviderit. Haec enim, quae a praevisione consensus est, congruitas auxilii, ab omnibus Molinistis in auxilio efficaci ut sic, passim postulatur atque asseritur (1).

(1) Congruam ergo gratiam defendunt Molinistae. « Incongruam » vero aliquam gratiam dicere omnes Molinistae renuunt. Hac enim voce significaretur gratia, quae ab hominis ingenio et ab ea conditione, in qua versatur, *positive aliena* esset; quae non solum non esset congrua, sensu specifico, sed etiam ad finem sibi praestitutum, productionem operis salutaris, positive parum idonea. Gratia igitur mere sufficiens *non est congrua eo specifico sensu*, quo efficax gratia congrua esse dicitur; *est vero congrua sensu generico*, quatenus etiam ipsa indoli hominis adiunctisque omnibus accommodata est, licet conditioni ingenioque hominis non sic aptetur, ut *de facto* finem suum, opus salutare, consequatur et producat. Cfr S. Aug. 1 ad Simplic. q. 2, n. 13. Falsum est igitur id, quod Billuart « de gratia » diss. V, art. 1, § 2, n. V ait : « In hoc (igitur) systemate Patres Societatis agnoscunt duplicem gratiam: *unam incongruam* alteram congruam ». Inepta satis et Deo vix non injuriosa esset locutio, si ea reapse uterentur Molinistae : quasi Deus ad finem operis salutaris, quem omnis actualis gratia de se prosequitur, parum idoneas conferret hominibus gratias. — Numquid igitur omnis gratia congrua atque efficax differt secundum Molinistas, entitative et intrinsecus seu quadam in actu primo energia ab illa altera gratia, quae in iisdem ceteroquin rerum personarumque adiunctis congrua non est? Nequaquam haec gratiae inter se necessario entitative differunt. Differentia pendet ab usu, quem libera voluntas cum collatis sibi excitante gratia viribus moralibus et physicis factura est : si voluntas his viribus mota aucta et adjuta consensum salutarem revera elicit, est fuitque congrua gratia, sin secus, congrua gratia non fuit. Patet itaque, quod supra dicebamus in textu, congruitatem tandem praedicari in sensu Molinistico de gratia ob consensum liberum de facto futurum, non ob gratiae accommodationem ad subjectum ejusque circumstantias, quamvis etiam talis accommodatio plane deesse in gratia congrua non possit; imo absolute fieri potest, ut haec accommodatio sit major in ea gratia, quae sensu specifico et Molinae congrua non est quam in ea, quae est vere et perfecte congrua.

Ergo distinctio quam quidam faciunt : inter Molinistas simpliciter et Congruistas, quasi uni adaptationem gratiae congruae ad subjectum agens docerent, non alii, fundamento caret. Cfr Schne-

Habet hic Billuart, quod vituperet. Ait enim II. §VI. « in systemate scientiae mediae Deus non potest salva libertate, voluntatem inclinare in consensum in iis circumstantiis, in quibus praevisa est dissensura ». —Quod his verbis reprehenditur, nihil est aliud, quam quod secundum Molinistas Deus non potest efficere, ut praevisio sua falsa fuerit. Quae sane mira objectio est. An non falsam redderet Deus praevisionem suam, si praevidens in talibus circumstantiis adaequate sumptis et nihil iis immutatis voluntatem dissensuram, ipse efficeret, ut nihilominus consentiret? Si autem voluntas consentiret alio auxilio gratiae denuo addito mentique immisso, quod sane fieri etiam secundum Molinistas potest, voluntatem quidem inclinaret Deus efficaciter in consensum, at non omnes circumstantiae eaedem prorsus essent, sed solae externae atque eae etiam internae, quae in illo novo auxilio gratiae constitutae non sunt. Major autem et amplior potestas Dei ad immutandas liberas hominum voluntates, salva earum libertate, quam ea, quae modo asserta est auxiliis congruis, imo potestas, quae Dei praevisionem falsam redderet, contra naturas rerum et summa cum divinae perfectionis injuria postularetur. Hujusmodi ergo non oportet a Molinistis postulare.

At secundum Molinistas Deus respicere debet, qui futurus sit sub certis conditionibus liber voluntatis consensus, ut infallibiliter hunc consensum liberae creaturae gratiis de se indifferentibus i. e. non physice praedeterminantibus, obtineat.

Hoc autem Deo ejusque gratia indignum est. Subditur enim jam auxilium Dei voluntati arbitrioque hominis, pedisequa evadit gratia liberae voluntatis, non est ejus domina, et jure meritoque talis gratia vocatur versatilis. Ipse vero Deus jam debet voluntates hominum decisionesque explorare, ut decreta et consilia sua apta ad finem capiat.

Esset fortasse, quod Thomistae jure, hic vituperarent, si secundum Molinistas voluntas nec praevie mota a gratia excitante Dei nec in ipso actu consensus *physice et intrinsece roborata et adjuta per gratiam*, sed solis naturalibus viribus diceretur sese ad opus salutare determinare, seu quod re idem est, consensum salutarem elicere. Ita enim aliquomodo gratia liberi arbitrii pedisequa recte diceretur. At quomodo voluntas, quae nisi gratia in supernaturalem sphaeram *moraliter atque physice* a Deo efferatur et deinceps continenter in toto, quamdiu producitur, opere salutari gratia in ipsa sustentetur, nihil supernaturale velle aut agere potest secundum Molinistas, *non verissime subsit* gratiae, id non videtur posse intelligi.

mann II p. 16; Suarez « de Aux. » l. 3 cp. 14, n. 7, 8, 9; ubi notabis verba haec in fine n. 8: « non sufficere efficaciam, quam poterat habere vocatio ex peculiari congruitate ad ingenium vel conditionem Pauli aut Matthaei, sed oportuisse, ut Deus etiam observaret tempus, in quo *praesciret vocationem illam fuisse effectum habituram*, si daretur, et etiam disertius « de Grat. ». l. 5, c. 25; n. 4 sqq. Suarez autem ut princeps congruistarum laudatur. Omnes Molinistae in congruitate gratiae explicanda, quod rem attinet, ejusdem sententiae sunt.

Nec «versatilis» est aut «pendula» gratia actualis praeveniens quam Molinistae defendunt. Nam unum constanter omnis hujusmodi gratia secundum Molinistas scopum prosequitur, neque ulla vi potest in alium scopum deflecti. Scopus autem est opus salutare. Quod autem tale est, sane versatile et pendulum non est. Nec quidquam officit, quod quae est omnis praevenientis gratiae indoles secundum Molinistas, sive ea mere sufficiens manet, sive congrua est, et opus salutare reapse producit, ipsa ab homine potest, quantum est ex ipsius propria natura *negligi*. Neque enim id quod negligi potest, versatile est, sed id quod potest in varias partes et directiones verti. Hoc autem de nulla gratia secundum Molinistas verum est. Abusus ergo vocis est, gratiam, quam defendunt Molinistae, versatilem dicere. Idem dic de alia injuriosa appellatione, quo pendula dicitur gratia, quasi possit secundum Molinistas in diversas partes agitari et incerta fluctuet.

Addebant Thomistae, ipsum Deum, ut decreta sua apte ad finem caperet, debere secundum Molinistas hominum voluntates et decisiones «explorare». Dicatur ita: Deum hominum voluntates et decisiones liberas secundum Molinistas clarissime intueri atque praevidere in distribuendis gratiis capiendisque decretis (1). Nam secundum Molinistas profecto opus non est, ut Deus adhibeat, studium quoddam et conatum, ut cognoscat, quidl ibera voluntas electura sit sub gratia; quale studium vox explorandi indicare videtur; sed ob infinitam suam perfectionem et perspicacitatem clarissime videt et intuetur omnia, quaecumque quomodocumque cum ipso cohaerent et vera sunt; ergo etiam quid voluntas creata in certis conditionibus sit actura. Hoc dixisse de scientia Dei modo sufficiat ad repellendam objectionem, quod Molinistae Deum subjiciant homini ab eoque dependentem in cognoscendo et volendo faciant. Nulla enim Dei subjectio est, nec qualiscunque ab homine dependentia, quando asseritur, Deum talem esse, ut omne verum perfecte ex sese cognoscat suaque decreta perfectissima notitia rerum praelucente concipiat.

At dices: Saltem minus est ex concessis dominium Dei in voluntatibus liberis secundum Molinistas quam est in rebus necessariis. In his enim despotice motus excitare potest, in illis non potest. Dominium autem Dei in omnes res idem est. Respondetur quod dominium juris attinet, si ita loqui licet, hoc evidenter in utraque sententia et Thomistarum et Molinistarum idem competit Deo in omnes omnino res creatas. De hac re nemo dubitat. Quod autem attinet dominium facti et exsecutionis, censent Molinistae cum S. Thoma, ut supra jam diximus, Deum posse etiam voluntates hominum necessitare ab intrinseco, non minus quam res non liberas v. g. eas praedeterminando physice ad unum agendum. Unde etiam despotice de eis disponere potest. At ut patet, ita jam non ut entia libera tractantur, nec libere agunt. Quando vero Deus eis libertatem in agendo relinquere vult,

(1) Quod idem dicit S. Augustinus de divina praedestinatione agens, « de dono perseverant ». c. 17, n. 41.

non debet elementa in voluntatem inducere, quae formalem rationem libertatis in agendo destruunt: id enim perinde esset, ac si hominem vellet condere inserendo ei principium, quod causaliter vel formaliter impediret, quominus homo exsisteret animal rationale. Quare si Deus vult et homini connaturalem libertatem in agendo relinquere et nihilominus ejus voluntatem eo flectere, quo ipse vult, debet instrumenta adhibere, quae indifferentiam activam voluntatis in usu non tollant, quae tamen hominem eo de facto perducant, ut reapse id velit, quod Deus vult eum velle, i. e. non debet hominem physice praedeterminare, sed motus gratiae sollicitantes quidem hominem ad bonum, neque tamen voluntatem ejus physice determinantes ad unum, in homine ciere, eosque tales, quibus praevidet hominem de facto libere esse consensurum, seu uno verbo debet congruas immittere gratias. Hoc autem nullo modo est Dei dominium in causis liberis imminuere, sed affirmare, Deum non posse formales et essentiales rerum rationes immutare. Qui aliter opinaretur, deberet etiam dicere, propterea imminui dominium Dei in equo, quia *in equo non potest ciere actum videndi*, non concurrente vitaliter ipso oculo equi. Si ergo hoc nullum involvit imminutum dominium Dei in equo, ne dicatur alterum involvere imminutum dominium Dei in homine ; ejusdem enim haec duo, pro natura cuiusque, rationis sunt.

At saltem secundum Molinistas voluntas inchoat solis viribus naturalibus opus salutare, coepto demum operi gratia se insinuat. Hoc autem Semipelagianum est.

Respondent Molinistae, nihil esse a sua mente magis alienum. Videri autem Thomistas non recte intelligere modum quendam loquendi, quem Molinistae utique non raro usurpent, sed qui definitionibus Concilii Tridentini totus innitatur (1) ! Nam dicere solent Molinistae, in potestate voluntatis utrumque esse, num velit gratiae excitanti et moraliter eam moventi consentire, an velit ab ea dissentire. Hoc autem dictum nec apud Molinam (nec supra apud Augustinum) nec in ipso Tridentino significat, posse liberum arbitrium solis viribus naturae gratiae excitanti et moraliter ad opus bonum impellenti consentire, prout oportet ad salutem. Haec igitur sententia tantum valet ac si dicatur : gratiam naturae se accommodare. Cum porro natura voluntatis ea sit, ut solo bono, quod sub omni consideratione perfectum apparet, necessario ad volendum moveatur et determinetur, ceteris bonis non ita moveatur et determinetur, propterea voluntatem etiam sub gratiae excitantis influxu, licet hic, si adaequate spectetur, is sit, ut 1° mentem oblata boni specie illuminet, 2° voluntatem indeliberatis motibus inspiret, 3° utramque facultatem *intrinsecus et physice in supernaturalem sphaeram eleret*, nihilominus conservare connaturalem suum operandi modum, qui hic est, ut libere operetur, et ipsa se ad agendum determinet, non ab alio

(1) Sess. 6, can. 4 et cap. 5. Cfr. Vatican. cap. 3 « de fide cath. ».

determinetur. Et profecto, si id aliter esset, si voluntas sub gratiae influxu, quicunque tandem esset, amitteret agendi libertatem, cum libertas arbitrii et actionis ad meritum mōrale essentialiter requiratur, jam supernaturale meritum nullum esset, — neque tamn hoc postulcatum, ut voluntas sub influxu gratiae indifferens ad agendum maneat, atque secundum indolem sibi propriam agat, secum fert, ut liberum arbitrium a gratia excitatum et motum solis viribus naturae operetur aut saltem incipiat operari. Contra indicatur manifesto et ut aliquid necessarium ad actum salutarem prorsus exigitur, ut liberum arbitrium illum actum eliciat, ut est gratia intrinsecus et physice roboratum et elevatum, non solum moraliter illuminatum et inspiratum (1). Ergo non tum demum gratia sese immiscet secundum Molinistas operi salutari, postquam coeptum est, quod in actu voluntatis, cujus substantia in indivisibili consistit, plane absurde diceretur, sed totum opus est a gratia, seu rectius : est totum opus a voluntate non secundum vires mere naturales operante, sed operante ut est principium gratia intrinsecus et physice super naturalem suam conditionem elatum et confirmatum, moraliter vero eadem gratia illustratum et inspiratum. Quid autem in hac doctrina Semipelagianum inest? Nonne virus Semipelagianae doctrinae in hac re situm erat, quod mere naturalem conatum voluntatis fundamentum fingebat et quasi radicem omnis actus meritique supernaturalis (2) ? Nihil ergo Molininistis cum Semipelagianis commune est, quandoquidem Molinistae nihil omnino volunt esse quomodocumque salutare salutisque initium, quod non a voluntate supernaturalibus viribus moraliter et physice operante procedat.

Liquet jam, quomodo illud Apostolicum dictum : « Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti ? »( I Cor. 4, 7 ), quod Thomistae constanter contra Molinistas urgent, etiam in sententia Molinistarum luculentam habeat veritatem et explicationem. Formalis discretio opere salutari fit. Hoc omnes consentiunt. In hac autem formali discretione non homini sed gratiae plane dominantes id est praecipuae partes conveniunt ; non enim homo jam in ea operatur se-

(1) In hac assertione consentiunt omnes Molinistae. Cfr Palmieri « de Gratia Actuali » thes. 14 et 15, thes. 24 et thes. 18 n. ; Molina Concord. Qst. 14, a. 13 disp. 37, § « Cum autem » et ibid. disp. 38, § « Illud deinde » et sq.; Vasquez in 1m 2ae disp. 185. c. 2 ; Ripalda « de ente supernat. » disp. 113 ; Ruiz « De scientia Dei » disp. 38, s. 2, « de Providentia Dei » disp. 35, s. 5. Atque hi quidem sicut etiam Lessius aliique non tantum docent hoc, quod formaliter in assertione continetur, potentiam salutariter operantem *intrinsecus et physice elevatam et roboratam* opus salutare perficere, id quod omnes docent ; *sed insuper etiam hoc*, illam elevationem et corroborationem physicam fieri ipsa gratia *excitante* ; contra Suarez « de Gratia » l. 3, c. 17 sqq. — cfr c. 13 et c. 16. — opinatur, eam elevationem fieri novo immediato influxu Dei, a gratia excitante realiter diverso. Priorem sententiam secuti sumus in expositione systematis Moliniani, utpote quae et auctoritate et ratione theologica multo magis commendetur. Vide inter alios Palmieri ll. thes. 18, n. VI sqq. Cfr Schneemann ll. p. 14, not. 2.

(2) Cfr v. g. Scheeben ll. III 2· n. 213 sqq. imprimis vero Schneemann ll. p. 291 ubi laudantur verba Pauli V. quibus finem imposuit congregationibus de auxiliis gratiae, et sicuti Dominicanos ab accusatione Calvinismi, ita Jesuitas ab incusatione Pelagianismi liberavit. Cfr ibid. p. 295 « Secundum ».

cundum vires ipsi proprias et naturales, sed quatenus gratia vires ejus supernaturaliter elevatae et auctae sunt. Simul utique verum est alterum, hoc opus formalis discretionis non sine homine fieri, sed fieri ab ipso libere *viribus supernaturalibus consentiente*. Quod ita esse prorsus necessarium est. Nam de actu humano et meritorio eliciendo agitur. Constat igitur in sententia Molinistarum, non hominem ut sic et formaliter sumptum se opere salutari discernere, sed quatenus gratuito Dei dono in supernaturalem ordinem divinitus translatus sit, aut habitualiter aut saltem gratia actuali transeunter. Hoc unum. Multo magis etiam veritas Apostolici dicti in sententia Molinistarum patet, quando alterum insuper momentum additur. Apud Molinistas verissimum est, in potestate unius Dei tandem constitutum esse, quamnam homo gratiam, quamnam seriem gratiarum in tempore consequatur: num illam, quam Deus ab aeterno praevidit futuram esse, si detur, efficacem, an tantum illam, quam ab aeterno praevidit, fructu operis salutaris esse carituram. Gratiae autem efficacis conferendae decreto opus discretionis causaliter et radicaliter peragi manifestum est. Quoniam igitur tandem apud unum Deum decretum est, quamnam gratiam simus in tempore habituri, etiam apud Deum unum nostra discretio radicaliter et causaliter tota reposita est. Discretio itaque jure meritoque uni Deo ab Apostolo tribuitur 1° quia in ipsa formali discretione gratiae Dei praecipuae et plane dominantes partes sunt moraliter et physice, et quidquid humanae activitatis et studii in ea invenitur, id omne ab homine, prout est divinitus novis physice viribus auctus et moraliter motus, proficiscitur ; et quoniam 2° radicalis discretio denique apud unum Deum est, exclusa omni hominis cooperatione et omni merito saltem stricte dicto pro sequentibus etiam gratiis efficacibus. Quae cum ita sint, etiam illa alia Apostoli verba: « non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei » (Rom. 9, 16), in sententia Molinistarum plenissime vera sunt. Apud unum enim Deum secundum Molinistas et alia sunt auxilia et hoc decretum, quaenam gratia gratiarumque series, gratiaene efficaces an gratiae mere sufficientes homini praeparentur ac praedestinentur, quemadmodum ex iis, quae dixi, satis liquet. Ergo quamvis non tantum currere sed etiam velle proxime apud currentem et volentem sit; nam posset, utpote qui liber in agendo sit et meritorie operetur, non currere et non velle, tamen ut de facto libere currat et libere velit, *ultimatim tandem apud Deum est*, qui talem ordinem rerum talesque gratias elegit hominique paravit, in quo et quibus libere eum consensurum esse, libereque cursurum ab aeterno praevidit. Ergo tandem aliquando cursus atque volitio non volentis, neque currentis, sed unius miserentis est Dei.

Audiatur jam, quomodo S. Augustinus unum et alterum locmu Apostoli explicet. De priore in ep. 186 ad Paulinum c. 2 haec habet: « Quis nos, nisi qui venit quaerere et salvare quod pericrat, ab illa

perditionis massa et concretione discernit? Unde Apostolus interrogat dicens: quis enim te discernit? ubi si dixerit homo: fides mea, voluntas mea, bonum opus meum, respondetur ei: quid enim habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Hoc utique totum ideo, *non ut homo non glorietur, sed ut qui gloriatur, in Domino glorietur*, non ex operibus, ne forte quis extollatur. Non quia bona opera frustrantur [ i. e. praemio carent ], cum Deus reddat unicuique secundum opera ejus, sitque gloria et honor et pax omni operanti bonum, sed *quia opera ex gratia*, non ex operibus gratia; quoniam fides, quae per dilectionem operatur, nihil operaretur, nisi ipsa dilectio Dei diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Nec ipsa fides esset in nobis, *nisi Deus unicuique partiretur mensuram fidei* ». Quid hic S. Doctor dicit, quod sit proprie Thomisticum, quod non idem Molinistae omnes dicant? De altero vero in Enchiridio c. 32 haec exstant: « Quomodo non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, nisi quia et *ipsa voluntas*, sicut scriptum est, *a Domino praeparatur*? Alioquin, si propterea dictum est « non est volentis » etc., quia ex utroque fit, [secundum explicationem Pelagianorum] id est et voluntate hominis [praecedente] et misericordia Dei [accedente], ut sic dictum accipiamus « non volentis. . . » tanquam diceretur : non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei ; non ergo sufficit et sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis, ac per hoc, si recte dictum est: « non volentis hominis, sed miserentis est Dei », quia id voluntas sola non implet; cur non e contrario recte dicitur: non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia id misericordia Dei sola non implet? Porro si nullus dicere christianus audebit: non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, ne Apostolo apertissime contradicat; restat ut propterea recte dictum intelligatur: « non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei », *ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam et praeparat adjuvandam et adjuvat praeparatam* ».

In quanam autem re haec voluntatis per Deum praeparatio ponenda sit, id clarissime S. Doctor edocet in 1. ad Simplicianum c. 2, n. 12 sq. Hunc porro locum, quem S. Augustinus secundo episcopatus sui anno scripsit, senex in libris Retractationum et alias rursus approbavit (1). Ipse autem eo magis nobis afferendus videtur, quoniam non solum textus, de quo agimus, luculentam expositionem sed etiam omnia aut fere omnia elementa *continet, quibus pluribus saeculis postea Molina usus est ad suum systema conficiendum* atque ad doctrinam catholicam

(1) Cfr l. 2 Retract. cap. 1; de Praedestin. Sanct. cp. 4; de Dono Perseverantiae c. 20 et 21. Nec limitata quaedam approbatio datur his locis doctrinae a se in Epistola ad Simplicianum expositae, prout interdum placet suggerere Thomistis, sed plena et integra. Hoc patebit omni, qui locos integros legerit. Nihil tamen dubitandum, quin afferri possint quaedam ex his locis incisa, quae si praeter contextum proferantur, videantur continere nihil quam laudem certi cujusdam puncti doctrinae de gratia hic propositae. Cfr v. g. Billuart « De Deo » di 6, art. 6, § 9 « objicit ». 2°.

de gratia et libero arbitrio contra impetus novatorum saeculi decimi sexti magno cum vigore defendendam.

Ait igitur S. Doctor: « Illa etiam verba, si diligenter attendas: « Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei », *non* hoc Apostolus *propterea tantum* dixisse videbitur, *quod adjutorio Dei ad id, quod volumus, perveniamus* »; — ergo non solum opera strictius dicta debentur Deo — « sed etiam ex illa intentione, qua et alio loco dicit: « Cum timore et tremore vestram ipsorum salutem operamini; Deus enim est, qui operatur in vobis *et velle* et operari pro bona voluntate » (Philip. II, 12. 13). *Ubi satis ostendit etiam ipsam bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri . . . Nam si quaeramus utrum Dei donum sit voluntas bona, mirum si negare quisquam audeat. At enim quia non praecedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo recte tribuitur, quod bene volumus,* nobis vero tribui non potest, quod vocamur. Non igitur ideo dictum putandum est: « Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei », quia nisi ejus adjutorio non possumus adipisci quod volumus, *sed ideo potius, quia nisi ejus vocatione non volumus* ». Ob vocationem igitur i. e. ob gratiam excitantem Deo tribuitur bona nostra voluntas; num ob omnem an ob certam quandam vocationem? — « Sed si vocatio ista ita est effectrix bonae voluntatis, *ut omnis eam vocatus sequatur*, quomodo verum erit, « Multi vocati, pauci electi »? Quod si verum est, et non consequenter vocationi vocatus obtemperat, atque ut non obtemperet in ejus est positum voluntate, recte etiam dici potest: Igitur non miserentis est Dei, sed volentis atque currentis est hominis; quia misericordia vocantis non sufficit, nisi vocati obedientia consequatur ». Sed hoc dici licere supra alio loco negaverat. Itaque, ut ex hac difficultate se expediat, novum quoddam affert argumentum, unde appareat, tandem *totum* salutis opus Deo recte tribui.

« *An forte illi* », inquit, « *qui hoc modo vocati non consentiunt, possentalio modo vocati accommodare fidei voluntatem, ut et illud verum sit « Multi vocati, pauci electi » ut quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei capiendae reperiuntur idonei, et illud non minus verum sit: « Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei », qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui vocati secuti sunt vocationem* »? — Haec quidem hic dubitantis in modum proferuntur, mox vero ab Augustino, ut continentia veram difficultatis solutionem approbantur. *Ob congruam igitur vocationem* seu ob vocationem, quam Deus praevidebat homini profuturam, totum opus salutare tandem Deo attribuendum est; non propterea quod entitative alia sit vocatio eorum, qui vocationi consentiunt et salutariter operantur, alia eorum, qui minime consentiunt: «uno enim modo», si entitatem auxilii spectes, vocantur ambo, qui consentiunt et qui non consentiunt. Haec sane Molinistice dicta, non Thomistice. Audiamus jam, quae S. Augustinus porro disputet.

« Ad alios autem vocatio quidem pervenit, sed quia talis fuit, qua moveri non possent, nec eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi. Et non jam similiter verum est: Igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis, quoniam non potest effectus misericordiae Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit; *quia si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut et moverentur et intelligerent et sequerentur* ». — Ad haec nota : impossibilitas motionis, quae initio hujus paragraphi asseritur his verbis : « talis fuit vocatio, qua moveri non possent », sequenti immediate inciso reducitur in hominem, non in naturam vocationis his verbis; « nec eam capere apti essent » (cf. supra : « qui ei capiendae reperiuntur idonei ») ; quod Molinistice utique dici potest : scilicet, quia quod suum erat, minime praestabant, ideo eam capere (moveri) apti non erant. Thomistice id dici non potest. Quis enim vocatus ineptus est ad praemotionem et praedeterminationem physicam indeclinabilem et insuperabilem recipiendam ? Plane etiam consentaneum est doctrinae Molinianae id, quod sequitur : « posset (Deus) ita *vocare* [non ait determinare], quomodo illis aptum esset, ut et moverentur et intelligerent (*cogitatio congrua*) et sequerentur ». Revera Molinistice omnia haec intelligenda esse (si qua dubitatio manet), ex sequentibus magis patebit ; ibi clare apparebit, eam impossibilitatem esse impossibilitatem, quae consequitur decisionem liberi arbitrii, non quae eam antecedit : non potest fieri, non possunt moveri, quia Deus praevidet de facto id non fieri, eos non moveri, quae utique praevisio Dei, cum falsa esse non possit, supponatque actum liberum hominis, inducit necessitatem pro homine consequentem usum liberi arbitrii.

« Verum est ergo : « Multi vocati, pauci electi ». *Illi etenim electi, qui congruenter vocati ;* illi autem, qui non congruebant neque contemperabantur vocationi, *non electi, quia non secuti,* quamvis vocati. Item verum est : « Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei », quia etsi multos vocet, *eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur. Falsum est autem, si quis dicit : Igitur non miserentis Dei, sed volentis atque currentis est hominis, quia nullius Deus frustra miseretur ; cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat* ». Cfr « de Civ. Dei » l. 5, c. 9.; Lib. « de dono perseverant. » c. 14, 35; c. 17, 41.

Constat 1° ex hoc loco rem se ita habere, quemadmodum supra diximus, scl. propterea secundum S. Augustinum non esse volentis neque currentis sed miserentis Dei velle nostrum et currere nostrum i. e. consensum nostrum salutarem et exsecutionem consensus, quia tandem in unius Dei electione situm sit, quasnam gratias simus habituri. Potest enim nos sic vocare et excitare, quomodo praevidet, nos esse libere cooperaturos, si ita vocemur, (« quomodo scit ei congruere ut vocantem non respuat ») ; potest etiam aliter nos vocare, quamvis praevideat, nos sic vocatos minime esse obsecuturos.

Sed porro 2° etiam hoc liquet, secundum S. Augustinum harum vocationum differentiam, quod attinet ad salutarem effectum aut reapse producendum aut de facto non producendum, niti nequaquam in necessario quodam et entitativo discrimine harum vocationum et auxiliorum secundum se, quasi unum auxilium necessario aliquid moralis vel physicae energiae antecedenter contineat, quod alterum non contineat vel minore gradu contineat; sed cum uno aeque atque altero auxilio liberum arbitrium omnino sufficientibus ad usum salutarem viribus moralibus et physicis instruatur, ab ipso hoc libero usu tandem aliquo modo pendet, fuerint ne ea auxilia sensu stricto et specifico efficacia auxilia an inefficacia sensu specifico (1).

3° constat porro, hunc ipsum liberum usum, quamvis liber sit, nihilominus *num reapse in tempore futurus sit necne*, tandem ab uno dependere Deo, qui pro sua scientia et libertate, potest vel potius ab aeterno potuit decernere, quasnam gratias simus in tempore habituri: illasne, quas ipse ab aeterno praevidit efficaces futuras esse, si dentur, an alias, quas quidem ad salutariter operandum omnino sufficientes esse, cognovit, quibuscum tamen nos non esse cooperaturos tum, cum dentur, simul praevidit: Si ergo priores dare decernit, erit actus infallibiliter; si posteriores, infallibiliter non erit actus; et si absolute actum aliquem esse vult, dabit priores, posterioribus aut non datis aut simul cum prioribus datis.

Unde tandem 4° constat, secundum S. Augustinum finalem in bono perseverantiam et ipsam praedestinationem adaequate sumptam ad gratiam et gloriam simul, Dei erga hominem singulare et eximium donum et beneficium esse. Ipse enim, nullis prorsus hominis praecedentibus meritis — nam merita conditionate praevisa, nulla certe vera et realia merita sunt — solus pro suo arbitratu bonitate et sapientia decernit atque decrevit, quasnam gratias, quamnam seriem gratiarum habituri simus, efficaces et inprimis efficaces finaliter, an mere sufficientes aut saltem finaliter non efficaces.

Denique 5° in his omnibus satis clare et assertam videmus et suppositam illam Dei scientiam quam Molina vocavit mediam, de qua mox plura. His autem primaria omnia vel fere omnia systematis Moliniani lineamenta contineri, probatione non indiget. Cfr ipse Molina « de Concord.» q. 23, a. 4 et 5, disp. 5, membr. ultim. § « Non pro nostra » sqq.

In his, quae modo dicta sunt, continetur solutio alius cujusdam difficultatis, quam Thomistae contra Molinistas non raro afferunt. Ajunt quae sit sententia Molinistarum de gratia efficaci, homines nec posse pro ea accepta Deo speciales gratias agere, nec posse, ut Deus sibi det bonam voluntatem, ab eo petere. Nam secundum Molinistas

(1)Sensu generico omne auxilium vere sufficiens est efficax i. e. aptum est ad *revera* efficiendum opus bonum, consensum salutarem, neque tamen sensu specifico i. e. non infallibiliter efficit.

Deus dat homini vires tantum et posse, homo vero sibi ipse dat velle et agere. Quod autem ipsi nobis damus, pro eo nec obsecramus alium, ut accipiamus, nec gratias agimus, quando adest. Ergo possumus quidem et debemus petere, ut instruamur gratiis sufficientibus, quae dant vires et posse, itemque his datis gratias agere ; pro bona vero voluntate neque oratio fundenda est ad Deum, ut detur, neque pro data gratia efficaci ( quatenus a sufficienti distinguitur ) speciales Deo gratiae habendae (1). Haec autem sunt falsissima.

Sed evidens est e superiore disputatione, licet gratia efficax prae ea, quae efficax sensu specifico non est, si mere entitative et physice spectetur, majus Dei donum necessario non sit, eam tamen moraliter esse semper incomparabiliter majus donum et beneficium Dei, quia in ipsa suo modo et ex divina intentione absoluta consequens etiam bonus usus gratiae meritumque supernaturale homini confertur. Quomodo porro negari potest, Deum, qui possit dare gratiam mere sufficientem, non moraliter multo amplius aliquid dare, quando gratiam, quam praevidet efficacem, *largitur ut efficacem* et cum intentione absoluta, ut sit efficax? Haec adeo evidentia sunt, ut uberiore expositione non indigeant. Ergo minime dubium est, quin Deo pro dono gratiae efficacis ut est efficax, speciales debeantur gratiae, specialis animi gratitudo.

Hominem autem non posse secundum doctrinam Molinistarum petere a Deo bonam voluntatem, id supposita prima gratia ad orandum sine ullo fundamento ab adversariis dicitur. Nam quid est bonam voluntatem a Deo petere, nisi gratiam efficacem petere? Cur autem non possumus saltem tam bene a Deo gratiam efficacem petere, si ipsa sita est in gratia congrua ulteriore, quam si posita est in auxilio praedeterminante ulteriore? nemo facile hoc dixerit. Maius enim beneficium Dei esse gratiam efficacem quam mere sufficientem, modo ostendimus. Utique primum auxilium efficax ad orandum non possumus ullo modo, ne orando quidem, obtinere et petere, quia ipsa prima rogatio et oratio gratiae efficacis prioris et orationem antecedentis effectus et fructus est. Hanc igitur non impetrat, sed supponit prima oratio, ulteriores vero gratias efficaces petere a Deo possumus et debemus. Ergo hae quoque Thomistarum difficultates, quasi in doctrina Molinistarum specialis gratiarum actio pro gratia accepta efficaci locum non habeat, nec possit homo a Deo petere bonam voluntatem, solido fundamento carent.

Attamen unum non possunt negare Molinistae, frequenter se dicere, liberam hominis voluntatem gratiam Dei reddere efficacem. Quare non possunt Deo in acceptis referre ipsam efficaciam gratiae, sed sibi eam debent adscribere.

Respondent Molinistae, posse utique absolute formulam istam loquendi perverse intelligi ; cum suis vero explicationibus mirum satis esse, si perverse intelligatur. Sentiunt itaque Molinistae 1° negative contra

(1) Cfr v. g. Billuart « de Gratia » diss. 5, a. 6. § « Probatur rationibus » 4° et 5°.

Thomistas, gratiam efficacem non ideo efficacem esse, quia propter physicam suam naturam et ab intrinseco, et proinde indeclinabiliter et insuperabiliter sensu Thomistico (1), voluntatem secum in consensum determinatum pertrahat. Neque 2° dubium est, quin nequaquam *a solo effectu consequente (salutari hominis consensu) ratio efficacis gratiae adaequate proveniat.* Quas enim *vires* morales et physicas gratia efficax habet, quibus voluntas mota et aucta salutariter operatur et consentit, quandocunque consentit salutariter (« *efficaciam virtutis* »), eas profecto non a consequente consensu gratia habet sed a seipsa. Quod deinde 3° ad ipsum consensum attinet, is proxime quidem a voluntate gratia illuminata et inspirata, elevata et roborata elicitur, et propterea exsistit quia voluntas libere consentit. Remote tamen suam primam radicem habet in Deo, quatenus Deus largiens gratiam, quam praevidet congruam et efficacem fore, eam ut efficacem largitur et cum intentione absoluta saltem consequente ut fructum boni operis reapse producat. Quare vel *priusquam homo ei reapse consentiat et cooperetur, jam suo modo ea gratia in actu primo efficax est, non solum efficacia virtutis, sed etiam « efficacia connexionis »* infallibilis cum consensu salutari, seu est ante consensum realiter exsistentem *efficax sensu specifico.*

Unde autem habet ea gratia hanc connexionis efficaciam? Ab eane re, quae ipsam ut effectus consequitur, a consensu salutari reapse elicito? Hoc certe esse non potest. Unde ergo habet?

Indicavimus id jam saepe: habet eam efficaciam secundum Molinistas *a forma aliqua externa*, a scientia, inquam, Dei supereminente et infinite perfecta ab illa scientia Dei, qua praevidet, huic gratiae *si* detur cum ceteris omnibus ad agendum requisitis in hac vel illa rerum conditione, in qua homo versetur, eum esse reapse cooperaturum. Nec Molinistarum tantummodo haec sententia est, sed etiam manifesta doctrina SS. Doctorum Augustini et Thomae (2). Hanc igitur *efficaciam connexionis infallibilis* cum consensu salutari gratia a consensu hominis reali et temporali non habet nec efficienter nec formaliter seu per modum formae externae, sed *ab infallibili scientia Dei.* Nihilominus non negamus, hunc efficaciae modum supponere suo modo consensum; sed consensum *conditionate futurum: qui erit, si detur tale auxilium.* Hic enim consen-

(1) Constat plane, alium esse sensum, quo prorsus recte dicatur gratia voluntatem hominis « indeclinabiliter et insuperabiliter », imo « invictissime » in bonum ferre et agere (sensus est S. Augustini, potissimum ep. 12, n. 38 « de Correptione et Gratia »). Etenim hominis in bono finaliter perseverantis voluntas gratia divina ita constanter roboratur, ut nec innata in constantia et infirmitate a bono declinet nec ullis extrinsecis obstaculis et inpugnationibus, concupiscentia etc. superetur. Dicit igitur hoc donum gratiae perseverantiae *auctum constanter et perseveranter* voluntatis robur, quo haec omnibus difficultatibus invictissime atque finaliter superior exsistat; non dicit in singulis actibus immissam a Deo ad unum particulare agendum insuperabilem determinationem, qua libertas actionis et meritum singularium actionum tolleretur. Cfr inter alios Palmieri ll. p. 391, et p. 411 sq.; Scheeben ll. p. 872 sq; Livinus de Meyer « de Mente S. Augustini circa gratiam phys. praedeterm. ». Cp. 8 sqq.

(2) Cfr S. Aug. inter alia loco supra laudato ex 1 ad Simplic. cp. 2, n. 13 potissimum in fine; S. Thomas, Qdlib. 12, a. 3 ad 2; « de Verit. ». q. 6, a. 3 ad 7 et 8; etc.

sus conditionate futurus terminus et conditio est, sine qua illa ipsa praevisio Dei, a qua gratia Dei sensu specifico efficax et dicitur et est, non esset. Hic autem consensus conditionate futurus, si erit, non erit independens a gratia sed intrinsecus ab ea dependebit. A scientia itaque media gratia efficax simpliciter et formaliter hanc efficaciam infallibilis connexionis cum consensu salutari habet. De qua scientia mox plura.

Quaeritur jam, sitne ergo omnino aliquis efficaciae gratiae modus, quem vera quadam causalitatis ratione causet consensus salutaris realiter in tempore exercitus ut talis est? Respondetur, 4° hujusmodi efficaciae gratiae modum assignari posse; atque est ea, quae recte vocatur *efficacia efficientiae formalis*. Posita autem est in hac re: quod consensus salutaris reapse elicitus considerari merito potest ut forma, quae gratiae operanti et tendenti ad eum consensum reapse producendum ultimam suam perfectionem ultimumque complementum affert, atque ita ipsam efficacem formali efficientia operis salutaris reddit atque denominat. Patet autem, hanc efficaciam formalis efficientiae non posse a consensu reali in tempore exercito sic redundare in gratiam quasi a causa efficiente in effectum, sed tantum tanquam a causa formali in subjectum denominationis. Non enim efficiendo aliquid a se diversum, sed seipso consensus salutaris reddit et denominat gratiam efficacem efficacia formalis efficientiae. Nec hoc possunt negare Thomistae.

Quid ergo tandem illud est, quod Molinistae, contra Thomistas disputantes, volunt, quando asserunt, gratiam ipso consensu efficacem fieri? Volunt potissimum illud, quod sub 1° diximus, consensum salutarem atque efficientiam actualem et formalem gratiae *non praecontineri determinate* in ullo physico momento, *quod antecedenter ad actum salutarem physice voluntatem afficiat,* aut omnino aliunde ei insuperabiliter immittatur secumque voluntatem in consensum pertrahat, sed gratiam, ut operetur determinate consensum salutarem, primum et tantum determinari hoc ipso consensu salutari. Et hoc est necessarium, quoniam secus si esset, hic consensus sicuti careret libertate, ita careret merito.

Quid igitur? Molinistaene Deo efficaciam gratiae in acceptis non referunt? Cuinam duos illos efficaciae modos virtutis et connexionis infallibilis cum consensu adscriberent nisi uni Deo? Efficaciam formalis efficientiae non possunt non attribuere propriae etiam decisioni. Sed ut monet S. Apostolus, « in Domino » sibi eam adscribunt, quoniam sciunt, se ab uno Deo et ejus gratia vires necessarias habere ad salutariter operandum et consentiendum, sciuntque etiam se tantum secundum has vires gratia acceptas aliquid salutare et operari posse et operari, at per se solos nihil se posse. Insuper etiam propterea quidquid suae decisioni tribuunt, in Domino sibi tribuunt, quia persuasum habent, salutariter se non fuisse cooperaturos de facto, nisi tales Deus ipsis elargitus esset pro suo beneplacito et misericordia gratias, quibuscum praeviderit se esse reapse cooperaturos, et sciunt, Deum dedisse eas sibi, ut reapse cooperarentur, cum alias potuisset

dare sine efficaci proposito boni operis secuturi. Et haec doctrina est S. Augustini et Tridentini et ipsius S. Pauli (1).

Haec de altera objectione Thomistarum sufficiant.

---

## CAP. IV

### DE TERTIA DIFFICULTATE THOMISTARUM, UBI DE SCIENTIA DEI LIBERARUM ACTIONUM CREATURARUM ET DE SCIENTIA MEDIA DISPUTATUR.

*Ad tertiam Thomistarum objectionem* gressum facimus. Asserunt, doctrinis Molinistrarum certam scientiam Dei de actibus futuris liberis subverti, atque ita etiam certitudinem divinae providentiae.

Respondent Molinistae, si verum sit unum, necessario verum esse alterum. Sed prius illud non esse verum. Numquid enim propterea scientia Dei de futuris libere contingentibus ipsa tollitur, quia nos non possumus luculenter explicare, *qualis* ea in Deo scientia sit ? Thomistis plane contrarium timendum esse, ne nimis clare praescientiam Dei de futuris hominum actibus liberis explicent. Nam si ipsorum doctrina vera est, luce clarius apparet, quomodo Deus videat et praevideat omnes actus nostros liberos etiam futuros. Etenim a suis decretis physice nos praedeterminantibus ad unum agendum, hoc repetitur, ut eos videat plane necessario. Si autem ita est, quomodo verum est illud Psalmi 138, 6: « Mirabilis facta est scientia Tua ex me, confortata est, et non potero ad eam » ? Locus enim praecise de actibus liberis hominum etiam futuris a Deo cognoscendis agit. Ergo apparens vel manifesta illa facilitas explicandi, quomodo Deus liberos omnes actus creaturarum, etiam futuros sciat, tantum abest, ut praebeat argumentum pro veritate doctrinae Thomisticae, ut falsitatis ejus non leve indicium continere videa-

(1) De S. Paulo non est dubium. Non enim prohibet absolute, quominus in bono opere gloriemur, sed edicit, ut « qui gloriatur, *in Domino* glorietur » (2 Cor. 1, 31). Quoad Trid. cfr c. 5, sess. 6 «de justificat. », ubi haec : « ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, *neque homo ipse nihil omnino agat*, inspirationem illam recipiens, *quippe qui illam etiam abjicere potest, neque tamen sine gratia* movere se ad justitiam coram illo libera sua volontate possit ». — Secundum Molinistas 1° homo aliquid facit in praeparatione, quae est ad justificationem recipiendam ; 2° libera voluntate id facit; neque tamen 3° libera voluntate sine gratia facit. Eadem tria haec de homine cooperante cum gratia Tridentinum hoc loco docet. — Doctrinam S. Augustini vide supra in ep. 186 ad Paulin. c. 2 : « Hoc utique totum (1 Cor. 4, 7 ) ideo non ut homo non glorietur, sed ut qui gloriatur, in Domino glorietur ; non ex operibus, ne forte quis extollatur... quia opera ex gratia, non ex operibus gratia ». Cfr « de Spiritu e t Litt. » c. 34, n. 60 « de Corrept. et Grat. » c. 12, 37 etc. Cfr etiam Palmieri II. thes. et 58.

tur. Quicunque enim vera in hac materia defendit, oportet eum in Dei scientia de actibus liberis ( futuris ) offendere abyssos multas, quae in admirationem rapiant divinae scientiae quomodo vel hos actus Deus sciat, et praesciat. Quod cum in doctrina Thomistarum locum non habeat, jam ex hoc capite dubium esse non potest, quin ipsa falsa sit (1).

Molinistae ergo fatentur, imo contendunt, se nequaquam clare *perspicere, quomodo* Deus futura libera certo cognoscat. Hoc autem non spernendum indicium veritatis doctrinae suae esse arbitrantur : in ipsa enim ibi offenduntur tenebrae, ubi teste S. Scriptura pro humana mente profundissimae tenebrae exstant ; non ibi tenebrae in theoria Molinistarum inveniuntur, ubi tenebras esse verbum Dei numquam indicat : in humanae libertatis explicatione et defensione. Cujus contrarium evidenter usuvenit in theoria Thomistarum, quod maxime notandum est (2).

(1) Ceterum eadem a parte rei difficultas exsistit (supposita objecti i. e. actus liberi determinatione et cognoscibilitate absoluta et secundum se ), quando explanandum est, quomodo Deus cognoscat certo et infallibiliter actus nostros liberos praesentes et praeteritos, eadem, inquam, quae tum si quaeritur, quomodo futuros certo et infallibiliter cognoscat. Hoc ex his, quae modo subjicimus, sufficienter patebit. Quare nihil mirum est, regium prophetam cognitionem omnium non solum futurorum liberorum actuum per Deum una communi exclamatione admirationis comprehendisse.

Et re quidem vera, neutro modo potest Deus in cognitionem horum actuum venire : non antecedenter, sola comprehensione omnium causarum. Nam hae causae actuum, etiam simul omnes sumptae, liberas actiones nostras non determinate continent. Nec consequenter, quasi actus liberi saltem in facto esse possint sui cognitionem in Deo ullo modo causare. Nam praeterquam quod Deus ita in diuturna horum actuum ignorantia versatus esset, donec tandem iis actibus realiter exsistentibus illustraretur, etiam hoc repugnat, ut ens causaque creata activo motu ei vere causali in actum purissimum causamque primam influat eamque ad cognoscendum *determinet*. Quae cum ita sint, quomodo omnino fieri potest, ut Deus vel hos liberos actus sive antequam sunt, sive etiam postquam facti sunt, certo et infallibiliter cognoscat? Itaque necesse est, nos omnes exclamare, etiam ne dissentiamus a Scriptura sacra, quae testatur, impotentes plane nos esse, qui scrutemur vel intelligamus modum, quo Deus liberas nostras actiones ullas certo cognoscat : « Mirabilis facta est scientia Tua ex me, confortata est, et non potero ad eam ». At ubi primum praedeterminationes physicas Thomistarum ad liberos etiam actus, admiseris, ita profecto exclamare amplius non poteris. Nihil enim clarius, nihil simplicius et evidentius, quam intelligere atque explicare, quomodo Deus actus nostros liberos omnes cognoscat evidentissime, siquidem nos praedeterminationibus physicis ad singulos movet et insuperabiliter permovet.

(2) Cum mira facilitate explicandi, quam experiuntur Thomistae, quando de quaestione agitur, quomod Deus praevideat futuros actus liberos, cohaeret distinctio illa, quam frequenter usurpant *de necessitate consequentiae et consequentis*. Dicunt praedeterminationibus physicis statutis actum liberum inferri consequentiae quidem necessitate, non consequentis. Non potest contra hanc distinctionem illud dici, eam universim et ubique fundamento carere, quasi illud, quod necessarium est consequentiae necessitate, sit eo ipso consequentis necessitate necessarium. Nam jure damnavit Sixtus IV anno 1476 inter alias hanc propositionem Petri de Riva : « Quod ex inimpedibili per necessariam consequentiam sequitur, hoc inimpedibile est et necessarium ». Et revera, fac, Deum actum vere liberum necessario et immutabiliter praevidere, prouti reapse omnes actus praevidet : necessaria consequentia consequitur, hunc actum futurum esse : numquid etiam propterea verum est, eum inimpedibilem et necessarium secundum se esse ? At dices, si ita est, nec hoc negari potest, Thomistas in sua sententia et doctrina hanc distinctionem merito usurpare. Nam ipsi etiam asseverant, actum sic physice praedeterminari a Deo ut liber maneat, imo sic eum praedeterminari physice, ut vi hujus praedeterminationis necessario liber sit. Ergo necessitas quidem consequentiae adest, necessitas vero consequentis in actu libero a Thomistis jure videtur negari. Respondetur, peccari hic a Thomistis eo peccati genere, quo frequenter peccant, quasi sufficiat aliquid verbis adstruere, ut res continuo ita sit. Itaque asserunt quidem, Deum sic praedeterminare nos physice ad certum et determinatum actum, ut vi hujus praedeterminationis actus necessario liber prodeat. At duo haec, libertas actionis et physica praedeterminatio ad eam, quae est indoles praedeterminationis, inter se componi nullo pacto possunt. Quare usus illius distinctionis, qui totus possibilitate hujusmodi compositionis innititur, a systemate Thomistarum alienus est. Ratio

At Molinistae falluntur, si opinantur, tantummodo obscurum esse in sua sententia, quomodo Deus futura libera cognoscat. Nam in eorum sententia non solum id obscurum est, sed haec cognitio a parte rei evadit impossibilis. Hoc demonstratur : Sublatis decretis physice voluntates ad singulos actus praedeterminantibus futura libera *nusquam esse determinatum habent : non in suis causis,* hae enim omnes ad alterutrum contradictoriorum indifferentes esse, ut aut hoc fieri possit aut illud, supponitur ; non in seipsis, quoniam priusquam sunt et fiunt, *in seipsis nihil omnino* futura libera sunt. Ergo neque in seipsis determinata sunt neque in causis suis. — Objectum autem indeterminatum non habet determinatam cognoscibilitatem. Ablata porro cognoscibilitate determinata ab objecto impossibilis evadit ejus cognitio determinata. Omnis enim cognitio supponit suum objectum, non facit nec fundat ipsum.

Respondent Molinistae, distinguendum hic diligenter esse inter *cognoscibilitatem objecti alicujus absolutam et ejus cognoscibilitatem relativam.* Ad cognoscibilitatem alicujus objecti absolutam omnino satis est, ut *alicubi seu aliquando seu quomodocunque* cognoscibilitatem determinatam habeat i. e. ut habeat alicubi aut aliquando aut quocunque tandem modo determinationem sufficientem ad cognitionem de eo definitam et certam *terminandam ;* non opus esse, praecise in hac vel illa temporis differentia vel in suis causis eam determinationem haberi. Hanc in hac quaestione distinctionem adhibendam esse, a S. Thoma Molinistae didicerunt, ut ex locis in nota laudatis (1) satis patet. Jam vero futura

autem, cur illa duo inter se componi nequeant, non adaequate haec est, quoniam mere *logica* necessitate ( necessitate consequentiae) ex realitate et praesentia praedeterminationis physicae realitas et praesentia actionis potest inferri, etenim cum hujusmodi mere logica necessitate absolute libertas actionis consistere potest ; sed incompossibilitas illorum duorum repetenda est ex modo physico et antecedente, quo praedeterminatio physica voluntatem afficit et physice in actionem influit. Itaque ex indole physica antecedenti indeclinabili et insuperabili praedeterminationis physicae ad actum consequitur ejus absoluta incompossibilitas cum libertate actionis et actus. Etenim in ea re, de qua quaeritur, praedeterminatio physica ad agendum est momentum antecedens vere physicum in ipsa potentia a Deo constitutum et physice eam afficiens, quod vi vera physica et plus quam physica, et ex parte praedeterminationis cum vera physica necessitate facultatem in determinatum actum secum pertrahit. Unde jam non ipsa se potentia ad agendum determinat, qui tamen teste S. Thoma, ut infra videbimus, character liberae activitatis est, sed ab alio ad agendum mediante physica praedeterminatione determinatur. Ergo praedeterminatio physica ad actum libertatem actus tollit. Unde amplius constat, vere incompossibilia affirmari, quando a Thomistis statuitur simul physica praedeterminatio ad agendum cum libertate actionis. Manet ergo, cum praedeterminatione physica adduci non tantummodo necessitatem consequentiae sed etiam consequentis seu in re proposita necessitatem consequentiae secum ferre necessitatem consequentis.

(1) Cfr S. Thomas I. I sent. dist. 38, q. 1. a. 5 ; I, q. 14, a. 13 in corp. et ad 3 ; « de Verit. » qst. 2 a. 12 in corp. et ad 1 etc. De quibus locis in decursu operis plura dicenda erunt. — Idem jam S. Thomam superiores Theologi docuerant. Alexander Halensis ( S. 1, 24, m. 3 ) sic brevissime statuerat : « Quia res futura est, ideo apta est, ut sciatur ( a Deo ) esse futura ». Albertus autem Magnus locum explicans Origenis ( c. Cels. l. 2, n. 20 ) dixerat : « Origenes intendit, quod futurum, quia futurum est, scibile sit a Deo h. e. *habeat aptitudinem ad sciendum ;* et sic futurum *nullam dicit causam scientiae in sciente, sed dicit rationem aptitudinis in scibili* » ( Albert. Magnus, S. 1, q. 61 membr. 3 ). Profecto res futura non est vera causa, cur sciatur a Deo, hoc enim repugnat actui purissimo divinae naturae, sed est merus terminus et conditio sine qua non sciretur a Deo, quia Deus verum tantum scire potest. — Mirum sane, cum haec ita se habeant ex doctrina Molinistarum, recentiores quosdam theologos inveniri ( Cfr P. Gayraud, O. P.

libera quamquam nec praesenti tempore nec praeterito in *seipis* ( *physice* ) — sunt enim *futura* libera — nec in suis causis — sunt enim *vere libera* — determinatam veritatem habent, habebunt tamen determinationem aliquando, cum reapse erunt, « quando in seipsis sunt », ut ait S. Doctor locis in nota laudatis. Nam postquam causa libera in omnibus adaequate conditionibus ad agendum necessariis et requisitis posita erit, semper unum certe ex contradictoriis locum habebit, non vero alterutrum vage vel incerte. In *causis* quidem liberis est alterutrum indeterminate, in re et effectu unum semper erit determinate. Semper igitur verissime affirmari et potuit et debuit: « hoc faciet » aut « hoc non faciet ». Evidens est, idem in liberis actionibus nunc praeteritis suo tempore valuisse atque in ipsis conditionate futuris suo modo valere. Si enim causae et conditiones omnes ad agendum requisitae adaequate verificabuntur, non vage alterutrum ex contradictoriis reapse locum habebit, sed unum determinate fiet. Patet jam futurum liberum *non secundum se et absolute* loquendo necessaria determinatione carere, ut certam de se cognitionem terminare possit; immo ab omni aeternitate aut hoc aut illud determinate verum est atque certum. Itaque omnis, quae in iis cognocendis difficultas invenitur, ea tota continetur in eorum cognoscibilitate relativa i . e. in eorum proportione ad intellectum cognoscentem; seu in praesenti quaestione hoc attenditur, quomodo possit certus quidam et determinatus intellectus i. e. divinus ad ea usque cognoscenda penetrare. Quantacunque autem haec difficultas est, concedendum est, a Dei penetratione et cognitione nullum prorsus objectum, quod quomodocumque cum ipso cohaereat atque secundum se cognoscibile sit et veritatem determinatam ullo modo habeat, posse excludi, quia *divini intellectus perspicacitas infinita*, Deus ipsa veritas per se subsistens, ipse causa omnium rerum est. Modum tamen, quo futura libera praevidet Deus, accurate minime perspicimus (1).

«Thomisme et Molinisme» Paris 1889 p. 74. cf. p. 116 not. ), qui veteribus verisque Molinistis affigant, quasi cognoscibilitatem objecti secundum se medium esse statuerint, in quo Deus actum nostrum liberum cognosceret. — Porro quoniam iidem Molinistae objectivam et determinatam cognoscibilitatem objecti, i. e. actus liberi futuri principio contradictionis illustrant, ideo R. P. Gayraud videtur opinari, principium ipsum contradictionis ab iis assumi et statui, quasi medium sit, in quo Deus liberas actiones, imprimis eas, quae sub conditione futurae sunt aut potius futurae essent, determinate cognoscat, cum tamen mens eorundem Molinistarum et ipsius S Thomae sit, hujusmodi medium objectivum determinatae cognitionis in actionibus creatis liberis nec possibile nec opus esse, quippe cum Deus ex sese atque natura sua plenissime idoneus et determinatus sit ad omne, quod secundum se et absolute cognoscibile et ontologice verum est, reapse quale in seipso est, immediate cognoscendum. Unde quaecunque ex hac falsa suppositione falsa et absurda R. P. Guayraud postea ( p. 123, 129 etc. ) infert, tantum valent quantum ipsa suppositio.

(1) Accurate, inquam, non perspicimus modum. Nam variam *causalitatis* rationem, qua futura contingentia copulantur et dependent a Deo, rationem esse, cur et sub qua Deus infinite perspicax ea omnia in seipsis attingat atque cognoscat et cognoscere possit et plane debeat, ib sane evidens est. Si aliter esset, nihil cum Deo, nihil cum divinae cognitionis objec to formali et principe cohaererent. Cfr S. Thomas « C. Gentes » l. 1, c. 68; Franzelin De Deo Uno, thes 37. Cfr. etiam S. Scriptura : Psl. 138, 5; Sap. 1, 6 et 7 ; Hebr. 4, 12 et 13 etc.

Si haec, quae diximus, admittuntur, et videntur omnino esse admittenda, non solum, quia praeeuntibus S. Augustino et S. Thoma laudatis locis et aliis ita dicendum est, sed imprimis, quia videntur evidentibus principii inniti et ex iis consequi : etiam ipsa scientia Dei media, quod ad rem attinet, in tuto est. Primo jam ostendamus, scientiam mediam, si de re ipsa quaeratur, ex proposita doctrina evidenter colligi, et in ea contineri; deinde nomen scientiae mediae esse apte selectum; tertio, eam scientiam integrare et complere suo modo scientiam « simplicis intelligentiae », unde quasdam conclusiones deducemus.

Ergo, quod ad primum et princeps punctum attinet, quemadmodum Deus futura libera cognoscit, antequam sunt, non quia *active* scientiam Dei determinant vel causant, talis enim eorum influxus relate ad Deum ex pluribus capitibus repugnat, sed ideo dumtaxat, *quia reapse erunt aliquando dependenter quidem a Deo, sed per liberam determinationem creaturae :* et ita nunc jam apta sunt, quae cognoscantur a Deo: sic, quae eventura sub certis conditionibus libere essent, etiam cognoscit Deus determinate, propterea, *quod ita reapse essent dependenter a Deo ex libera tamen determinatione creaturae eventura,* dummodo eae conditiones adaequate verificarentur. Nec esset conditionibus positis vage et incerte *alterutrum* reapse eventurum ex contradictoriis, sed unum omnino definite esset eventurum. Cognoscit ergo etiam haec determinate Deus; neque conditionate futura minus clare, quam futura libera sed omnia clarissime intuetur, quippe cui singula sint suo modo praesentia. Cfr S. Thomas locis modo laudatis.

Hanc porro liberorum conditionate futurorum cognitionem, quae nullis decretis hypothetice praedeterminantibus innititur, Molina appellavit scientiam Dei mediam. Quae quidem a recentioribus Thomistis vehementissime impugnatur, a S. Thoma (1) S. Augustino (2) aliis PP. et DD. (3), non semel secundum rem comprobatur; et videtur ea scientia reapse firmissimis S. Scripturae (4) et rationum fundamentis inniti.

(1) Cfr inter alia Qdlib. 11, a. 3 in corp,; 3, q. 1, a. 3 ad 4; ibid. a. 5 ad 2; Qdlib. 12, a. 3 ad 2; « de Verit. » q. 6. a. 3 in corp. de quibus locis infra uberior instituetur disputatio. Cfr interim Suar. « de Gratia » Proleg. II « de scient. condit. » c. 9, n. 6.

(2) Cfr inter alia 1 ad Simplic. c. 2. n. 13; «de Civ. Dei» l. 5 c. 9; «de Praedest. SS.» c. 12 et 13 etc.

(3) Cfr inter alios Ruiz « de Scientia Dei » disp. 65; Petav. « de Deo » l. 4, cp. 8; Suar. opusc. « de Scientia Dei» l. 2, c. 2; «de Grat.» Proleg. II, c. 3; cfr c. 5, n. 11 seqq. Ad Patrum testimonia provocarunt vel ipsi Molina et Fonseca: Molina q. 14, a. 13, disp. 52 § « Quaeret fortasse »; disp. 53, § « Parvipendunt » et seq.; cfr disp. 51 § « Ex his » sqq; Fonseca Metaphys. l 6, c. 2, q. 4, sect. 9. Unde falsum est, Molinam et Fonsecam opinatos esse et jactitasse, scientiam mediam rem esse plane novam et usque ad sua tempora prorsus inauditam. Nomen et constans applicatio scientiae mediae nova fuit, res ipsa vetus et antiqua.

(4) Cfr imprimis Matth. 11, 20-23. Si hoc loco Christus supponeret, exsistere circa Tyrios et Sidonios decreta divina conditionata physice eos ad conversionem in hypothesi praedeterminantia, cum circa Judaeorum conversionem talia physice praedeterminantia decreta Deus pro sua libertate et beneplacito in praesenti conditione certe nulla habeat, alias converterentur : omnis ab hoc loco vis ad confundendam praesentem malam voluntatem Judaeorum tolleretur. Esset enim antecedenter *summa* inter conditionem praesentem Judaeorum et inter Tyrios atque Sidonios in hypothesi, *per Deum ipsum inducta inaequalitas.* — Cfr etiam 1 Reg. 23, 1-13. Hoc loco non possunt supponi decre

Et profecto, si res penitus inspicitur, nisi Deus haberet scientiam conditionate futurorum independenter ab omni reali et vero decreto in hypothesi praedeterminante physice causam liberam, nec posset habere certam cognitionem eorum, quae aliquando reapse libere futura sunt, nec posset, quaecunque vellet, infallibiliter a causis liberis impetrare. Nam quaecunque scientia Dei ex decreto aliquo divino physice creaturam praedeterminante apta est et pendet, ea scientia est actionis necessariae et non liberae. Porro neque notitia *de existentia* causarum liberarum nec *de exsistentia* omnium omnino conditionum, in quibus illae causae reapse versabuntur, quae notitiae utique non sine reali quodam divino decreto sunt, de se sufficiunt ad scientiam determinatam procurandam, quid liberae causae in istis conditionibus reapse acturae sint vel electurae. Nam ipsis liberis causis exsistentibus secundum se activa erga varia bonorum genera in suis actionibus indifferentia naturaliter competit, et quaecunque alia creata agentia quomodolibet eas impellunt ac movent, quamdiu judicium rationis in causis liberis integrum manet, impotentia sunt, ad hanc indifferentiam libertatemque dominativam voluntatis in actus suos vincendam et liberas causas ad certam actionem invicte determinandas. Ergo nec praedeterminatione physica, nec ipsis causis liberis simpliciter exsistentibus, nec aliis creatis agentibus quibuslibet suppositis potest Deus certum quendam et liberum effectum a causis liberis infallibiliter impetrare. Quare una dumtaxat via remanet, qua Deus cum infallibili certitudine, licet instrumenta adhibita simpliciter indifferentia sint, possit nihilominus, quaecunque vult, a libera voluntate consequi: certa haec praevisio, quid causa libera in variis conditionibus, mediis indifferentibus ad agendum incitata reapse actura sit vel electura, si modo ea media in iis conditionibus revera ei adhibeantur et accommodentur. Si enim Deus eas conditiones adduxerit, vel adduci siverit, mediaque convenientia i. e. congrua adhibuerit, actio libere fiet et erit. Unde etiam eadem praevisio unica ratio est, qua Deus scire possit ac sciat scientia visionis quid voluntas creata in conditionibus, in quibus de facto, Deo vel proprie volente vel saltem permittente, versabitur, reapse libere actura sit et electura.

Non potest, ut videtur, jure dubitari, si de re quaerimus, num sit omnino scientia media eaque sensu perfecte Molinistico i. e. independenter a decretis sub conditione physice praedeterminantibus, unde res cognoscantur.

*Nota.* Longiorem hoc ipso loco notam subjicimus. Nam ob negata in scientia media decreta Dei liberas creaturas sub conditione physice praedeterminantia,

ta divina in hypothesi Geilitas praedeterminantia, quia praedeterminarent ad malum, ad proditionem scilicet David. Deus autem ad malum praedeterminare non potest. Cfr de his locis Suarez II. c. 5. Adverte etiam in Scripturis Deo ideo solum adscribi cognitionem actuum nostrorum liberorum, quia scrutatur intima cordis humani, non quia novit sua decreta. Jerem. 18, 9. 10; Proverb. 24 13; Eccli. 23, 27 sqq.

placuit recentiori Thomistae Gallo Molinistas fatalismi et negatae funditus libertatis humanae arguere, quae res nulli homini in mentem antea venerat. Quare illius ratiocinium quod hic proponimus, celebritatem quandam nactum est.

La première *hypothèse* (inquit) que notre esprit puisse concevoir est bien *l'hypothèse* de l'acte libre de Dieu. Avant cet acte libre, il n'y a évidemment que *l'absolu* de l'Être divin, le *nécessaire*, où tout est déterminé par le principe de contradiction, le *parfait*, où rien de ce qui est ne peut ne pas être et ne peut être autrement qu'il est. L'esprit conçoit clairement que cela seul *existe* avant *l'hypothèse* de l'acte libre de Dieu.

« Or, si le futurible est connu de Dieu avant tout décret de la volonté divine, il faut qu'il ait son « être », sa « vérité objective » de futurible avant l'hypothèse de l'acte libre de Dieu : « Verum sequitur ad ens ».

Le futurible est donc compris dans l'absolu, dans le nécessaire, où tout est déterminé par le principe de contradiction, par le parfait, où rien de ce qui est ne peut ne pas être, ni être autrement qu'il est...

« Toute science moyenne implique donc nécessairement la négation de notre libre arbitre....

« Voilà pourquoi les thomistes repoussent la science moyenne ». Ita P. Gayraud. « *Thomisme et Molinisme* », p. 137 sqq.

Puto, argumentum posse clarius hoc modo exhiberi : « In ordine essendi vel exsistendi post ea, quae absolutam essendi necessitatem habent, nihil prius exsistere vel esse potest decreto Dei libero. Jam vero Molinistae statuunt, in ordine cognoscendi futuribilia seu conditionate futura cognosci a Deo ordine et ratione prius quam ipse quidquam decreverit. Ergo eos necesse est dicere, futuribilia seu conditionate futura praevertere in essendi ratione omne decretum divinum realiter conceptum. Nam verum sequitur ad ens. Unde porro illis dicendum est, omnia futuribilia intra ea, quae absolute necessaria sunt, concludi. Ergo placitis Molinistarum actionum nostrarum libertas funditus evertitur». Atque hac forma conceptum argumentum excutiamus. Nam quem postea R. P. Gayraud sensum majoris indicavit. (Cfr. Réplique au R. P. Th. de Régnon S. J. p. 82 (1)), is nec naturalis nec obvius est. Postea tamen etiam de hoc altero sensu, quae necessaria erunt, addemus.

Quid igitur ad argumentum ita explicatum dicimus? Dicimus vitiosum esse. Incipitur ab ordine exsistendi, transitur in minore ad ordinem cognoscendi, ut tandem iterum in ordine exsistendi haereatur.

At dices, recte ita fieri. Nam verum sequitur ad ens. Ergo recte concludimus quidquid ante liberum decretum Dei cognoscatur, id etiam esse ante liberum Dei decretum.

Respondetur : Sensus hujus antecedentis sine dubio hic deberet esse : nihil est cognoscibile, vel nihil potest esse etiam merus terminus cognitionis, vel nihil est ontologice verum (haec omnia tandem idem significant), nisi habeat aliquam *entis rationem*. Hinc optime infertur, id, quod nullo prorsus modo rationem entis habeat, sitque plane nihil, cognosci non posse ; cognosceretur enim prorsus nihil. Neque tamen *ulla* ratio est, cur non possit cognosci aliquid, seu cognitio terminari ad aliquid, quod *nondum* sit, vel etiam ad id quod nunquam sit *in rerum natura* futurum « ad non-ens », ut S. Thomas saepe ait ; cfr v. g. S. Thomas I, q. 14, a. 9. ; C. Gent. l. 1 c. 66, etc.). Etenim si mens concipit judicative rem, prouti aut est aut fuit aut erit *aut esset sub conditione*, semper verum cognoscit, utut terminus cognitionis modo in praesenti est, modo in praeterito fuit, modo in futuro erit, modo tantum sub conditione.

(1) P. de Régnon cui ceteroquin non in omnibus adstipulamur, multas fallacias quæ R. P. Gayraud argumentando in priore opusculo commisit, dilucide exposuit in libello suo «Bannésianisme et Molinisme» Paris 1890 cfr. v. g. n. 98.

nec impleta nec implenda, esset. Unde nihil repugnat, quominus ea adaequatio inter intellectum et rem locum habeat, sine qua in cognitione intellectuali veritas esse non potest, etsi res non exsistit, dummodo reapse sit futura aut sub conditione futura esset, pro vario modo, quo intellectus rem judicative apprehendit. Quare falsum est id, quod in illo enthymemate ex antecedenti concluditur : absolute requiri, ut res, quae in signo priore ante omne divinum decretum realiter conceptum cognoscatur, in eodem signo habeat jam *esse* i. e. aliquam exsistentiam sive in seipsa proprie, sive saltem in causis determinatis ad eam producendam. Nam ad cognitionem ex parte termini nihil requiritur, quam ut terminus cognitionis exhibeat quandam rationem entis, quae quidem ratio exhiberi potest etiam sine exsistentia reali in ulla temporis differentia et sine causis ad causandam eam exsistentiam realem *determinatis*. His tamen non asseritur, Dei cognitionem ad haec futuribilia vel tum posse extendi, si Dei causalitas ad ipsa nullo modo extenderetur. Cfr S. Thomas C. Gent. l. I. c. 68. Nam ita illa futuribilia nihil cum Deo cohaererent, nihil essent.

Sed ipsum jam *principale* argumentum, ut a nobis propositum et explicatum est, excutiamus : ita apparebit luculentius, quid sit id, quod volumus. Itaque dicimus, majorem quidem veram esse, ad rem tamen, de qua agitur in minore, illam parum pertinere : agitur enim de ordine cognoscendi, non de ordine causisque exsistendi, ut positum est in majore. Etiam minor in sententia Molinistarum concedenda est. Attamen quoniam nihil opus est, id, quod prius cognoscatur, prius etiam esse, ideo consequens distingui oportet. Itaque dicimus : si conclusio ita intelligitur, quasi actio libera conditionate futura debea secundum Molinistas habere in se vel in causis suis verum esse determinatum quale simpliciter dicitur, ante decretum Dei realiter conceptum, falsa est et negatur conclusio ; sin ita conclusio intelligitur, ut actio libera conditionate futura ante omne decretum divinum realiter conceptum vel etiam concipiendum habere debeat entis quandam rationem sufficientem ad terminandam cognitionem de ea veram, vera est et admittitur conclusio. Eam autem entis rationem actio libera conditionate futura ante omne decretum Dei liberum reapse habet, etsi eam habet sic, ut dependeat ab actibus Dei et hominis hypothetice et libere futuris ; qui nisi actus *possibiles* essent, hominisque liberi actus etiam *reapse* essent conditionibus impletis futuri, illa ratio entis sane non exsisteret.

Quaeres, quid tandem illa ratio entis in actionibus conditionate futuris realiter sit. Id potest disci, quando attenditur, quae ratio entis actionibus liberis reapse vel absolute futuris competat, antequam sunt. Liceat igitur uti explicatione Suarezii (Opuscul. «De scientia Dei» l. I, c. 8, n. 8). 1° itaque quod ad libere futura attinet, dicimus : eam entis rationem vel veritatem ontologicam, quam libere futura habent, antequam sunt, « nihil esse aliud quam aptitudinem quandam vel non - repugnantiam, ut intellectus habens virtutem intelligendi sufficientem possit de tali objecto vere enuntiare vel judicare ; quae aptitudo *realiter non est aliud praeter ipsum esse, quod res suo tempore* [dependenter a Deo et ab homine libere volentibus] *est habitura* ; ratione cujus (esse) comparari potest ad prius tempus et sic dicitur futura ; vel ad (tempus) subsequens, et sic potest appellari praeterita ». Jam vero similiter 2° statuendum est de libere sed conditionate futuris : eorum esse veritatem ontologicam, requisitam ad hoc, ut termini esse possint divinae cognitionis, ipsum illud esse, quod dependenter a Deo et ab homine libere volentibus habitura essent vel sint, si Deus debitas ad agendum conditiones adduceret vel adducat, aut sineret vel sinat adduci, homo vero in illis conditionibus ad agendum sufficientibus versaretur vel versetur. Cfr Suarez « de Gratia » Proleg. II, c. 7, n. 25 et Ruiz « de Scientia Dei » d. 28, s. 7, n. 1.

At non recte interpretati sumus majorem. Nam R. P. Gayraud postea decla-

ravit II., hanc ei sententiam subjectam esse : « Omne quod habet *rationem entis et rationem veri* ante omnem liberum actum Dei, habet rationem entis et rationem veri *cum absoluta necessitate* ». Cetera deinde subsumit ut antea. Major autem, quasi sit per sese evidens, sine probatione ponitur. At nobis nequaquam major evidens est, imo ut falsa negatur, quia ipsa illa *necessitas* adjunctam habet *conditionem*. Itaque ea entis ratio, quae ad cognoscendum ex parte mere termini cognitionis necessaria est, potest haberi, antequam in Deo decretum ullum liberum realiter conceptum apprehendatur adesse, licet cum vera dependentia ab exercitio libertatis Dei et hominis *hypothetice futuro* ea entis ratio adsit. Quodsi ita est, illa entis ratio non destruit, sed supponit exercitium libertatis, etiam humanae. Ergo nihil opus est fateri, « omne, quod habet rationem entis et rationem veri ante omnem liberum actum Dei, habere rationem entis et rationem veri cum absoluta necessitate ». Quare ceterae etiam consequentiae, utpote quae falsis suppositis innitantur, rejiciendae sunt ; imprimis negandum est, doctrina Molinistarum de scientia media funditus everti libertatem actionum nostrarum.

*Sed numquid aptum nomen scientiae mediae, imposuerunt?* Quaestio de se minoris momenti est. Attamen videtur nomen apte selectum esse. Principio cavendum, ne putemus, scientiam conditionate futurorum vocatam esse mediam praecise contra scientiam purae intelligentiae, qua intelligit Deus, quid possit fieri, et contra scientiam visionis, qua videt, quid sit revera. Ita saltem ii nomen non intellexerunt, qui id primi indiderunt (1). Et revera principium divisionis in scientia visionis et in scientia purae intelligentiae est *varia habitudo, quam ipsa objecta scientiae Dei ad exsistentiam realem et actualem habent et quatenus eam habent.* Ex parte enim objectorum hic et alias sumitur divisio scientiae Dei, quae in se simplicissima est. Quibus igitur objectis *convenit exsistentia realis et actualis* (sive necessario et ab aeterno, sive contingenter et in tempore), haec, ut talia sunt, constituunt *objecta scientiae visionis*, et quae ea objecta sub hoc respectu attingit scientia Dei, est scientia visionis, quia est rerum quasi oculis aspectabilium visio. Quae vero objecta *habitudinem ad realem et actualem exsistentiam* aut omnino *nullam*, aut non necessariam indicant, *quatenus praecise talem non indicant*, ea sunt sub hoc respectu *objecta scientiae purae intelligentiae*, quia quasi non aspectabilia, tantum mente intelligibilia sunt. Quae igitur *scientia Dei circa possibilia ut sic* versatur, scientia simplicis intelligentiae a S. Thoma nuncupata est (2). Haec scientiae Dei divisio in scientiam visionis et purae intelligentiae est adaequata, et medium membrum, si *proprie loqui velis*, non admittit. Nam omne ens reale dividitur adaequate in actuale et possibile.

Sed est alia quaedam scientiae Dei ex alio principio divisio. Dividitur igitur scientia Dei etiam in *naturalem et liberam et mediam inter utramque. Principium* hujus divisionis est *ratio libertatis aut necessitatis*, qua diversa objecta scientiae Dei referuntur ad Deum ipsum ejusque scientiam.

(1) Cfr inter alios Molina Concord. q. 14, a. 13 disp. 52 § « Simplicem scientiam », Suar. « de Gratia » Proleg. II, c. 6, n 7 et 8 cfr tamen idem « Opusculum de Scientia Dei » l. 2, c. 3 n. 5.

(2) S. Thomas « C^a Gent. » l. 1, c. 66 in fine.

Sunt enim objecta, quorum notitia ita in Deo inest, ut haec notitia nec abesse nec etiam terminative spectata aliter se habere ullo prorsus modo possit. Objecta hujus scientiae sunt absolute necessaria, et sunt imprimis ipse Deus cum omnibus, quae in ipso formaliter insunt, et omnia possibilia secundum rationem merae possibilitatis. Haec est et dicitur a Molina scientia Dei naturalis seu necessaria (1). Quia ejus objecta absolute necessaria sunt.

Evidens porro est eam nec cum scientia visionis nec cum scientia purae intelligentiae simpliciter converti. Deum enim, ut est, comprehendit, et possibilia, ut mere possibilia sunt. Alia objecta scientiae Dei sunt, quae a vero aliquo et libero Dei decreto, utrum sint necne, simpliciter dependent. Haec sunt omnia illa, quae contingenter in tempore exsistunt ut talia sunt. Nam sine aliquo vero Dei decreto, quo aut definitive vult ipse ea esse, aut quo saltem suo modo positive permittit ea esse, non essent i. e. non exsisterent. Quae autem circa ea versatur scientia Dei, a Molina libera appellata est, quia utrum sit necne sit, a Deo libere volente aut non volente simpliciter dependet: si vult vel permittit ea objecta esse, sunt omnino, terminique fiunt hujus scientiae Dei; si non vult aut saltem non permittit ea esse, non sunt, nec scientia Dei ad ea, tamquam sint, terminatur. Haec itaque scientia potest terminative spectata aliter se habere ac se reapse habet; quomodo autem se habeat terminative, *liberis Dei decretis* simpliciter statuitur. Evidens est, hanc scientiam non simpliciter converti cum scientia visionis, quae etiam ad Deum extenditur, qui necessario est. — Numquid igitur quidquid omnino objectum est scientiae Dei, his duobus momentis comprehenditur? Id vere minime dixeris.

Etenim sunt alia objecta scientiae Dei, quae a nullo libero decreto Dei vero et actualiter concepto dependent, et quae nihilominus absolute necessaria non sunt, quia aliter se habere possunt, et sub hoc respectu objectis scientiae liberae assimilantur. Sed quomodo se habitura sint, vel a Deo non decernitur vel nondum a Deo decretum concipitur. Haec porro objecta sunt conditionate futura, quae dicuntur, ut sic, seu liberae determinationes creaturarum, quae locum haberent, *si* certae ad agendum conditiones verificarentur, aut quae erunt, *si* eae conditiones verificabuntur. Hae enim actiones sub hypothesi futurae nullum verum decretum Dei realiter conceptum supponunt nisi conditionate; non enim habent ordinem ad realem exsistentiam, sed conditionate haberent aut habebunt exsistentiam, si Deus conditiones esse voluerit, neque tamen, cum liberae determinationes creaturarum sint, necessariae sunt, ac proinde aliter se habere absolute possunt. Haec ergo objecta cum ipsa medium quendam locum teneant inter objecta scientiae Dei naturalis, quae absolute necessaria sunt, et objecta scientiae Dei liberae, quae liberis Dei decretis reguntur, recte scientiam Dei, quae circa haec versatur, scientiam mediam denominant. Nomen ergo scientiae mediae apte selectum, etsi non antiquum. Sed quid vetat, quominus

(1) Cfr locus modo laudatus.

Dei scientiam sub novo respectu consideremus, modo is respectus verus sit, et convenientia deinde nomina ei imponamus? Numquid nomen praedeterminationis physicae, saltem in usu, quem modo habet, adeo vetus? Inductum est saeculo decimo sexto a Bannez ad doctrinam recentiorum Thomistarum significandam, neque tamen a quoquam sub hoc respectu reprehenditur (1), doctrinam enim intentam apte significat.

Atque his rationibus patet 3° objecta scientiae mediae ut sic *simpliciter* pertinere ad ordinem possibilium; nam ad exsistentiam simpliciter translata non sunt, aut saltem ut talia non considerantur, nec ullum *de se* indicant ordinem ad realem et physicam in tempore exsistentiam, nisi possibilem. Ergo scientia, quae ipsa respicit, scientiam simplicis intelligentiae, quae est de possibilibus ut sic, quodammodo integrat atque absolvit (2).

Hinc porro 4° constat, hanc scientiam Dei mediam omnibus decretis divinae providentiae priorem esse mentique divinae in capiendis decretis providentiae quasi lumen obversari. Nam apud omnes exploratum est, scientiam simplicis intelligentiae praecedere omnia divinae providentiae decreta. Ergo etiam scientia media, utpote quae scientiae intelligentiae intime conjungatur eamque absolvat, eam praecedit.

Unde amplius 5° evidens est, quomodo quaecumque a Deo decernantur, decernantur ab ipso clarissime vidente et singulorum exitum distinctissime intuente. Si has conditiones vult et adducit aut saltem adduci a creaturis, quas creavit, permittit, atque haec auxilia creaturis *liberis ipse* immittit, haec actio erit; si alias conditiones aut ipse adduxisset, aut a creaturis adduci permisisset aut auxilia diversa ipse contulisset, alia actio creaturae extitisset. Unde tandem 6° constat, qui etiam in doctrina Molinistarum Deus capere possit consilia suae intentioni accommodata, quae et operi suo eum gradum perfectionis afferre possint, qui supremam suam majestatem non dedecet, et ipsi eam tandem gloriam externam procurabunt, quam ipse efficaciter vult obtinere.

Et haec de tertia praecipua Thomistarum objectione hoc loco sufficiant.

---

## CAP. V.

### DE QUARTA DIFFICULTATE THOMISTARUM SEU DE PRAEDESTINATIONE IN SYSTEMATE MOLINAE PROPOSITA.

Reliqua est *quarta et ultima difficultas Thomistarum*, quae tamen in

(1) Cfr Limbourg, Zeitschrift für Kathol. Theol. 1877. p. 168; Suarez « De Vera Intelligentia auxilii efficacis » caput ultimum.

(2) Ita Suarez « De Gratia » Proleg. II. cp. 6, n. 7 et 8; cf. tamen ejus opusculum « de Scientia Dei » . 2. c. 3 n. 5; Cfr etiam Card. Franzelin « De Deo Uno » (ed. 2) p. 790 sqq.

praecedentibus sufficientia nacta est principia, unde solvatur. Falsum est, eripi a Molinistis ultimum arbitrium rerum e Dei manibus et in manibus liberarum creaturarum collocari. Nam unus in sua potestate habet Deus, quemnam ordinem rerum et providentiae ex omnibus possibilibus, qui omnes et singuli cum omnibus prorsus liberarum et necessariarum causarum determinationibus clarissime et distinctissime oculis obversantur, condere velit, et num et quaenam auxilia naturae et gratiae et quibus liberis creaturis velit elargiri. Potest autem pro sua libertate eum ordinem providentiae eligere, in quo hae et illae liberae creaturae infallibiliter cum auxiliis gratiae, quae ipsis libere confert, sint cooperaturae; quod si de facto eum ordinem eligit et ejusmodi auxilia confert, certe eum eligit et haec confert, ut reapse illae creaturae cooperentur. Aliae vero liberae creaturae in eodem electo divinitus ordine gratiis libere a Deo datis non cooperabuntur, licet ipsae etiam iis possint *reapse* cooperari, et licet Deus serio velit, easque, gratias det eo consilio ut cooperentur, quamvis id nequaquam in his, sicuti in prioribus, omnino efficaciter velit.

Quae cum ita sint, constat etiam, in Molinistarum sententia ultimum rerum arbitrium in voluntate et manu Dei manere: quis enim aut quid potest Deum cogere vel necessitare, ut hunc potius ordinem quam illum eligat, haec potius auxilia quam illa, his potius liberis creaturis quam illis destinet? Neque tamen ita manet ultimum arbitrium rerum in manu Dei, ut de seria Dei voluntate salvandi omnes sine exceptione homines jure jam dubitare possimus, quemadmodum necesse videtur dubitari de ea voluntate in eorum opinione, qui profitentur ad omnem prorsus actionem creaturae, etiam liberam, Dei praedeterminationem physicam necessariam esse. Hi enim profiteri tandem debent etiam illud alterum, quod saepe jam diximus: multis hominibus non omnia ea divinitus praesto esse auxilia, quibus omnino opus est, ut reapse bene operari possint. Quomodo autem cum hac destitutione creaturae in rebus necessariis ad salutem cohaeret seria et vera voluntas Dei eam salvandi?

Alterum etiam, quod hoc loco Thomistae Molinistis opponebant, falsum est. Etenim circa quaestionem hanc: homo salvandus et praedestinatus cur reapse salvus fiat: in sententia Molinistarum ultimatim nequaquam sisti potest in bono usu libertatis creatae et gratiarum, sed etiam secundum Molinistas sistendum est omnino in Dei libera dilectione et electione. Nam hoc saltem dicendum est, Deum iis, qui reapse salvi fiunt adeoque ab aeterno praedestinati sunt, ante omne prorsus eorum meritum et opus bonum absolute praevisum, destinasse et selegisse gratias gratiarumque seriem, quibuscum in iis conditionibus, in quibus Deo disponente versabuntur, reapse et finaliter sint cooperaturi; aut si de parvulis sermo est, ratio ultima, cur hi salvi fiant, est voluntas Dei absoluta, qua absolute vult, his parvulis, in iis adjunctis, in quibus reapse nascentur et in quibus, Deo disponente, ante usum rationis diem supremum obibunt, salutis remedia per alios homines libere applicari. Horum autem aliorum voluntates *utique* non physice praedeterminat Deus ad ea sub

sidia iis parvulis applicanda, sed hos alios variis modis movet, ut ea propria determinatione et electione reapse applicent. Quae cum ita sint, manifestum est, etiam coelestem gloriam sanctorum in ipsa dilectione et benevola electione Dei ad gratiam finaliter efficacem, et non in horum sanctorum praeviis meritis primam rationem et radicem, cur conferatur, habere. Nam *in illis gratiis finaliter efficacibus aut in iis salutis remediis parvulis reapse applicatis* Deus praedestinatis simul et efficaciter voluit et *radicaliter* etiam contulit *sine ullis eorum meritis* gloriae coelestis coronam ab adultis propriis etiam meritis promerendam, parvulis vero solis meritis Christi sine ullis propriis meritis mere gratuito donandam. Totum ergo salutis opus est Dei, et salutis initium et finalis perseverantia ; totum tandem est in manibus Dei. Falsum igitur est, secundum Molinistas in hac quaestione, cur praedestinatus salvus fiat, ultimatim sistendum esse in bono usu liberi arbitrii et gratiae ; in Dei dilectione et electione ultimatim etiam secundum Molinistas ut pedem figamus, necesse est. Nec mera haec assertio est, sed cur in Dei dilectione et electione tandem sistendum sit, clare a Molinistis ostenditur. Et haec de quarta et ultima objectione Thomistarum hoc loco per se sufficiunt, addemus tamen pauca quaedam, quae ad illustrandam Molinistarum doctrinam de praedestinatione et ad ejus cum doctrina SS. Doctorum Augustini et Thomae convenientiam demonstrandam prodesse possint.

Notamus igitur eam, quam modo tradidimus praedestinationis rationem, ad praedestinationem spectare complete, et ad amussim convenire cum definitione ejusdem praedestinationis, quam olim SS. Doctores Augustinus et Thomas tradiderunt. Ait ille inter alia « de Dono persev. » c. 14, n. 35 : « Haec praedestinatio sanctorum nihil aliud est, quam praescientia scilicet et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, [a perditione] quicumque liberantur ». Hic vero 1, q, 23, a. 1 in corp. : « Ratio transmissionis creaturae rationalis in finem vitae aeternae [in mente divina praeexsistens] praedestinatio nominatur » (1). Hanc transmissionis rationem evidens est ex hoc ipso loco et locis parallelis in praevia nota laudatis respicere non solum finalem collocationem creaturae rationalis in coe-

(1) Aliis etiam locis eandam definitionem praedestinationis, complete spectatae et simpliciter dictae, verbis aequivalentibus Aquinas repetit : in ep. ad Rom. cp. 8, lect. 6 ; « de Ver. » q. 6. a. 1 in corp. ; 1 dist. 40 q. 1, a. 1. in corp. et ad 4 ; 1, q. 23, a. 2 ad 4 ; ibid. a 3 in corp. etc. Cfr Mannens « De voluntate salvifica et praedestinatione », Lovanii 1883, pag. 91 sqq. Est tamen etiam alius modus considerandi praedestinationem in usu non solum apud hos SS. Doctores sed etiam in Scriptura sacra, qui modus considerandi imcompletus est. Hic habetur, quando praedestinatio dicitur esse quaedam dispositio in mente divina praeexsistens, qua *opus particulare* aliquod supernaturale creaturae efficaciter a Deo praeparatur sive id ad ordinem meae gratiae sive ad ipsam gloriam coelestem et finalem seorsim sumptam spectat. Hic modus in Scriptura et apud S. Augustinum frequentissimus est, minus omnino frequens est apud D. Thomam. Cfr Ephes. 1, 5. 11 ; 1 Cor. 2, 7 ; Rom. 9, 11 etc. ; S. Aug. « de Dono persev. » c. 17, 41 et 42 « de Praedest. Sanct. » c. 10, n. 19 « Inter gratiam porro et praedestinationem hoc tantum interest, quod praedestinatio est gratiae praeparatio, gratia vero jam ipsa donatio » ; ibid. c. 14, 31 et in iisdem libris passim. Cfr Franzelin « de Deo Uno » thes. 56. — Cfr S. Thomas 1, q. 23, a. 5 ; 1 dist. 41, a. 3 ; ep. ad Eph. 1, lect. 1. ; et Mannens ll. p. 127 sqq. ; Franzelin ll. thes 64 initio.

lesti gloria, sed etiam omnia ea adjumenta, quibus ipsa in felicissimum illum statum vitae aeternae, non tamen sine libera sua cooperatione, efficaciter a Deo promovetur. Haec si simul sumuntur: in Dei specialem dilectionem et electionem adaequate *reducuntur* omnia, quaecunque ad salutem nostram pertinent ab initio fidei usque ad consummationem in gloria, et amplior quam haec Dei gratia secundum doctrinam catholicam necessario praedicanda non est. Haec autem omnia sine praemotionibus et praedeterminationibus physicis possunt praedicari et sustineri in systemate Molinistarum, nullo illato libertati actionum nostrarum detrimento atque integra manente, ut oportet, potestate perseverandi in bono usque in finem, etiam in iis hominibus justis, qui non perseverabunt de facto, ob eamque causam praedestinati non sunt. Contra praemotionibus et praedeterminationibus physicis, si utendum est, Deus quidem omnis salutis humanae auctor est, sed ut nobis videtur, 1° pessumdata humanarum actionum libertate, atque omni pessumdato merito; 2° adempta possibilitate adaequata et in actum reducibili perseverandi in bono omnibus iis fidelibus, qui de facto non perseverabunt (1); et si 3° haec doctrina praemotionum et praedeterminationum physicarum ad omnem actum, etiam ordinis naturalis, extenditur, fit Deus non minus auctor malarum actionum quam bonarum. Haec autem omnia intolerabilia sunt.

Si quis autem putet, defendi oportere secundum veritatem revelatam, praedestinationem ad gloriam *seorsim sumptam* in decretis divinis locum habuisse ante praevisa absolute merita sanctorum, id etiam rejectis praemotionibus et praedeterminationibus physicis Thomistarum defendi ab unoquoque potest, quemadmodum id Suarez, Bellarminus, Ruiz, alii strenui praemotionum et praedeterminationum physicarum adversarii reapse fecerunt (2), dummodo recordetur et concedat, in hac se re suam privatam opinionem, non doctrinam Ecclesiae defendere. Nam Innocentio XII auctore haec de praedestinatione ante praevisa merita doctrina ad illas profundiores difficilioresque de gratia quaestiones pertinet, quas non necesse habemus

(1) Id si asseritur, contra declarationem Arausicani II in epilogo manifestam asseri, evidens est. Cfr Denz. Enchiridion etc. n. 169. Ita autem a parte rei asseri a recentioribus Thomistis, nobis persuademus ob ea, quae supra de insufficientia auxiliorum ad opus salutare illorum, quae tantum Thomistice sufficientia sunt, docuimus.

(2) Hic aliud aliquid de Bellarmino adnotare placet. Bellarminus, etsi aliquam prae*motionem* Dei physicam antecedentem ad omnem actum nostrum liberum et deliberatum necessariam esse duxit (concursum praevium), tamen jure et ipse opinatus est, se a partibus Molinistarum stare, et ab ipsis Molinistis semper inter asseclas suae sententiae numeratus est, propterea hanc praemotionem defendere voluit a praevio quodam modo se habendi voluntatis humanae negativo. — Nolo tamen ullo modo assere, nihil interesse, utrum talem praemotionem physicam ad singulos actus nostros necessariam esse, affirmemus necne. Nam, etsi fortasse via sit, qua tali concursu praevio statuto vis praedeterminationis physicae declinari possit, saltem quomodo hac sententia asserta, Deus non evadat auctor proprie vel saltem particeps malarum actionum, difficilime ostenditur, nisi dicas praemotionem esse ad agendum in genere, non ad certum actum etc. De doctrina Bellarmini cfr ejus « Controv. de Grat. et Lib. Arbit. » l. 4, c. 16, cfr. c. 14 et 15; ejus Scriptum in defensionem Lessii § « Neque his » apud Liv. de Meyer. ll. p. 787. — P. Daniel S. J., quem etiam ferunt praevium concursum docuisse, id nequaquam fecit; sed opinans, concursum praevium a S. Thoma tradi, quaerit in Epist. 10 ad R. P. Alexandrum (Natalem) ejus quandam explicationem rationi consentaneam. Cfr « Lettres au P. Alexandre ». Ep. 10.

adstruere. Ceterum id contra mentem S. Thomae fieri, luculenter ostendit, quem saepe nominavimus, Mannens in dissertatione laudata p. 101 sqq. Cfr etiam Franzelin « de Deo Uno » thes. 64. Pauca etiam nos in decursu libri de hac quaestione attingemus. Per se enim ad propositum nostrum non pertinet. Sancto Augustino eam sententiam immerito tribui, ostendit Franzelin II. thes. 61 sqq. — Haec de objectionibus Thomistarum.

SCHOLION.

Sunt et fuerunt, qui contenderent, Patribus Societatis Jesu anno 1613, die 14 decembris praeceptum esse a P. Claudio Aquaviva, ejusdem Societatis praeposito Generali, ut non solum praedestinationem ad gloriam ante praevisa merita in scholis suis et libris scriptis ut veriorem traderent, sed etiam profiterentur, omnium et singulorum operum bonorum praedefinitionem absolute et antecedenter a Deo factam esse. *Hoc systema « Congruismum » appellant* et non immerito imprimis Suarezio tribuunt, opponuntque ipsi « Molinismo » qui duo illa doctrinae capita minime comprehendat(1). At quamquam decretum Aquavivae (2), si obiter nec totum inspicitur, potest videri illa duo doctrinae capita tanquam praecepta involvere; si tamen ipsum inspicitur diligentius et perpenditur accuratius, et praesertim si authentica ejus interpretatio consulitur, ea capita praecepto imposita esse censeri minime potest.

Et profecto ita censendum non esse 1° quidem *ex ipsis verbis decreti* satis colligitur. Quid enim suo consequi decreto Aquaviva voluit? «ut *in tradenda, inquit, divinae gratiae efficacitate nostri eam opinionem sequantur... quae a plerisque Societatis nostrae scriptoribus tradita ac in controversia de auxiliis divinae gratiae coram SS. Pontificibus piae memoriae Clemente VIII et SS. D. N. Paulo V tanquam magis consentanea SS. Augustino et Thomae gravissimorum Patrum judicio explicata et defensa est* ». — Duae igitur notae illi doctrinae de efficacitate divinae gratiae competunt, quam Aquaviva suis subditis praescribendam censuit. Principio autem forsitan interrogaveris, num ea duo capita, de quibus agitur, pertineant omnino ad quaestionem de efficacite gratiae explicanda. Sed de hac quaestione postea. Modo notas illas inspiciamus, quibus doctrina de efficacitate gratiae ab Aquaviva alumnis Societatis Jesu praescripta ipso testante insignitur: 1° tradita est ea doctrina de efficacitate gratiae a plerisque Societatis Jesu *scriptoribus;* 2° *explicata et defensa est in celeberrimis illis controversiis, quae coram SS. Pontificibus Clemente VIII et Paulo V habitae sunt*, tanquam magis consentanea doctrinae SS. Augustini et Thomae. — Quaero, num hae notae in duo illa capita ullo modo conveniant?

Absolutam et antecedentem praedefinitionem bonorum operum *negant*

(1) Vide inter alios Gayraud « Thomisme » etc. p. 26 sqq et p. 218 sqq.
(2) Exstat integrum apud Schneemann, p. 303.

inter alios ejus aetatis *celeberrimi* ex Societate Jesu *scriptores*: Lessius, ipse Valentia, qui usquedum morte sublatus est, partes Societatis in illis controversiis magna cum laude sustinuit (in 1 P., disp. 1, q. 22, p. 3), Vasquez (in 1 P., disp. 89, c. 10; disp. 99, c. 3 et 7; in 3 P. disp. 74, c. 6); item Bellarminus (de Grat. et Lib. Arbitr. l. 4, c. 15 et 16). — Praedeterminationem autem ad gloriam ante praevisa merita factam esse inter alios *negaverunt* ea aetate non Molina solum et Lessius, sed Valentia etiam (in 1. P., q. 23); Vasquez (in 1 P., disp. 89); Toletus (in 1 P., q. 23).

Quis autem negaverit, hos omnes inter plane primarios Societatis scriptores referendos esse? Ergo nisi velimus aeque injuriose atque improbabiliter affirmare, nescivisse Aquavivam, quid primarii Societatis theologi sua aetate docerent in ea quaestione, de qua agebatur, non potuit decreto suo velle comprehendere duo illa capita ; nihilominus ea multi etiam hac aetate contendunt ab ipso eo decreto omnibus Societatis Jesu professoribus et scriptoribus esse praescripta.

Aeque porro certum est, coram SS. Pontificibus duo illa capita a Jesuitis nec explicata esse nec unquam defensa ut capita, quae doctrinae SS. Augustini et Thomae magis consentanea essent.

Nihil insuper 2° illae rigidiores de praedestinatione etc. opiniones videntur conferre ad efficacitatem gratiae uberius explicandam. Circa hanc autem rem totum decretum Aquavivae versatur, quemadmodum ex ipso patet. Et revera, nulla nova ratio, cur gratia efficax dicatur et sit, manifestatur, sive antecedentem ante praevisa merita praedestinationem ad gloriam, antecedentem quoque et plane absolutam omnium bonorum actuum praedefinitionem defenderis, sive eorum contradictoria statueris — dummodo teneas, gratiam efficacem, quoties detur, ut efficacem a Deo dari i. e. dari eam a Deo ut infallibiliter secum ferentem eum actum bonum, quem virtualiter in se continet, et cum hac absoluta intentione dari, ut eum actum reapse producat ; quae sane duo defendi possunt illis duobus capitibus non admissis (1). Ergo ea quidem pars decreti sub intentionem praecipientis cadere censenda est, qua statuitur « discrimen agnoscendum esse inter gratiam mere sufficientem et gratiam efficacem non tantum in actu secundo, quia gratia efficax ex usu liberi arbitrii, etiam cooperantem gratiam habentis, effectum sortiatur, altera non item; *sed in ipso actu primo,* quod posita scientia conditionalium ex efficaci Dei proposito atque intentione efficiendi certissime in nobis boni » eligatur et conferatur.

Cum hac doctrina intime duae aliae cohaerent, quae eodem decreto praescribuntur. Est enim ratio beneficii in gratia efficaci semper major quam in gratia mere sufficienti, etsi secundum se et entitative sunt eaedem. Efficit porro hac ratione Deus vere, ut reipsa bonum faciamus, non tantum ut facere id possimus. Atque hae sunt doctrinae ejus-

(1) Cfr supra p. 68 sq.

modi, quae etiam Aquavivae tempore a Societatis scriptoribus passim traderentur.

Quid vero de iis, quae praeterea in decreto continentur? Considerari possunt ut explicationes quaedam uberiores, non quae a theologis Societatis necessario defendendae sint, sed quae ab illis tradi possint, utpote quae illis, quae praescripta sunt, apprime consentanea sint (1).

Hunc reapse sensum esse decreti 3° definite constat ex ejus *authentica* interpretatione. Anno enim 1616, demortuo Aquaviva, celebrata est ordinis Congregatio Generalis septima. Electus est P. Mutius Vitellescus Generalis. Hic munitus suprema auctoritate Congregationis Generalis epistola data 7 junii ejusdem anni authentice declaravit, quis sensus decreto Aquavivae subesset.

Cujus declarationis verba haec sunt: «Cum difficultas aliqua inter viros doctos super decreto R. P. N. piae memoriae anni 1613 decembris 14 de efficacia gratiae nata esset, variis varie id interpretantibus: R. P. Praepositus Generalis et qui tunc Assistentes erant et Secretarius, *qui decreto illi praesentes interfuerunt, et mentem R. P. Claudii probe perspectam habebant,* itemque Patres ad id a Congregatione generali deputati censuerunt, *non intendisse R. P. Claudium hoc suo decreto decernere, Deum sua voluntate praedeterminasse seu praedefiniisse aliquod opus nostrum bonum independenter a cooperatione liberae nostrae voluntatis* [*negatur praedefinitio antecedens omnis tanquam praescripta*] nec etiam, quod in gratia efficaci sit aliqua entitas realis aut aliquis modus physicus in actu primo, qui non sit in gratia sufficienti; *sed hoc tantum, quod fuerit speciale beneficium Dei, dedisse uni v. g. Petro ex proposito boni in eo faciendi, gratiam eo tempore et loco, quo scientia conditionalium praescivit, illum ea gratia usurum;* quod beneficium non contulit alteri v. g. Joanni, cui dedit gratiam eo tempore et loco, quo praescivit illum sua culpa ea non usurum».

Hac declaratione *omnis* absoluta et antecedens praedefinitio bonorum operum ab intentione decreti excluditur; vis autem decreti ad agnoscendum speciale beneficium Dei in omni gratia efficaci restringitur; quod ipsum beneficium speciale sic describitur, ut Deus ex intentione efficaci (non tamen necessario antecedente) operis salutaris reapse ponendi, auxilium, quod praevidit congruum esse, homini ab aeterno destinaverit, in tempore contulerit. Nihil hic de praedestinatione ad gloriam ante praevisa merita occurrit; imo ipsa illa opinio excluditur, aut hanc doctrinam aut alteram, quae est de antecedente et absoluta praedefinitione omnium bonorum operum, in scholis Socie-

(1) Non dicimus, ea esse necessario vera. Imo putamus, ea minus vera esse. — Ceterum ipsum decretum conditum videtur contra eos theologos, de quibus Bellarminus « De Grat. et Lib. Arbit » l. 1, c. 12. Hi constituebant gratiam efficacem « in assensu et cooperatione humana, ita ut ab eventu [ solo ] dicatur efficax, quia videlicet sortitur effectum, quia voluntas humana cooperatur ». Hanc utique sententiam Bellarminus jure censet alienam esse a sententia Augustini, et addit: « Quantum ego existimo, a sententia etiam Scripturarum divinarum [ aliena est ].Opinor tamen, hos Theologos notatos magis verbis quam re errasse, quia non satis efferebant id, quod certe animis non diffitebantur.

tatis Jesu necessario tradendam esse. Imo hoc praescribitur, ut profiteamur, efficacem gratiam prae mere sufficienti speciale Dei beneficium esse, specialis autem beneficii rationem ut in hac re constituamus, quod gratia efficax a Deo detur nobis, ex proposito boni operis reapse in nobis efficiendi, eo tempore et loco, quo scientia conditionalium Deus praescivit, nos ea gratia esse usuros; quae utique doctrina alteram doctrinam de gratia in actu primo efficaci involvit, non involvit doctrinas de praedestinatione ad gloriam merita antecedente, nec de antecedenti omnium bonorum operum praedefinitione (1).

Colligamus alia quaedam. Atque 1° quidem ex hac ipsa argumentatione intelligitur, Congruismum, si ita explicetur, quemadmodum quidam scriptores, de quibus supra, eum explicant, — nam aliis aliter eum explicare placet — ab ipso, qui proprie dicitur, Molinismo sane non leviter differre (2); 2° decipi vero illos scriptores, quando ulterius asserunt, ob P. Aquavivae decretum hoc Congruismi systema a theologis Societatis defendendum esse; 3° constat, sine ullo vero in rerum historia fundamento a quodam recentiore scriptore affirmatum esse, hunc quidem Congruismum ex congregationibus de auxiliis divinae gratiae coram SS. Pontificibus celebratis nihil laesum prodiisse, nullo vero modo id de antiquiore et vero Molinismo dici posse (3). Profecto in hac assertione, quam ille scriptor propterea videtur facere, ne pro nihilo videantur Dominicani tot annis tam acriter contra Jesuitas in illis controversiis decertasse, prorsus decipitur. De quibus enim quaestionibus in illis congregationibus coram SS. Pontificibus omnino actum est? De quatuor hisce : 1° Quae sint naturales vires liberi arbitrii secundum S. Augustinum, quae secundum P. Molinam; 2° Sitne admittenda in Deo vera scientia media; 3° Asserendumne sit cum Thomistis, gratiam efficacem esse adaequate ab intrinseco et suapte natura efficacem, ut damnatos Pelagianorum errores evadamus; an potius 4° cum Molina et PP. Societatis Jesu generatim dicere oporteat, praedeterminationes physicas ad unum agendum rejiciendas esse, quia illis assertis in damnatum errorem Calvini contra libertatem humanam incidere necesse sit. Haec in illis congregationibus coram SS. Pontificibus disputata sunt; de duobus vero illis capitibus actum est nihil. Quo ergo jure potest dici, vel quidquam de iis capitibus pronuntiatum esse vel quidquam circa ea a Jesuitis esse concessum; doctrinamque Molinae, quasi defendi non posset, esse derelictam ?

(1) Cfr de tota hac quaestione Schneemann, p. 305 sqq.

(2) Ceterum aliquem Congruismum a gratia congrua dictum omnes passim Jesuitae profitentur.

(3) Cfr R. P. Gayraud, ll., qui in quibusdam decreti Aquavivae verbis haerens et cetera omnia negligens, decretum ita interpretatur, ut affirmetur, duo illa capita fuisse in Congregationibus de Auxiliis Gratiae a PP. Societatis explicata et defensa, *relicta tanquam improbabili et prodita sententia Molinae*, cum tamen vel ipse Suarezius fateatur ( l. 3 de Concursu c. 16 n. 8 ), eam sententiam vere probabilem esse his verbis: « revera probabilis est [ ea sententia ], et nihil involvit aperte impossibile vel quod aliqua ex parte ad errorem Pelagii accedat » etc. Cur itaque tam aperte falsa traduntur? maxime cum authentica interpretatio decreti, saepe impressa exstet v. g. apud Billuart t. 6. « De Gratia » diss. v. art. 2, n. II ; apud Schneemann ll.

Ceterum illud notemus, inventum tandem esse scriptorem ex Dominicanorum familia, qui explicite fateretur, caput princeps, cur Dominicani Molinam et omnes passim Jesuitas tamdiu, tamque vehementer impugnassent, eosque Pelagianismi frequentissime accusassent: quod nimirum reprobarent gratiam adaequate et simpliciter ab intrinseco efficacem et physice praedeterminantem (id quidem ipsum, pugnam hac de re fuisse, R. P. Gayraud obscurare studet, cfr v. g. « Thomisme » etc. p. 81), illam, inquam, eandem doctrinam ex tot tamque vehementibus impugnationibus plane illaesam prodiisse.

Atque hic fructus est quidam, quem documenta illa authentica a R. P. Schneemann nuper in Bibliotheca Barberina reperta attulerunt. Fuit autem exitus controversiae Molinae eo gloriosior et pro causa ejus gravior atque laetior, quia nihil non actum erat ea aetate, ut propter hanc potissimum doctrinam systema ejus a Romanis Pontificibus damnaretur.

---

## § 2

## Controversia, de qua nobis agendum est, accuratius circumscribitur et a secundariis quaestionibus expeditur.

### ART. I

#### DEFINITUR ACCURATIUS, QUAENAM IN PRAEMOTIONIBUS ET PRAEDETERMINATIONIBUS PHYSICIS RECENTIORUM THOMISTARUM ESSENTIALIA SINT, QUAE NON SINT ESSENTIALIA.

Ex iis, quae hucusque disputavimus, satis liquet quid essentiale sit in controversia de praemotione et praedeterminatione physica, quid non sit essentiale. Toto igitur reliquo libro investigabimus, quae mens fuerit D. Thomae circa hanc quaestionem: num necesse sit, natura prius, quam ullum creatum agens, nominatim voluntas creata libera, agat, exerceri in ipsum divinitus impulsum quendam physicum (motionem physicam), qui ad certam et determinatam actionem ita pertineat, ut propter physicam energiam hujus impulsus et causalitatem ejus vere efficientem, quatenus instrumentum est in manu Dei, agens creatum ceteroquin ad agendum expeditum hanc praecise actionem physica imo metaphysica cum necessitate producere debeat, at sine hoc eodem perficere eam actionem *reipsa* nullo pacto possit.

Addunt Thomistae, hunc Dei influxum in liberis causis talem esse, ut non solum necesse sit, vi ipsius procedere a libera causa eam actionem,

quam Deus velit producere, *sed etiam eam libere procedere*. Hoc ultimum additum, num cum principali assertione, quae plane universalis est, apte componatur, valde dubitandum, et secundum ea, quae supra ostendimus, omnino negandum videtur. Nihilominus si reperiretur, S. Thomam principalem assertionem statuisse, utique eidem illa secundaria quoque tribuenda esset. Itaque de uno principali quaesito accuratius, quid S. Thomas senserit, investigabimus.

Ut autem quid illud sit, quod apud S. Thomam quaerimus, clarius etiam constet, principale enuntiatum Thomistarum in sua elementa distribuamus.

Statuitur itaque a Thomistis 1° absolute *necessarium* esse Dei in omne agens creatum, etiam in liberam voluntatem, antequam agat agereque reipsa possit, physicum quendam influxum (motionem physicam), qui omnino determinatam et certam actionem creaturae ad agendum ceteroquin expeditae respiciat; 2° non duratione et tempore, sed natura et causalitate hunc influxum (hanc motionem) actionem causae secundae antecedere; 3° hunc influxum, ubi primum in creatura ceteroquin ad agendum expedita insit, pertrahere physica energia et vere physica efficientia, quatenus quidem a Deo procedit, virtutem creati agentis in eam determinatam actionem reapse ponendam; nec quod ad hunc effectum attinet quidquam refert, virtus causae creatae naturalis an supernaturalis sit ; 4° non solum physica sed etiam metaphysica necessitate motione divina posita ea actio a creatura ponitur, quantum scil. est ex vi motionis divinae receptae. Haec elementa contineri in ea notione, quam Thomistae proponunt, praemotionis et praedeterminationis physicae, non amplius probandum est, quia id jam factum est supra, auctoritatibus ex schola Thomistica sufficienter allatis (1).

(1) Nihilominus addo aliquos alios locos ex celebribus Thomistis petitos, ut de iis punctis luculentius etiam constet. Ait Nazarius in p. 1, qu. 22, a. 4, controv. 2 (edit. Colon. a. 1621 p. 617. 27. 2). « Haec vero applicatio (voluntatis). . . duplex est. Altera, quae a solo Deo est, ad quam mere passive se habet creata voluntas. . . et haec applicatio praevenit instanti naturae, saltem a quo, non solum operationem voluntatis, sed eam etiam applicationem, qua libere se ipsam applicat voluntas ad agendum. . . Altera applicatio, est, qua voluntas a Dei motione praeventa se ipsam libere applicat ad agendum. Et quemadmodum illa prior, sic et haec altera posterior modus quidam est realis additus creatae voluntati, ab ipsa non omnino realiter [i. e. ut res a re], sed tantum realiter metaphysice [ut modus a re modificata] distinctus, quo etiam distinctionis modo prior applicatio a posteriori distinguitur. Quam distinctionem alibi diximus esse sufficientem, ut ea applicatio, qua se ipsam applicat creata voluntas, *ab ea causetur*, quam prius efficit Deus, ita ut prior quidem applicatio sit a solo Deo, posterior vero non sit a sola voluntate, sed etiam a Deo, qui media illa praeveniente applicatione facit, ut seipsam voluntas applicet ad volendum, adeo ut posterior haec applicatio magis et prius a Deo primo movente dependeat, quam ab ipsa voluntate, sicut etiam omnis operatio et effectus secundae causae magis dependet a causa prima quam a secunda. . . Quod autem creata voluntas incipiat velle hoc, cum prius non vellet, positis etiam omnibus ad agendum requisitis, *fieri nullo modo potest nisi praevia mutatione aliqua* in ipsa voluntatis potentia » (a Deo scl. facta).

Lemos in Actis Congr. coram Paulo V., ed. Lov. 1702 p. 1065 : « Illa dictio « physica » nihil aliud significat in hac parte nisi illam priorem et divinam causalitatem applicantem et determinantem voluntatem *esse vere et proprie efficientem*, quod voluntas se determinet ».

Alvarez II. disp. 22. p. 156 ( edit. Lugdun. a. 1611. n. XIV, pag. 190 ) : « Deus per decretum suae voluntatis, et non aliter, causat omnia, quae fiunt in tempore. . . Dei autem volitio an-

Probandum vero nobis est, alia, quae Thomistae de his motionibus affirmant et quae magnam partem apud ipsos controversa sunt, nihil substantiam quaestionis attingere. Nihil admodum igitur attingit substantiam quaestionis, num illum influxum Dei « qualitatem », quam dicunt, velis vocare, an velis eam satis obscure « motionem Dei virtuosam » appellare. Hoc ipse adversarius fatetur. Cfr Dummermuth p. 15. nota 4. Quaecunque enim *principales* contra praemotionem et praediterminationem physicam difficultates moventur, non fundantur in hac re, quod ille influxus determinatae speciei entitas sit, sed quod *influxus physice determi-*

tecedit et aeternitate (secundum se) et causalitate terminative et in effectu volitionem causae secundae; ergo prius Deus vult, ut ego velim, quam ego reipsa velim; ergo non sum ego voliturus, nisi Deus prius sua voluntate efficaci decernat, ut ego velim: ergo per illud decretum antecedens, *cui nullus potest resistere*, voluntatem humanam praedeterminat ad volendum ».

Graveson II. II Ep. 3. « Gratia sufficiens in sensu Thomistico intellecta non complectitur in se omnia, quae sunt necessaria ad actu agendum. Quo fit, ut praeter gratiam sufficientem in sensu Thomistico intellectam, alia ex parte Dei ad actu agendum requiratur gratia, quae est per se et ab intrinseco efficax, quaeque complectitur omnia, quae sunt necessaria ad actu agendum. Verbo dicam: Thomistae nomine gratiae sufficientis intelligunt gratiam possibilitatis, et non actionis, quae intellectum illuminat et voluntatem excitat; quae dat homini posse bonum operari, sed non actualem et perfectam operationem; quae suadet pietatis opus, sed non persuadet; invitat voluntatem humanam, non trahit; inspirat velle, sed non impertitur. Haec est vera et genuina sufficientis gratiae in sensu Thomistico intellectae notio, quae toti probatur scholae Thomisticae ».

Reginaldus II. I. cp. 7 (edit. Antverp. a. 1706 col. 57) « Quia non stat, Deum nos movere, quin una moveamur, neque nos alio pacto movemur quam agendo, fit inde, ut sicut non consistunt simul actio et cessatio ab actione vel contraria actio, ita *prorsus non stet, nos a Deo moveri (praemotione physica) quin simul agamus;* et hinc est, quod per illam motionem insuperabiliter et indeclinabiliter dicimur agi ».

Lemos II. p. 1244: « Si ergo impossibile est, quod actus determinatus procedat a potentia indeterminata in actu primo, ergo necesse est, ut producatur actus determinatus, quod potentia sit determinata in actu primo et *prius natura sit reducta in actum primum et prius sit reducta de potentialitate in actum. Haec ergo reductio in actum primum necessaria omnino ad actum secundum,* est illa Dei motio praedeterminans et auferens illam potentialitatem et indeterminationem privativam et imperfectam voluntatis. Ista sunt manifestissima principia in philosophia ». In sua Panoplia vero l. 3, tr. 2, c. 14, n. 155 sq. idem Lemos haec statuit:

« Dicendum, tertio, ut voluntas creata sit libera in instante, quo operatur, requiritur, quod *in priore rationis signo sit reducta in actum ad operandum.* Haec patet ex prima conclusione, quia non potest actio exire ab agente, secundum quod in potentia, sed secundum quod est in actu: ergo ut voluntas sit libera in instante, quo operatur, oportet, quod in priore signo rationis intelligatur reducta in actum; *ergo si non praeintelligatur sic in actum reducta in illo primo rationis signo, nec operabitur. Quod autem a se non possit se reducere de potentia in actum, dictum est supra; unde a Deo debet sic de potentia in actum reduci.* Ex hoc manifeste sequitur, quod considerata voluntas in illo priore signo rationis non habet illam potentialitatem seu illam indifferentiam quoad actum...

« Ex hoc dicendum est quarto, quod *ut voluntas sit libera in instanti, quo operatur, non requiritur, quod in priori rationis signo quam se determinet, talem habeat indifferentiam, qua possit cum illa praemotione seu reductione in actum primum conjungere contrarium dissensum;* vel quod idem est, *non debet habere in illo priore rationis signo talem indifferentiam, ut in sensu composito possit elicere oppositum dissensum.* Haec patent ex dictis, nam in illo priori signo rationis est voluntas reducta ad actum primum, ut agat: sed *hac facta suppositione fieri non potest, quod non agat:* ergo cum illa reductione in actum non potest voluntas conjungere contrarium dissensum».

Quaero modo unum: ubi inter varias has assertiones libertati maneat locus? 1° del et potentia voluntatis reduci in actum, ut possit operari; 2° haec in actum reductio non potest fieri nisi a Deo; 3° ita reducta a Deo in actum non potest voluntas in actionem oppositam procedere; sed 4° debet omnino actionem elicere, circa quam est divinitus reducta in actum. Ita omnes illi Thomistae. Sed ubi hic libertas?

*nans ad actionem ab extrinseco* i. e, a Deo liberae creaturae adhibitus sit (1).

Pariter non multum refert, utrum dicas, eum pertinere ad actum primum agentis creati, quod verius dici videtur, an ad ejus actum secundum. Nam etiam circa hoc nec una nec constans Thomistarum sententia aut saltem loquendi modus est. Et ratio diversitatis sive opinionum sive modi loquendi satis patet. Etenim etsi a parte rei verius esse videtur, eum influxum non posse pertinere ad actum agentis secundum, siquidem hic *exercitium activitatis* secundae causae *formaliter* dicit, ille vero influxus secundum Thomistas creaturam mere *passive se habentem afficit* (2) *ejusque agendi vigorem* complet, estque *causa proprie efficiens* actionis creaturae, ut saepissime Thomistae ajunt, quae in ordine praesertim supernaturali voluntati dat vires efficacissimas et insuperabiles (3); ex altera tamen parte nimium evidens fuit, gratiam, quam Thomistae sufficientem vocant, nequaquam esse sufficientem ad agendum, si subjecto ne primum quidem actum ad operandum complete det: ideo non unum dicunt Thomistae, sed diversa: modo dicunt, eum influxum ad actum primum pertinere, modo vero volunt, eum pertinere ad actum secundum, modo eum inter primum et secundum actum medium locum tenere asserunt. Atque primum quidem, quemadmodum dixi, videtur esse verius, alterum est ad defendendum systema Thomistarum commodius, tertium vult utrumque commodum conjungere; sed vano, ut puto, conatu. Nam, ut dixi, quod vera causa efficiens est actus secundi, quod vigorem agendi complet, quod in ordine supernaturali vires efficacissimas et insuperabiles ad agendum i. e, ad actum secundum eliciendum largitur, id profecto non pertinet ad actum secundum agentis nec medium est inter actum primum et secundum, sed est aut ipsissimus actus primus aut est ejus intrinsecum complementum. Vide Suar. loco de « Gratia » modo in nota laudato (4).

Sed quidquid in hac quaestione affirmatur a Thomistis, nihil aut paullum refert ad controversiam, circa quam D. Thomae mentem investigabimus: omnia enim praecipua argumenta contra praemotionem et praedeterminationem Thomistarum in utroque loquendi modo immota constant. Hoc per se evidens est, si affirmatur, praemotionem et praedeterminationem physicam pertinere ad actum primum. Nec minus est evidens, si dicitur eam ad actum secundum pertinere. Et profecto si in ceteris manet indoles praemotionis Thomisticae talis, qualem supra

(1) Cfr. Limbourg, Zeitschr. für Kathol. Theol. 1891 p. 480 sq.

(2) Cfr nota praecedens: testimonium Nazarii. Alia supra attulimus.

(3) « Hunc igitur influxum, hanc applicationem, inquit Goudin O. P. Philos. p. 4, disp. 2, q. 3, a. 2, qua Deus reddit causas secundas in actu secundo agentes, qua virtutem transfert ab otio ad exercitium, *qua omnibus ultimum agendi vigorem influit*, vocamus praemotionem. Cfr etiam nota penultima; et praesertim Suarez « de Grat. » l. 3, c. 3, n. 16 sqq. ubi ostendit, aliter quam sic praemotionem et praedeterminationem physicam Thomistarum intelligi non posse.

(4) De hac controversia vel, si placet, de hoc diverso loquendi modo Thomistarum cfr inter alios Suarez «de Grat.» l. 3, c. 33; « de Vera Intelligentia Aux. Eff.» c. 30; «Brevis resolutio controv. de Aux. Effic.» n. 8; Limbourg ll., 1877, p. 191 sqq. qui plurimos Thomistas affert Dummermuth p. 15 in fine.

eam descripsimus, non magis propterea *ex propria determinatione* agimus, quod unum vere liberae actionis criterium est, quia praemotio et praedeterminatio physica dicitur pertinere ad actum agentis secundum, quoniam quidem revera ita *natura praevertit*, ut nos *invincibiliter et ineluctabiliter* in eum i. e. in determinatum actum trahat. — Neque Deus minus proprie auctor est et motor, cur causa secunda actione sua exeat ex naturali sua indifferentia circa diversa bona, et amplectatur de facto falsum bonum et malum morale, si motio et determinatio physica Dei praevia, quae est ad materiale peccati, ut ajunt Thomistae, differtur ad actum secundum, quam si pertinet ad completum actum primum. An ideo vere et adaequate sufficientes evadimus ad salutariter *reipsa* operandum, quia dicimur una gratia Thomistice sufficiente nos complete habere actum primum ad salutariter operandum, si alioquin nisi efficaci gratia (natura prius) accepta et physice nos praedeterminante salutariter *reapse agere* non possumus? Quis hoc merito dixerit? — Perspicuum est etiam, mysterium et admirationem praevisionis Dei de futuris actibus liberis nullam esse, si Deus ad eos actus physice nos praedeterminat, etsi maxime dixeris, praemotionem et praedeterminationem physicam ad actum secundum liberi agentis pertinere; dummodo tamen talis *praemotio* et *praedeterminatio* sit, qualem eam supra ex placitis Thomistarum delineavimus, nam si quae ibi dicta sunt, substantialiter immutantur, status quaestionis substantialiter mutatur et plane nova quaestio proponitur.

Porro alia quoque in quaestione constanter loqui non videntur Thomistae: utrum praemotio et praedeterminatio physica *secundum se solam* virtute adaequata donata sit ad certam actionem creaturae insuperabiliter inducendam, an id habeat tantum *ut est instrumentum motum Dei adhibitum*. Quamvis enim modus loquendi prior videatur magis cum veritate cohaerere, tamen etiamsi posterius dixeris, dummodo praemotioni et praedeterminationi physicae eam insuperabilem vim movendi ad certam actionem tribuas, quam supra descripsimus, omnia praecipua argumenta, quae contra sententiam Thomistarum a Molinistis afferuntur, vim suam retinent: perit in utroque dicendi modo actionum nostrarum libertas, quia non nos sumus, qui proprie et simpliciter nos ad actionem determinamus, sed physice a Deo praedeterminati, in certam actionem physice trahimur, imo pertrahimur. Deus etiam aeque est auctor malarum actionum; quia ipse nos mediante praedeterminatione physica physice pertrahit in ipsas, cum antecedenter indifferentes circa ipsas fuerimus; nec magis evadit gratia Thomistice sufficiens ideo vere et adaequate ad reapse agendum sufficiens, quia et momentum, quod accedere debet, ut *reapse* agere possimus, gratia efficax et praedeterminans vim propriam non mere secundum se habet, sed ut est instrumentum manu Dei admotum. Denique aeque facile explicabitur, quomodo Deus futuros actus liberos praevideat, sive unum sive alterum dixeris.

Nec, *si solam substantiam controversiae cum Thomistis spectes,* multum refert, quomodo praemotionem physicam contra praedeterminationem physicam distinxeris. Si enim cum Thomistis dicas, voce praemotionis physicae totam indolem physicam et materialem praedeterminationis physicae jam indicari et contineri, nec voce praedeterminationis physicae novum aliquod momentum addi nisi hoc, quod praemovens (Deus scl.) « non modo caeco movet secunda agentia, sed prudenter ac certo et destinato consilio, intelligens, cognoscens, volensque hanc potius determinatam ac peculiarem actionem, quam aliam, atque adeo efficit vere et realiter, ut causa secunda hanc determinatam actionem eliciat » (1) : si hoc modo, non aliter velis dicere praedeterminationem physicam, a praemotione physica distingui : concedendum est, omnia argumenta praecipua, quibus Molinistae praedeterminationem physicam impugnant, aeque valere contra praemotionem physicam. Hoc videtur per se patere. Nam ita influxus physicus in causa creata a Deo exercitus utrobique idem est.

At *in se* hic modus loquendi valde perversus est et gravium errorum causa. Ergo nequaquam ita loquendum. Non enim significata harum vocum solum differunt secundum id, quod connotant in obliquo, sed in significato directo differunt. Etenim aliud omnino est physice praemovere, aliud physice praedeterminare, etiamsi solum id, quod ambae voces in recto dicunt, spectaveris. Etenim praemovere physice aliquam causam ad certam actionem ponendam est in ea causa immutationem aliquam physicam producere, influxum quendam physicum exercere, qui physica vi et pondere in eam actionem tendat, vel qui physica vi et pondere subjectum ad eam actionem exercendam inclinet atque impellat ; praedeterminare vero physice causam ad certam actionem est physice eam causam *ita* afficere, *ita* eam immutare, *ut* ob indolem physicam immutationis factae physica vi et pondere ad eam unam actionem exercendam *restringatur et adstringatur*. Nam movere causam physice in aliquid de se nihil aliud dicit, quam influxu physico producere in causa nisum physicum in aliquid ( contradistinguitur permovere physice in aliquid ) ; determinare vero causam physice ad aliquid dicit de se ambitum causae, secundum quem in diversas partes tendere potest, physica aliqua immutatione restringere, coercere ; quae restrictio, si in causa ceteroquin ad agendum expedita in ordine ad certam et determinatam actionem eliciendam facta fuerit, insuper hoc formaliter efficit, ut causam hanc actionem producere prorsus necessarium sit, alia actio elici ab ea hic et nunc reapse non possit (2). Unde differunt praemotio physica et praedeterminatio physica ad unum saltem ut genus et species ; conveniunt scilicet in hac re, quod utraque dicit physicam

(1) Reginaldus l. I, cp. 7 ( edit. Antverp. a. 1706 col. 56 ).
(2) Cfr Bastida apud Livinum de Meyer « Histor. Controv. de Auxl. » l. 1. 6, c. 6.

causae immutationem physice tendentem in unum. Et praemotio quidem physica hoc tantum dicit; praedeterminatio vero physica insuper addit, eam in unum tendentiam insuperabilem, invincibilem esse, ita ut causa in illud unum ac definitum effective tendere debeat, in aliud effective tendere jam non possit. Hoc a Thomistis circa praedeterminationes physicas statui, convenit inter omnes nec probatione jam indiget. Vide testimonia supra laudata. Manifestum est ergo, significata directa vocum praemotionis et praedeterminationis physicae longe plurimum inter se differre, non tantum illa connotatione causae intelligentis et consilio praemoventis physice, quae in altera contineatur, in priore non item. Etsi igitur S. Thomas affirmaret reipse, Deum causas omnes creatas ad actiones praemovere physice, cum censeri non possit, eum perverse locutum esse, minime ideo existimandum esset, eum etiam praedeterminationem physicam ad omnem actum creati agentis docuisse. Sed ipsum, uti videbimus, antecedens, si universe accipitur, prorsus falsum est.

Vidimus, perverse a Thomistis asseri, Deum, si ad actionem praemoveat physice, eo ipso ad eam physice praedeterminare, quia quidquid Deus operetur, consilio suae voluntatis operetur. Qui loquendi modus, si rectus esset, utique concedendum esset, Deum ad actus *saltem supernaturales* deliberatos et liberos physice homines praedeterminare, cum constet, eum physice ad eos exercendos homines praemovere. Gratia enim excitans *voluntatem* nisus quidam et tendentia physica est divinitus in potentia voluntatis producta, qua ad opus salutare exercendum inclinamur. Ergo gratia excitans voluntatem, quae vera praemotio physica est, jam ideo praedeterminatio physica esset; sed hoc falsum est, quia is nisus eaque tendentia connaturalem indifferantiam voluntatis erga diversa bona non tollit, sed relinquit integram; nec potentiam insuperabili virtute in propositum bonum illumque actum salutarem trahit, sed ita eam inclinat, ut ipsa pro suo arbitratu *possit* etiam in contrariam partem reapse declinare. Sed de hoc modo loquendi satis; de quo ne fuisset quidem disputandum, nisi errorem induceret.

Alium non minus perversum modum loquendi Thomistae usurpant. Quem ut discamus, eo majoris momenti est, quia videtur primam ansam dedisse, ut Neo-Thomismus conderetur et imponerentur S. Thomae eae sententiae, a quibus longe abesset. Haec a nobis non temere affirmari, infra patebit. Statuunt igitur passim Thomistae, neque apud adversarium nostrum R. P. Dummermuth quidquam est frequentius quam vel implicita vel explicita assertio: idem valere, imprimis apud D. Thomam: Deum *movere* physice creatum agens ad agendum et: Deum *praemovere* physice. Unde cum secundum eosdem Thomistas praemotio physica, quatenus a causa intelligente et certo consilio operante proficiscitur, ipsa praedeterminatio physica sit, constat, omnes locos, quibus a S. Thoma affirmatur, Deum physice movere omnia agentia creata ad suas operationes, Thomistis totidem testimonia esse, praedeterminationem physicam omnium a-

gentium creatorum per Deum asseri ; quasi vero nulla sit motio nisi praevia, nulla praemotio nisi praedeterminatio. Jam vero S. Thomas constanter docet, quoties agens creatum operetur, id Deo physice ad operationem movente fieri, et sine hac motione creaturam nihil operari posse. Ergo implicite et virtualiter etiam praedeterminationes physicas ad omnes operationes creaturarum omnibus illis locis S. Doctor professus est.

Quid ad haec respondebimus? Nempe hoc : concedi quidem oportere Thomistis nec dubitari posse, quin is recte omnino dicatur movere aliquam rem, *qui proximum principium motus formalis ei imprimat.* Porro quoniam causalitas hujusmodi motoris non proxime et immediate ad ipsum formalem motum subjecti terminatur, sed ad aliquid ei motui praevium, scilicet ad proximum motus principium, ideo hujusmodi motor vocari etiam potest, si placet, praemotor et hujusmodi motio praemotio. Atque verbum movendi ad talem actionem significandam in frequentissimo usu est. Nam de ipso motu locali adhibetur, unde tota locutio originem ducit. In eo enim motu corpori movendo proxime imprimitur a movente impulsus quidam, sequitur deinde vi impulsus recepti ipse motus formalis i. e. in re proposita localis ad alia loca excursus. Hoc sensu usurpatur vox movendi etiam de motibus intentionalibus v. g. in corporis

(1) Cfr Goudin O. P. Philos. p. 4, disp. 2, q. 3, a. 2, ubi haec exstant : « Quia *motio et applicatio virtutis activae ad agendum est prius natura quam ipsa actio*, sicut omnis via est prior suo termino et omnis causa suo effectu, ideo *motio illa dicitur praevia motio seu praemotio* ». His consentanea Reginaldus II. t. 1. c. 55 col. 532 eloquitur : « *Movere, inquit, non est solum cum alio concurrere,* sed *vere impetum ac impulsum in rem motam imprimere, cujus virtute moveatur, ita ut motus rei motae ab illo impulsu et impetu tanquam a causa dependeat* ». — Audiamus jam ea, quae R. P. Dummermuth p. 161 sq. docet. Patebit omnia elementa superioris discursus apud R. Patrem ad amussim inveniri. Eo loco ostendere conatur R. P., S. Thomam 1. 2, q. 10, a. 4 praedeterminationem physicam docuisse. Ut hoc efficiat, duo sumit : 1° Sumit tanquam *rem per se evidentem, motionem*, qua Deus creatam voluntatem in omni ejus actione physice movet, *esse veram praemotionem* physicam. Etenim ait : « Etiam certum est, S. Thomam agere de motione *praevia; nam de illa motione tractat, qua voluntas creata a Deo movetur, talis autem motio praevia est actioni voluntatis, ut per se patet* ». Hoc unum. Mox alterum p. 162 addit. Nam 2° haec profert : « Solum ostendendum est, S. Doctorem in illo articulo docere, Deum *physice praedeterminare liberum arbitrium, id est, physice praemovere liberum arbitrium ad actum certum et determinatum* » : quasi evidenter unum idemque sit : physice liberum arbitrium ad certum et determinatum actum praemovere et : physice ( ad certum et determinatum ) praedeterminare, sic, ut uno demonstrato alterum per se constet. At hoc ita esse, merito ab adversariis R. Patris negatur, quemadmodum vidimus. Nam unus conceptus momenta continet, quae ab alio aliena sunt. Praemovere enim physice voluntatem ad actionem, si proprie loquimur, hoc est : ita antecedenter physice afficere voluntatem, ut vi affectionis receptae in eam actionem physico quasi pondere propendeat et tendat ; praedeterminare vero physice voluntatem ad actionem, si item proprie loquimur, hoc est : ita physice voluntatem afficere, ut ipsa vi hujus affectionis receptae non quolibet modo in eam actionem physice tendat et propendeat, sed hoc ipso modo tendat, *ut actionem non poni, non elici a voluntate, physice, imo metaphysice repugnet.* Quis non videt, novum prorsus elementum contineri in notione physicae praedeterminationis, quod plane abest a praemotione physica ad certam actionem. Nihilominus opinatur R. P. Dummermuth II., uti diximus, se praedeterminationem physicam edocuisse, ubi primum praemotionem physicam ad certam actionem edocuerit. Et hoc facit, postquam prius sibi alterum sumpsit : moveri a Deo voluntatem esse praemoveri. Haec via est sine dubio ad profligandos adversarios valde expedita et prompta; numquid eadem efficax ? ! — Cfr etiam Dummermuth p 47 sq. Ibi modum quendam loquendi a P. Schneemann p. 56 revera usurpatum, sed *explicite restrictum,* ultra modum premens efficit, P. Schneemann tandem concessisse ea, quae modo in Thomistis impugnamus. Sed de omnibus his infra uberior recurret disputatio, Cfr etiam p. 13 § « Dicunt tertio ».

sensibus. Imprimitur haec species intentionalis ab objecto, sequitur vi speciei impressae ipse formalis motus sensuum, seu productio speciei expressae, seu ipsa actio cognoscitiva ; haec omnia enim denique sunt idem. Et quoniam Deus nobis indidit proxima principia elicitiva earum actionum, quibus intelligimus et volumus, intellectum et voluntatem, sicuti voluntati indidit etiam naturalem et habitualem tendentiam in bonum in communi, vi cujus tendentiae volumus, quidquid omnino volumus, ideo Deus sub omnibus hic respectibus potest dici nos ad cognoscendum et volendum non solum movere, sed etiam praemovere. Cfr S. Thomas 1, 2, q. 112, a. 2; 1, q. 105, a. 3 et 4; 1, q. 106, a. 2; 1, 2, q. 9, a. 3 et 4; c^a Gent. l. 3. c. 65, n. 4; de Anima 3 text. 28 etc. Hoc ergo non negamus. At numquid propterea superior argumentatio recentiorum Thomistarum in priore saltem antecedenti efficax est et firmiter constat ? De ceteris enim jam supra diximus. Ad illud affirmandum requireretur, ut omnis saltem creaturae agentis *per Deum actualis motio* terminaretur immediate non ad ipsam actionem creaturae sed ad quoddam proximum principium actionis. Quo autem jure hoc dicatur, non apparet, nec si res secundum se consideratur, nec si consideratur modus loquendi S. Thomae. Tradit hic definitionem motionis ex parte moventis in 1, q. 2, a 3. his verbis : « Movere nihil aliud est quam educere aliquid de potentia in actum ». Cfr 1, 2, q. 9, a. 1. Haec definitio si recta est, — est autem rectissima — quoties vox movendi amplo illo sensu intelligitur, quo S. Thomas eam usurpabat, non angustius, ut recentissimi de motu i. e. de motu locali et mechanico fere loquuntur : sane dicendum est, multo verius et magis proprie eum movere aliquam rem, qui producit immediate ipsum ejus motum formalem, quam qui tantum proximum motus principium in ea producit. Si ergo quaedam Dei motio vel ac tioest, qua non solum principium proximum motus, sed ipse formalis motus creaturae a Deo producatur, manifesto consequitur, falso colligi ex affirmatione S. Thomae, Deum movere actione sua omne agens creatum ad agendum, hunc motum continuo esse ac debere esse *praevium* motum seu praemotionem, non motum, quae sit ipsa formalis actio creaturae. Hoc videtur esse perspicuum (1). Jam vero certum et exploratum est, quod nos quoque supra paucis demonstravimus, a Deo ut ab ente et actu primo debere dependere omne ens et omne agens creatum, etiam praecise ut agens est, non tantum mediate et per aliud, sed *maxime immediate et per se*. Ergo certum etiam est, actionem omnem entis creati, quidquid tandem ipsa in se est, quatenus ens est et actio, debere per se et prorsus

(1) In hoc errore, quasi omnis motio sit praemotio, omne movere sit praemovere, versatus est etiam Scheeben II. II, 60 qui inde vult certum et exploratum esse, S. Thomam revera *praemotionem* actualem omnis creati agentis in singulis actionibus docuisse. Cf. ibid. n. 59 et 61. Alterum argumentum, quod ibidem adjungit ad idem probandum, idem etiam valet : scl. S. Thomam docere, Deum applicare omnia agentia creata ad agendum : quasi necesse sit, ut haec intelligamus semper de applicatione quadam praevia, nec possimus hoc intelligere de applicatione formali et cum operatione creaturae reipsa identica. Sed de his infra uberius.

immediate, maxime intime, a Deo dependere, seu immediate a Deo produci. Actio autem agentis creati est ejus formalis traductio vel eductio de potentia in actum. Ergo Deus omne creatum agens non *tantum* in causa et principio proximo de potentia traducit in actum. Quo igitur jure dici potest, quoties S. Thomas Deum asserat movere omne creatum agens, etiam voluntatem, motione divina interposita ad agendum, hanc motionem Dei esse praemotionem, non vero terminari eam immediate ad ipsam agentis creati actionem, seu eam motionem Dei non esse terminative spectatam ipsam formalem eductionem vel traductionem alicujus rei creatae de potentia in actum ? Haec jam ex iis, quae disputavimus, satis elucent, sed magis etiam patebunt inspecta et examinata accuratius doctrina D. Thomae. Ergo saltem hoc constat: antecedens primum praecedentis discursus ipsum per sese valde esse incertum; non sequitur enim ex affirmatione D. Thomae, moveri a Deo creaturam ad omnem actum, hoc alterum: eam etiam praemoveri. Cetera supra expedita sunt.

Opponunt Thomistae, S. Thomam generatim docere, motionem moventis *praecedere* motionem mobilis *ratione et causa*. Ergo omnis motio est secundum S. Doctorem praemotio. Fatemur, haec verba esse apud D. Thomam l. 3 c^a^ Cent. c. 149, n. 1 ( cfr 1, 2, q. 113, a. 8 in corp. ). Sed modo sufficiat attulisse explicationem Ferrariensis. O. P. Ex hac ipsa enim explicatione apparebit, S. Thomam minus proprie locutum esse. Ait igitur Ferrariensis: « Dicitur etiam (motio moventis) *praecedere causa i. e. causalitate, non quia sit vera causa effectiva motus mobilis, quia cum eadem res sit motio moventis et motus mobilis*, quantum ad id, quod in recto dicunt, unum non potest esse alterius causa effectiva realiter, sed eo modo, quo id, quod alteri *secundum modum considerandi* praesupponitur, ut sic dicitur prius causalitate. — Potest etiam dici, quod intelligitur, hoc de motione et motu *quantum ad habitudines,* quibus formaliter inter se distinguuntur, non quidem sic, quod una sit alterius causa, sed quia una est conditio agendis, alia vero conditio patientis ; causa autem agens est prior causa patiente et materiali ». Vides quantum abfuerit ille eximius et vetus S. Thomae interpres ab hac sententia, secundum D. Thomam omnem motionem esse vere et proprie praemotionem. Attende inter alia ea verba, quae subduximus: « cum *eadem* res sit motio moventis et motus mobilis ». Postea de hoc loco S. Thomae uberiora.

## ART. II

### R. PATRIS DUMMERMUTH SUMMARIA DOCTRINA DE PRAEDETERMINATIONIBUS PHYSICIS DIJUDICATUR ET IN MULTIS DEFICERE OSTENDITUR.

Jam videamus, quomodo *R. P. Dummermuth* rationem et vim praedeterminationis physicae p. 12 sqq. exponat in suo statu quaestionis.

« De hac ergo praedeterminatione physica dicturi, inquit p. 12, declarandum est inprimis, *quid per illam intelligant* Thomistae et praecipue illi, quibus R. P. Schneemann, ut ipse dicit, in explicanda (melius diceret, *impugnanda*) ratione doctrinae Thomistarum utitur. Deinde exponendum est, *quid loco praedeterminationis physicae teneant Theologi Societatis Jesu* circa concursum Dei cum causis secundis ».

Cur vox impugnandi aptior hoc loco sit, R. P. non indicat, nec P. Schneemann in explicanda ratione praemotionis et praedeterminationis physicae sententiam Thomistarum non fideliter reddidisse docet. Hoc obiter. Falsum vero est, Molinistas aliquid *loco* praedeterminationis physicae circa concursum Dei cum causis secundis tenere. Concursum simultaneum non loco praedeterminationis physicae tenent, quasi haec per se tenenda sit, cui substituere aliquid novum conentur ; sed negata ob diversas rationes praedeterminatione physica statuunt, Deo ex munere causae primae primique motoris ut sic, praeter influxum conservativum rerum nihil competere nisi concursum simultaneum cum omni creato agente.

« Distinguunt itaque primo Thomistae duplicem praedeterminationem: unam aeternam et in Deo manentem, alteram temporalem et in creatura receptam. Prima dicitur *decretum praedeterminans seu divina praedefinitio*. Secunda appellatur *praemotio vel praedeterminatio physica,* vel gratia efficax et praedeterminans, quando movet et applicat voluntatem ad actus supernaturales. *Haec est illius vis et instrumentum,* quo in tempore causa secunda illos actus producit, quos ab aeterno Deus praedefinivit. *De secunda praedeterminatione hic est quaestio* ».

Circa hoc, quod dicitur, primam praedeterminationem dici decretum praedeterminans *seu* divinam praedefinitionem, notandum, hunc esse modum loquendi solorum Thomistarum. Nam revera divina praedefinitio cum decreto praedeterminante, si hoc sensu Thomistico accipitur, male in unum commiscetur. Decretum enim praedeterminans sic acceptum dicit voluntatem Dei absolutam et efficacem operis alicujus futuri, *adsignificato exsequendi medio vel instrumento scl. praedeterminatione physica in tempore adhibenda ;* praedefinitio vero solum dicit hujusmodi decretum absolutum et efficax Dei, at de medio vel instrumento exsecutionis nihil adsignificat. Potest ergo cum decreto praedefiniente componi libertas actionis, cum decreto praedeterminante Thomistarum non conciliatur. Ergo si recte loqui nec ansam dare volumus, ut scriptores asserentes praedefinitionem bonorum operum per Deum, praesertim supernaturalium, falso intelligantur, ad designandum decretum praedeterminans Dei in sensu Thomistico a voce praedefinitionis abstinebimus.

Etiam alter modus loquendi, quo dicitur, secundam [ praedeterminationem ] appellari praemotionem *seu* praedeterminationem physicam, solum verus est in ore Thomistarum recentiorum ; nam *de se*, ut supra docuimus, praemotio physica a praedeterminatione physica toto

coelo differt. Ergo praemotio physica simpliciter loquendo non est physica praedeterminatio, sed solum *si praemotio physica Thomistice accipitur*.

« Secundo notant, particulam « prae » in his nominibus *prae*motio *prae*determinatio, non designare prioritatem durationis sive temporis, sed naturae dumtaxat et causalitatis, juxta illud axioma *evidentissimum*: « Motio moventis praecedit motum mobilis natura et causalitate ».

Axioma S. Thomae ex l. 3 c^a Gentes c. 149, n. 1 petitum, quemadmodum in nota indicat R. P., 1° non accurate refertur. Dicit enim R. P. «natura et causalitate», quod non est idem ac « ratione et causa », ut apud S. Thomam exstat. Nam « natura » ad ordinem solum *physicum* pertinet, « ratio » vero *etiam ad ordinem intelligendi*. Causalitatis porro, vox, quam R. P. pro « causa » posuit, stricte si loquimur, dicit *actualem operationem* causae, causa vero dicit *id, a quo actualis operatio procedit*. Quae duo de se longe diversa sunt. Nihilominus concedendum est, R. Patrem in hoc ultimo sensum S. Doctoris recte reddidisse. 2° Si Ferrariensi credimus, tantum abest, ut hoc axioma, etiam ut est apud D. Thomam, evidentissimum sit, ut explicatione diligenti indigeat, ne falsum sit. Vide supra p. 84. Et certe, uti in hoc libro infra videbimus, S. Thomas saepe sibi contradiceret, si hoc axioma,si tamen vere et proprie axioma est, proprie etiam accepisset.

« Dicunt tertio, Deum *determinare* causam secundam vel voluntatem ad actum, *nihil esse aliud quam illam movere et applicare ad operationem*. Quid autem sit movere et applicare cum S. Thoma exponunt: « Movere nihil aliud est, quam *educere* aliquid de potentia in actum » (1 P, q. 2, a. 3). « Oportet, ut id, quod est in potentia, reducatur in actum per aliquid, quod est in actu, et hoc est movere »; (1. 2, q. 9, a. 1). « Movere potentias ad suos actus, est applicare eas ad operationem » ( Ibid. q. 16, a. 1).

Dicunt hoc utique Thomistae recentiores. At quaestio est, num vere id dicant. Supra autem vidimus, esse valde diversa, « Deum *determinare* causam secundam vel voluntatem ad actum », si simpliciter et proprie loquimur, ut intelligunt Thomistae, et : « Deum illam ( tantum ) *movere et applicare* ad operationem », cum unum notam plane novam contineat, quae ab altero absit. Quid porro generatim sit movere aliquid, recte cum S. Thoma indicat R. Pater (1). Tertium vero testimonium minus idoneum est ad evincendum id, ad quod afferri videtur, scilicet *movere* potentias ad suos actus esse *generatim applicare eas ad operationem*. Nam textus D. Thomae non universalis est, sed particularis et in certa materia ac de certo subjecto usurpatur. Saepe autem accidit, ut vox ad certam materiam vel ad certum subjectum applicata vi hujus applicationis ad arctiorem significationem contrahatur, quam ei per se competit. Jam vero in laudato articulo S. Thomae *de vo-*

(1) Cfr ea, quae nos de hac re diximus, pag. 82 sq.

*luntate movente* ( *per imperium* ) *ceteras animi potentias* sermo est, non de omni universim movente nec de Deo primo motore (1). Ergo hoc quidem testimonium proposito R. Patris non satis inservit. Ceterum, quid *de se* sit *applicare* aliquid ad agendum, fuse infra explicabitur.

« Quarto, praemotionem hanc *physicam* appellant. Sicut enim duplex est causa, ita et duplex praedeterminatio, altera moralis, altera vere efficiens seu physica ». Rectius fortasse dixisset R. P. pro « vere efficiens », « *physice efficiens* », ut etiam communiter Theologi et Philosophi loquuntur, vel saltem « vere perficiens » i. e. in actum proxime perducens : etsi ne hoc quidem satis recte, de quo infra.

Nam moralis etiam causa aliquo modo vere efficit i. e. ad exsistentiam et esse effectus vere confert, quamvis minus proprie, quia non physico et immediato, sed morali dumtaxat et vere mediato influxu. Sed hoc obiter. Pergit R. Pater :

« Causa, inquid S. Thomas ( q. 5 de Malo a. 3 in c. ), aliquid movens multipliciter dicitur. Quandoque enim dicitur causa id, quod est disponens, vel quod est consilians, vel quod est praecipiens » : et haec communi vocabulo dicitur causa moralis, eo quod per modum suadentis dumtaxat movet. Quandoque vero dicitur causa id, quod est perficiens ( scl. perficiens reapse effectum ); et haec proprie et vere causa dicitur, quia causa est, ad quam sequitur effectus. Ad actionem autem perficientis statim effectus sequitur, non autem ad actionem disponentis vel consulentis vel imperantis. Suasio enim non cogit invitum, ut Augustinus dicit in libro 83 Quaestionum, Quaest. 4 » (2). Proportionabiliter distinguunt Thomistae duplicem praedeterminationem voluntatis, alteram moralem dumtaxat, quae fit per suasionem internam vel per

(1) Verba textus accurate sunt haec : « Ostensum est autem supra ( 1, 2, q. 9, a. 3 ), quod voluntas est, quae movet potentias animae ad suos actus, et hoc est applicare eas ad operationem ». In illo autem articulo qst. 9 de voluntate imperio movente potentias agitur.

(2) Sola causa sua vi *reapse* causans et producens effectum est maxime proprio et perfecto sensu causa. Causa enim, quae quidem virtutem physicam ad causandum habet, neque tamen reapse causat et producit effectum, adeoque effectum non reapse perficit, non adeo causa est, quam apta, ut sit causa. Haec si attenderis, consequitur, *omnem eam dumtaxat causam physicam* hic et alias appellari a S. Thoma causam perficientem, *quae* aut se sola aut simul cum aliis causis actu physice influentibus *reapse causat et producit effectum. Causa ergo physica rationem et nomen causae perficientis consequitur a reali causatione effectus,* sive id jam sola facit, sive id cum aliis causis simul physice influentibus facit. In notione autem causae perficientis nequaquam haec nota latet, quasi ipsa debeat alias illas causas necessarias ad effectus productionem indeclinabiliter et insuperabiliter secum ad causandum effectum pertrahere. Qui enim, si sic esset, voluntas humana causa perficiens actionum humanarum esset ? Certe non potest humana voluntas Deum indeclinabiliter et ineluctabiliter secum ad producendum effectum pertrahere. Nihilosecius voluntas humana secundum D. Thomam hoc ipso loco causa perficiens est. — Verum est etiam, quod S. Thomas mox subjicit : « Ad actionem autem [ causae] perficientis statim sequitur effectus ». Si enim omnis causa perficiens aut se sola aut cum aliis simul influentibus causis *actione sua reapse producit effectum*, qui ejus actionem non statim sequatur effectus ? De ratione igitur causae perficientis est, ut, *ubi primum causat et agit*, saltem actione perfecta, effectus statim consequatur ; non est de ejus ratione, ut statim, ubi primum adest i. e. exsistit, agat effectumque producat. Haec notanda ne notio causae perficientis cum notione praedeterminationis physicae in idem confundatur.

externum consilium vel praeceptum ; *et hoc modo Rhetores multis rationibus, quibus faciunt apparere voluntati convenientiam objecti, eum inclinant et quasi praedeterminant moraliter* ad aliquid volendum vel faciendum ; quamvis haec praedeterminatio non possit esse efficax, quantum est ex parte sua [ i. e. non potest esse efficax sensu Thomistico relate ad voluntatem ], quoniam interius non immutat voluntatem eam transferendo ab uno in aliud, sed solum se tenet ex parte objecti ».

Ea, quae in hoc textu R. Patris scriptura distinximus, non satis accurate dici videntur in sententia Thomistarum.

Supponimus cum R. Patre, ad moralem praedeterminationem voluntatis utique pertinere, ut intellectus objectum volitionis sufficienter cognoscat ; quod tamen in sententia Thomistarum sine praevia actuali praedeterminatione physica *intellectus* per Deum in ordine ad eam praecise cognitionem eliciendam fieri non potest. Supponimus etiam et concedimus, eam cognitionem posse recte *quasi praedeterminationem moralem* voluntatis appellari, hoc sensu quod determinatum objectum appetibile nobis exhibet ; negamus vero, eam, quae experientia teste mox locum habet, voluntatis inclinationem in objectum vi rationum, quibus apparet ejus convenientia, in sententia Thomistarum merito ad *voluntatis praedeterminationem moralem* revocari et *contra praedeterminationem ejus physicam distingui*, ut fit a R. Patre. Et ratio hujus negationis est, quia secundum principia sententiae Thomisticae *nulla in voluntate inclinatio actualis* in objectum cognitum exoriri potest, nisi voluntas prius in ordine ad eam inclinationem eliciendam physice a Deo praedeterminetur. Ergo omnis voluntatis inclinatio actualis quandam praedeterminationem physicam voluntatis jam involvit et supponit ; quare nisi velimus contra primariam quandam regulam omnis legitimae divisionis peccare, qua vetatur, ne partes divisionis inter se mutuo includant, debemus hanc inclinationem in voluntate productam a morali praedeterminatione ejusdem *excludere*, et hanc praedeterminationem *ad solam et nudam cognitionem objecti restringere*. Enuntiatum igitur R. Patris videtur hoc modo immutandum esse : « et hoc modo Rhetores, convenienti praedeterminatione physica intellectus per Deu m supposita, multis rationibus faciunt apparere *agenti* convenientiam objecti ». « Agenti », inquam, non « voluntati », ut est apud R. P. ; nam hoc modo rectius loquimur. Voluntas enim ut sic nihil videt ; subjectum vero agens, quod possidet voluntatem et ea utitur, ipsum videt ipsique convenientia objecti apparet mediante intellectu.

In hac nostra ratiocinatione unum uberiore declaratione indiget : cur ea inclinatio, quae vi rationum, quibus manifestatur convenientia objecti, in voluntate oritur, sine physica praedeterminatione locum habere in sententia Thomistarum non possit. Hoc autem facile declaratur. Etenim ea, de qua agitur, *vera et actualis voluntatis inclinatio* in objectum est. Haec autem est voluntatis et actio et actus vitalis. Ergo physice ad eam praedeterminanda est voluntas secundum placita Thomistarum.

Si quis autem Thomista neget, eam voluntatis inclinationem actum vitalem esse, dicat, quid tandem sit. Non poterit. Nam profecto nisi voluntas ageret, si prorsus eadem atque antea maneret, ne inclinaretur quidem vere et vitaliter in objectum (1).

Atque ex his consequitur, non unam in voluntate praedeterminationem physicam admittendam esse a Thomistis, nempe ad eum solum actum, quo simpliciter volumus, quamvis ita alicui forsitan videatur ob ea, quae R. P. mox subjicit; sed plures omnino praedeterminationes physicae in voluntate statuendae sunt; ad omnes scilicet actus volendi, qui in voluntate unquam exsistunt, sive perfecti simpliciter actus voluntatis sunt et simpliciter dicuntur volitiones, sive actus voluntatis imperfecti sunt et dicuntur velleitates, sive porro actus deliberati sunt, sive indeliberati; omnes enim, etsi quidam eorum in ratione volitionis imperfecti sunt, vere tamen et proprie actus voluntatis sunt, et ideo in sententia Thomistarum unusquisque eorum sibi propriam requirit praedeterminationem physicam. Pergit R. Pater:

« Altera vero est praedeterminatio physica, qua ex parte potentiae efficienter proprie movetur voluntas ad aliquid volendum ». — Agi opinor de praedeterminatione physica voluntatis, prouti haec praecise *liberum arbitrium* est et quatenus praedeterminatio physica ad *singulos actus voluntatis* ex sententia Thomistarum requiritur; non vero de ea praedeterminatione physica voluntatis, quae ipsi convenit, ut est quaedam *natura* et quatenus praedeterminatio physica sita sit in *habituali voluntatis inclinatione ad bonum in communi* (2). Haec enim *habitualis praedeterminatio physica*, quam nemo negat, non opponitur *actuali illi praedeterminationi morali,* de qua modo actum est.

Intelligenda est igitur praedeterminatio physica actualis, qua ex parte potentiae efficienter proprie moveri voluntas ad aliquid volendum dicitur.

Ut ex sequentibus patebit, hisce verbis praedeterminatio illa, de qua haec controversia est, non proprie definitur, sed latius hoc loco id vocabulum extenditur. Quoniam vero videtur esse ex mente adversarii proprie ejus rei de qua agitur definitio, eatenus sic argumentor:

*Dico*, definitionem praedeterminationis physicae, quam R. P. hoc loco dat, esse justo latiorem atque vitiosam. Etenim haec definitio non soli rei definitae convenit, sed etiam aliis a definita longe diversis.

(1) Alia quaestio esset, num forte posset dici, *ipsum subjectum agens*, v. g. homo, *sola* sufficiente cognitione objecti appetibilis ut sic *aliqualiter* in ipsum inclinari. Id si *forte* dici potest, *propter solam sympathiam i. e. naturalem consensionem facultatum*, quod modo, num dici possit, in medio relinquo, certe id de inclinatione actuali voluntatis ut sic dici non potest. Voluntas enim ex sententia Thomistarum facultas est ab intellectu et substantia animae re distincta, et in objectum, in quod antea non inclinabatur, nunc inclinari non potest, sine immutatione, sine nova vitali actione.

(2) Quia haec naturalis et habitualis praedeterminatio tantum est ad bonum *in communi*, ad nihil particulare adstringit, sed tantum efficit, ut voluntas possit quidem omne bonum appetere, non possit vagari extra ambitum boni i. e. non possit id appetere, quod nullo modo bonum videatur. Hac re longissime differt haec praedeterminatio a praedeterminatione physica actuali ad singulos actus creaturae e sententia Thomistarum requisita, quae est ad bonum particulare hic et nunc.

Ergo latior et vitiosa definitio est. Antecedens ostenditur. Etenim convenit haec definitio etiam concursui simultaneo Dei et gratiae Dei efficaci et cooperanti, ut ea intelligunt Molinistae. Aliis item rebus convenit; sed id modo negligo. Aut numquid ullo modo dubitari potest, quin et concursu simultaneo et gratia efficaci et cooperante, si in sensu Molinistarum accipiuntur, Deus moveat ex parte potentiae efficienter proprie voluntatem ad aliquid volendum ? Et re quidem vera et concursus simultaneus et gratia efficax et cooperans sic accepta 1° se tenent ex parte potentiae, cum ejus vigorem ad agendum vel compleant vel suppleant. Movent 2° etiam efficienter proprie i. e. physice voluntatem ad aliquid volendum ; transferunt enim eam vel educunt eam vere physico influxu a potentia in actum volendi. Quidni ergo eis definitio data conveniat? Definienda est igitur praedeterminatio physica voluntatis, ut adaequata et justa definitio sit, hoc modo : praedeterminatio physica est motio (i. e. impulsio) physica Dei in ipsam voluntatem ut sic, qua haec physice et natura *prius* in seipsa aucta et excita, physica vi et efficientia *indeclinabiliter et insuperabiliter ad objectum omnino determinatum* determinato in individuo actu, aut perfecte aut imperfecte, *volendum* pro indole motionis factae pertrahitur. Hanc definitionem justam esse, ex iis, quae supra attulimus et disputavimus, luculenter constat. Quod cum ita sit, amplius aliquid deinceps explicandum fuit, quam id, quod R. P. explicat.

Ait : « quae quidem praedeterminatio dicitur physica sive ad modum causae physicae, ut condistinguitur contra illam, quae est solum moralis, non autem, ut condistinguitur contra liberam praedeterminationem » (1). Sic R. Pater — Potius ex visceribus rei explicandum ipsi erat, cur haec motio, quam descripsit, jam *praedeterminatio physica* esset. Alterutrum enim hac via manifestum evasisset : aut enim servatus esset naturalis et ab omnibus agnitus sensus verborum atque patuisset, in definitione praedeterminationis physicae, quam R. P. exhibet, *proprias et specificas notas* hujus praedeterminationis *negligi* (2) ; aut R. P. verborum signi-

(1) Alvarez « De Auxiliis » disp. 22, n. 1.

(2) Haec quidem manifesta sunt ex iis, quae modo diximus. Ostendimus enim, definitionem illam latiorem esse, ita ut alia etiam a praedeterminatione physica diversa comprehendat. Idem autem erit vix non aeque evidens, si loco verborum « efficienter proprie movetur » aequivalentia prorsus verba textui R. Patris inseruerimus : « Altera est praedeterminatio physica, qua ex parte potentiae vere physica efficientia educitur a Deo voluntas e potentia volendi aliquid in ejus actualem volitionem ». Quid enim cogit 1° hanc eductionem e potentia in actum volendi non intelligere *formalem* eductionem actus e potentia voluntatis sed causalem tantum ? Sic autem in ea Dei motione nihil prorsus invenitur, quod ipsi actioni volendi *praevium sit ;* ergo saltem *praedeterminatio* non est. Potius enim affirmatur, Deum eundem educere actum volendi vere physica efficientia e potentia voluntatis, quem agens creatum ipsum praevia cognitione ad volendum sufficienter instructum per eandem potentiam, simultanee omnino cum Deo, ex ipsa et seipso educit. Porro si 2° vel hoc daremus, quod non concedimus, eam eductionem tantummodo causalem eductionem esse posse, quid cogit affirmare, *illud principium* formalis motus et eductionis, quod Deus supponitur voluntati immisisse, non posse vere physica efficientia in motum et eductionem formalem actus influere *nisi indeclinabili et insuperabili vi et virtute* in ipsum influat. Jam vero sic demum praedeterminatio physica habetur ; actum est autem de actionis libertate.

ficationem ultra sensum ipsorum naturalem extendisset, et ea adhibuisset ad significandum id, quod naturaliter non significant, notionemque praedeterminationis physicae veram et adaequatam hac explicatione tamen exhibuisset, atque ita facile constitisset, praedeterminationem physicam, si in ordine ad particulares actus usuveniat, cum ipsorum libertate non componi. Quod quidem supra pluribus demonstravimus, et, ut puto, invicte effecimus. Haec ergo pars principalis hujus paragraphi est emendanda.

Pergit R. P: « Quinto, quia duplex est causa secunda, naturalis scilicet et libera, distinguunt Thomistae duplicem physicam praedeterminationem: Prima est qua Deus *ex necessitate et per modum naturae* causas naturales *ad unum determinat* ».

Circa ultimum enuntiatum plura animadvertenda sunt, ut constet, quatenus et num omnino verum sit. 1° Omnium causarum creatarum naturalem quandam praedeterminationem esse i. e. quae earum activitatem vere, natura saltem praecedat, quae eadem vere physica sit, omnes admittunt. Quare 2° ipsi etiam voluntati tribuitur, quatenus nimirum voluntas quoque causa quaedam creata et natura est. At haec naturalis et per modum naturae physica voluntatis praedeterminatio 3° ratio et causa est, cur vel ipsa voluntas, utut ceteroquin libera est, extra certum ambitum scil. boni agendo evagari non possit. Naturalis enim praedeterminatio voluntatis est ad bonum in communi. Haec porro unica ratio est, cur nullo pacto fieri possit, ut voluntas quidquam velit vel in quidquam tendat aliter, nisi sub respectu boni seu boni speciem aliquam complexa. In id autem, quod sub nullo respectu bonum est, aut saltem quod nullo modo ut bonum apparet, voluntas nullo modo tendere potest (1). Unde 4° elucet, omnem, quae in unum particulare est, praedeterminationem physicam alicujus causae adducere in hac causa veram agendi necessitatem. Nam quemadmodum praedeterminatio voluntatis naturalis et ad bonum in communi efficit formaliter, ut ad bonum seu rationem boni voluntas restricta et adstricta sit, ita praedeterminatio physica particularis ad actum unum efficit, ut ad hunc particularem actum volendum restricta et adstricta sit et in alium tendere non possit. Est enim par ratio utriusque. Unde porro sequitur, ut, si cetera omnia, quae ad agendum requiruntur, adsint, jam haec actio a causa vi affectionis physicae et inurinseca procedere debeat, alia procedere non possit. Haec autem est agendi necessitas. Unde 5° falsum id est, quod R. P. superiore sententia subindicat: posse esse praedeterminationem physicam ad unum particulare bonum et ad determinatam actionem, quae nihilominus non sit *ex necessitate* ad eam determinans, quia scl. non sit *per modum naturae* seu per formam naturalem, sed quia sit adventitia et ultra et praeter naturam agenti immissa. Quasi in prudenti aestimatione, num motio aliqua *ex necessitate* ad unum agendum praedeterminet, non consideranda sit physica indoles hujusmodi motio-

(1) Cfr ad 2 et 3 inter alia S. Thomas « de Verit. » q. 22, a 5 et 6 in c.; 1, q. 82, a. 2 et ad 1.

nis et ejus nativa vis ad determinandam et movendam potentiam ad illam operationem, sed solus *modus* et sola *via*, quibus ipsa voluntati *adveniat*. De hac doctrina R. Patris postea plura.

Ceteroquin naturalis praedeterminatio voluntatis ideo dumtaxat cum libertate actionis componitur, quia non est praedeterminatio physica *ad unum definite et in particulari*, et ad actionem certam, sed ad bonum *in communi*, quod cum latissime pateat, *ad nihil particulare* voluntatem *adstringit*, licet voluntatem ad indefinita (numero) bona particularia appetenda et ad ea, quae iis contradictorie vel contrarie opponuntur, (habent enim haec etiam suam bonitatem) idoneam reddit. Nec S. Thomas unquam eam, quam R. P. hic subindicat doctrinam, professus est, ut procedente libro patebit (1).

Quae cum ita sint, falsa sunt etiam ea, quae R. P. jam adjungit, si in eo sensu, accipiuntur, in quo unice accipi apud eum possunt. Ait autem R. P : « Altera [ praedeterminatio physica est ], qua Deus non ex necessitate, sed juxta proprium modum humanae libertatis, hominis voluntatem praedeterminat in actu primo, ut ipsa voluntas cum omni sua libertate se infallibiliter et libere determinet in actu secundo ».

« Praedeterminatio voluntatis in actu primo », de qua hic R. P., non est nec intelligitur praedeterminatio voluntatis naturalis, quae est ad bonum in communi, sed praedeterminatio voluntatis ad unum omnino particulare agendum, quam adstruunt in singulis actibus usuvenire recentiores Thomistae. Id patet 1° ex contextu, quatenus haec, de qua nunc agitur, voluntatis in actu primo praedeterminatio naturali illi seu per modum naturae factae praedeterminationi opponitur ; 2° ex effectu, qui huic praedeterminationi adscribitur; ut vi ipsius voluntas *se* cum omni sua libertate *infallibiliter in actu secundo determinet*. Nam ex illa generali praedeterminatione voluntatis ad bonum in communi nulla infallibilis determinatio voluntatis in actu secundo, quae fiat per voluntatem ipsam, inferri potest. Constat ergo, agi hic de praedeterminatione physica recentiorum Thomistarum, quae est ad unum omnino in particulari agendum. Quod cum ita sit, haec R. Patris definitio et doctrina, quae est generatim recentiorum Thomistarum, laborat intrinseca repugnantia. Nam ibi nulla est in agendo libertas, ubi ad aliquid unum agendum ineluctabilis et insuperabilis aliunde voluntati illata est motio, vis, necessitas. Haec duo autem simul locum habere, hic a R. Patre aequivalenter asseritur. Nam libertatem in agendo adesse formaliter asserit, talem autem ineluctabilem et insuperabilem aliunde voluntati illatam esse vim, aequivalenter adstruit. Nam eam praedeterminationem physicam in actu primo docet, qua voluntas se infallibiliter in actu secundo determinet; praedeterminatio autem physica recentiorum Thomistarum ita afficit potentiam, in qua est, ut ipsam physica vi ineluctabiliter, insuperabiliter et hoc modo infallibiliter in suum termi-

(1) Cfr interim « de Verit. » q. 22 a 8.

num particularem pertrahat. Ajunt Thomistae utique, cum libertate id fieri ; at in hoc praecise sita est repugnantia asserti, quemadmodum supra demonstravimus. Nec textus S. Thomae, qui a R. P. mox subjicitur, contrarium docet. Est autem hic : « Deus, inquit S. Thomas, est prima causa movens et naturales causas et voluntarias. Et sicut naturalibus causis movendo eas, non aufert, quin actus earum sint naturales, ita movendo causas voluntarias non aufert, quin actiones earum sint voluntariae, sed potius hoc in eis facit; operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem » (1, q. 83, a. 1 ad 5).

Tria relate ad motionem voluntatis liberam a S. Thoma hic traduntur: unum, voluntatem se ipsam cum vera libertate ad agendum movere ; alterum, hunc motum, hanc motionem voluntatis, utut liberam, etiam a Deo movente esse ; tertium, nequaquam obstare hanc divinam motionem liberae actionis voluntatis, sed potius Deum causam esse, cur actiones et libenter et libere a voluntate procedant. Si haec omnia concedimus, quemadmodum revera concedimus, quid, quaeso, contra nos, quid pro Thomistis et pro illa doctrina ipsorum, conciliari cum praedeterminatione physica ad singulos voluntatis actus libertatem actionum, ex iis colligi potest ? Prorsus nihil ! Nam aliud profecto est, cum quadam motione divina libertatem actionis voluntatis creatae componi, aliud, eam cum praedeterminatione physica ad unam actionem componi. Aliud enim est, movere aliquid ad agendum, aliud praemovere, aliud porro, ad agendum unum physice praedeterminare. Haec supra vidimus. Nihilominus R. P. haec omnia in unum commiscet.

At S. Doctor saltem re, etsi non ipsis verbis, necessitatem alicujus *praemotionis* physicae in singulis actibus voluntatis admittit. Nam secundum ipsum Deus sua motione in voluntariis causis *facit, ut actiones harum causarum sint voluntariae. i. e. liberae.* Qui autem hoc facere potest, nisi has causas saltem *praemoveat* physice ? Contrarium statuunt communiter Molinistae.

Respondetur enim, 1° conclusum non sequi. Fac enim, Deum solo concursu simultaneo movere liberas causas, nihilominus cum perfecta veritate affirmatur id, quod hic S. Doctor docet. Siquidem Deus suum simultaneum concursum, quando de liberis causis agitur, *ita moderatur*, ut nisi voluntas, non aliunde praedeterminata ad unum particulare, sed sua se sola operatione ipsa determinans, in actum velit et influat, nihil prorsus fiat. Operatur ergo Deus in causis libere operantibus simultaneo concursu *sic*, ut earum operationes ex vi et natura hujus influxus divini necessario sint liberae i. e. prodeuntes ex propria ipsarum determinatione. Ergo Deus sua motione in voluntariis causis facit, ut earum actiones sint voluntariae i. e. liberae, etsi tantum simultanee concurrit ; positiva enim permissione ac decreto positivo vult eas liberas esse actiones : aliter nec actiones esse nec liberae actiones esse possent.

Praeterea potest 2° dici, Deum movere liberas causas relicta libertate, quia mediante determinatione naturali ad bonum in communi eas movet,

quas quia ad nihil particulare eas adstringit, liberas in suis operationibus relinquit.

Nihilominus respondetur insuper 3°, S. Doctorem a notione Dei in liberis causis non necessario nec semper omnem praemotionem physicam exclusam velle, sed *interdum* saltem eam admittere v. g. in actibus salutaribus. Hanc mentem S. Doctoris esse, non praecise colligimus ex verbis in ipsa responsione ad 3^m^ adhibitis, sed aliunde : *a*) ex veritate ipsius doctrinae, de qua satis constat ; *b*) ex indole textuum S. Scripturae, quos sibi ipse S. Doctor in tertia objectione opposuit. Textus fuerunt hi : « Cor regis in manu Domini : quocunque voluerit, inclinabit illud » (*Prov.* 21, 1) ; et alter : « Deus est, qui operatur in vobis et velle et perficere » (*Philipp.* 2, 13). Itaque, opinamur S. Doctorem abstrahere ab hac re, Deine motio praevia sit an simultanea, *et universaliter hoc modo respondere* : sive praevie sive simultanee Deus cum libera creatura operatur, ipsum nullum talem influxum vel motum physicum ei abhibere, quo eam ad unum physice praedeterminet, hoc enim esset contra « proprietatem ejus » ; sed semper Deum in eam ita influere, ut determinatio propriae actionis, sitne omnino et quaenam sit, ad unum liberum arbitrium creaturae pertineat. Hunc amplum sensum et verba responsionis saltem admittunt, et doctrinae alias a S. Doctore traditae eum exigunt : ergo ut verus sensus responsi est amplectendus. S. Doctorem aliis locis hujusmodi doctrinas reapse tradere, procedente disputatione, apparebit.

Et haec quidem de paragrapho quinta.

« Sexto, inquit R. Pater, docent Thomistae, Deum voluntates humanas *efficaciter praemovere, quia non potest esse aut intelligi physica applicatio et motio activa sine applicatione et motione passiva* ».

Haec doctrina, si vocibus naturalis sensus relinquatur, simpliciter falsa est. Docet R. P., absurdum aliquid dici (« non potest intelligi ») si affirmetur ad praemotionem physicam non sequi motum intentionalem voluntatis formalem, seu non sequi eum actum liberum, in quem praemotio physica voluntatis tendat. At hoc nullo modo absurde dicitur, atque id esse posse facillime etiam intelligitur : primo in abstracto, secundo adhibitis exemplis. Primo igitur videamus, quae vis voci praemotionis physicae de se et naturaliter subsit. Est autem haec : ut praemotio physica sit influxus physicus in aliquod subjectum vel agens, quo huic principium proximum (physicum) ad motum formalem vel actionem aliunde imprimitur (1). Quis autem est, qui sensum horum verborum intelligat nec illico etiam hoc cernat, nihil omaino repugnare, ut proximum principium motus sine formali motu maneat ? Sunt enim duo entia omnino inter se *diversa* : principium motus et formalis motus. At quis audebit contendere, vel ipsam Dei omnipotentiam hoc non posse efficere, ut a principio motus proximo formalis motus, qui effectus ejus est, non procedat ? — Porro exempla quoque non desunt, quibus hoc quasi ad oculum demonstratur. Etenim, ut

(1) Vide supra pag. 82.

supra docuimus, gratia excitans voluntatis est vera physica praemotio voluntatis ad eliciendum actum salutarem. Potest autem sine dubio haec gratia sine fructu salutaris operis manere. Idem valet de specie impressa relate ad speciem expressam. Falsum igitur est, praemotionem sine motu formali vel sine actione consequente nec esse nec intelligi posse. Commiscet R. P. constanter, quod etiam ceteri recentiores Thomistae faciunt, praemovere cum formaliter movere, praemotionem cum formali motione, atque quod de hac verum est, de illa continuo affirmat. Continuat R. P.: « Haec enim est differentia inter motionem physicam et motionem moralem, quod ad actionem causae physicae statim effectus consequatur, non autem ad actionem causae moraliter moventis ».

Ex sententia R. Patris haec probationem continent eorum, quae modo protulit. Vidimus autem ea falsa esse. Ergo etiam haec probatio in aliqua re deficiat necesse est. Defectus autem est apertus. Probatio sibi fundamentum quaerit in illo loco D. Thomae (q. 3 de Malo a. 3 in c.), quem R. Pater pag. 13 ad 4^m^ laudavit. Quamvis autem verba hic a R. Patre adhibita sint S. Thomae similia, doctrina tamen S. Doctoris non accurate redditur. Agebatur ibi de causa perficiente in oppositione ad causam, quae perficiens non est. Opinatur autem R. Pater notionem causae perficientis (supra dixit efficientem) simpliciter converti cum causa physica, causam vero non perficientem cum causa morali. Id autem falsum est. Nam inter alias causas, quae perficientes non sunt, numerat S. Thomas etiam causam, quae subjectum ad effectum (principaliter) intentum disponat. Causa autem subjectum ad effectum principaliter intentum disponens, sive effectus principaliter intentus vera forma physica subjecti est, sive quaedam quasi forma physica ejus, haud dubie potius ad genus causae physicae pertinet quam ad causam moralem. Unde falsum est id, quod dixit p. 13, causam disponentem causam moralem esse, saltem si id universaliter intelligitur.

Ergo illud, quod supra notare omisimus, quia non erat necessarium, ut ostenderetur falsitas doctrinae ibi a R. P. traditae, hic supplemus. Itaque et ob rationem modo allatam, et praecipue, quia notio causae perficientis momenta includit, quae in notione causae physicae ut sic nequaquam continentur, negamus, causam perficientem posse simpliciter converti cum causa physica; unde nec causa non perficiens eadem simpliciter est cum causa morali. Etenim causa physica dicit de se tantummodo causam, quae suo physico influxu vero aliquo modo confert, ut fiat et sit effectus; causa vero perficiens (effectum) dicit influxum physicum immediatum et *insuper connotat et addit, nihil deesse* eorum, quae *fortasse* aliunde locum habere et fieri debent, *ut reapse effectus producatur*. Ergo nota distinctiva causae perficientis est, ut talem immediatum influxum physicum in effectum exerceat, quocum nexa sit *realis productio* effectus. Vide, quae supra dicta sunt. Unde solus Deus se solo causa perficiens est vel esse potest; ceterae omnes causae, nisi Deo simul operante, causae perficientes nec sunt nec esse possunt.

Quae cum ita sint, ut omnis ambiguitas a doctrina S. Thomae II.

arceatur, loco terminorum, quos R. P. adhibuit, modum loquendi S. Thomae restituamus. Dicamus ergo: « Haec enim est differentia inter motionem causae perficientis et motionem causae, quae perficiens non est, quod actionem causae perficientis statim effectus sequatur, non autem actionem causae non perficientis ».

Patet, ut propositum suum vi hujus doctrinae efficeret, R. Patri duo fuisse probanda: unum est id, quod quasi alias a se probatum sit, sumit: Deum ad omnem actum nostrum physice nos praemovere, quod saltem in malis actionibus falsum est; unde ne in ceteris quidem verum, nisi specialis ratio accedat. 2° Etsi R. Patri hoc damus, quod modo immerito supponit, Deum ad omnem actum physice nos praemovere, tamen alterum probandum ipse reliquum erat: debuit ostendere, omnem saltem physicam praemotionem Dei causam perficientem esse, ad quam effectus immediate sequitur. Hoc autem nec probavit nec probare potuit, quia falsum est. Hoc primum exemplo doceo : Etenim gratia mere sufficiens voluntatis est vera physica praemotio voluntatis ad actum salutarem eliciendum, tamen nunquam eum reapse perficit. Ergo gratia mere sufficiens voluntatis, licet praemotio physica voluntatis sit, per ipsum Deum facta, non est causa perficiens. Ergo nihil necesse est, omnem physicam praemotionem Dei causam perficientem esse. Et revera in notione physicae praemotionis continetur nihil, quo efficiatur, eam debere semper id, in quod nititur, reapse consequi atque efficere. Aut quomodo monstrabitur, de notione esse nisus physici in aliquid ut nunquam in consequendo termino deficiat? Constat igitur, physicam praemotionem esse posse, quae rationem causae perficientis non habeat.

Ad actionem causae perficientis statim consequitur effectus. Respondetur: transeat! Etenim neutrum R. P. docuit: aut omnem motionem physicam Dei esse praemotionem, aut omnem physicam praemotionem voluntatis per Deum factam esse causam perficientem, imo contraria vera sunt. Unde R. P. in tota probatione defecit. Consequens igitur, quod R. P. ex praecedentibus jam inferet vi praemissarum, valorem habebit merae assertionis. Ait: « Unde, posita gratia efficaci, quae est praemotio physica in ordine supernaturali, infallibiliter sequitur, quod ipsum liberum arbitrium consentiat et operetur ». Illud « unde » immerito ponitur. Ratio vero addita: «quae est praemotio physica in ordine supernaturali», *ut ratio* falsa est; assertum ipsum tamen est verum, sed aliunde, ut supra ostendimus; quia gratia efficax gratia congrua est i. e. gratia, quacum praevidet Deus hominem cooperaturum esse, ideo infallibile est, liberum arbitrium esse ei consensurum et cooperaturum.

Quod enim Deus praevidet esse futurum, id infallibiliter erit, quia secus infallibilis Dei scientia et praevisio falleretur. Ergo verum est, posita gratia efficaci consensum liberi arbritrii certissime esse futurum ; propter infallibilitatem tamen scientiae Dei id verum est, non propter physicam praedeterminationem vel praemotionem gratiae efficacis ut sic. Et revera, si gratia efficax voluntatem physice ad actum salutarem

praedeterminaret, de libertate operationis salutaris actum esset. Physica enim praedeterminatio ad actum cum libertate actionis non conciliatur.

Unde etiam incompossibilitas gratiae efficacis cum actuali hominis dissensu, quam R. P. mox docet, non fundanda est cum R. P. ceterisque recentioribus Thomistis super antecedente et intrinseca determinatione et affectione physica subjecti agentis, voluntatis, per gratiam facta, vi cujus determinationis *dissensum* ab ipso reapse elici, physice, imo metaphysice repugnet, quoniam voluntas ea affectione et determinatione *in consensum vi physica, imo metaphysica necessitate pertrahatur;* sed cum Molinistis ea incompossibilitas fundanda est *super praevisione consensus* auxilio gratiae libere praestandi a voluntate, qui utique consensus cum est, non esse aut alius esse simul non potest. Cum hac enim necessitate mere consequenti libertas actionis stare potest, cum illa antecedenti non potest (1).

At R. P. postquam statuit « haec duo esse incompossibilia, quod gratia efficax ponatur in homine et homo actu dissentiat » hoc addit: « auxilium tamen efficax et *potentia dissentiendi* simul compatiuntur et componuntur » ( p. 14 ). Ergo videtur tamen libertas consensus etiam a Thomistis sufficienter salvari.

De hac doctrina supra multis egimus. Hic breves erimus. Itaque, quaerimus, quaenam dissentiendi potentia hic adstruatur. Adstruitur evidenter potentia dissentiendi, quae ratione alicujus momenti, quod ipsam voluntatem aliunde et antecedenter, intrinsece et physice afficit et determinat, jam non potest reduci reapse et actualiter in actum dissensus; contra debet voluntas vi illius affectionis et determinationis praeviae indeclinabiliter et insuperabiliter in certum et determinatum actum i. e. consensum tendere. Vide R. P. hic et Thomistas in locis supra laudatis. Quare hac R. Patris sententia revera nihil aliud enuntiatur, quam voluntatem liberumque arbitrium esse de se, remote et radicaliter, potentiam utriusque actus, consensus et dissensus, eliciendi capacem, neque tamen esse potentiam, quae possit etiam praedeterminatione physica accepta pro suo arbitratu et suorum actuum imperio se vertere, quantum est ex principiis intrinsecis et physice eam afficientibus, in alterutram partem sive consensus sive dissensus; sed dicendum, voluntatem, *in quo signo* se jam vertat praedeterminatione physica recepta in partem unam, natura prius sic physice affectam esse ab alio ( scl. a Deo ), ut jam in alteram *reapse* se vertere partem *minime possit*. Hoc autem ad libertatem actionis non sufficit. — Itaque haec de duobus his R. Patris enuntiatis. Porro summopere fallax est, quae proxime consequitur doctrina. Fallacia oritur ex pluribus capitibus. Ait R. P: « Ergo, cum gratia efficax, qua Deus movet liberum arbitrium ad consentiendum, non auferat ab eodem libero arbitrio facultatem, qua potest dissentire, si velit, sed efficiat, quod, cum possit ex sua innata libertate dissentire, non tamen dissentiat,

(1) Ceterum hanc esse doctrinam D. Thomae infra luculenter videbimus.

sed infallibiliter consentiat, ipsa non laedit in aliquo, sed potius perficit et roborat ejus libertatem » ( p. 14 ).

In hoc enuntiato 1° fallax est illud, quod Thomistae propter Trident. sess. 6, can. 4. ex animis addunt: non auferri gratia efficaci a libero arbitrio facultatem, *qua possit dissentire si velit*. Nam in ore Thomistarum haec verba hunc sensum necessario habent: *possibilitas quidem concreta reapse* et actualiter dissentiendi, immissa voluntati gratia efficaci, *natura prius ad operationem salutarem* a libero arbitrio prorsus ablata est (1); sed cum per aliquid mere positivum ea possibilitas a voluntate ablata sit, nulla energia physica permanens voluntatis, ut talis est, radicaliter a voluntate dempta est. Fuit autem liberum arbitrium, si nude et secundum se spectatur, antecedenter ad praedeterminationem physicam facultas permanens, *suo modo* ( remote et radicaliter ) capax eliciendi utriusque actus, vel consensus vel dissensus ; ergo illa adventitia affectione et determinatione voluntatis effici quidem potuit, ut altera hujus contradictionis et contrarii pars reduci in actum modo jam non possit, neque tamen effici potuit, ut facultas permanens ad alteram partem contradictionis vel contrarii, quae voluntati suo modo (radicaliter et remote) naturaliter inest, in voluntate jam non permaneat. Scilicet non potest auferri gratia efficaci a libero arbitrio *radicitus facultas dissentiendi*, quamvis ejus usus insuperabili vi aliunde illata hic et nunc impediatur et praeveniatur. Hoc modo libertatem actionis non servari, quis non videt ac sentit?

Venimus 2° ad illud incisum : « si velit ». Hoc optima et catholica mente addi a R. P. evidens est. Videtur nihilominus in ore Thomistarum tolerabilem aliquem sensum vix admittere. Nam sensus hujus incisi in II. Tridentini certe hic est, ut in quo signo gratia, quae se in actu secundo efficacem praebet, hominem adducat ad consentiendum, in eodem ipso signo apud *unam* hominis voluntatem gratia confortatam situm sit, re et actu dissentire, si placeat, ita ut homo suo voluntatis influxu in eodem signo efficere possit, ut non consensus sequatur, sed dissensus. Hoc autem in sententia Thomistarum fieri nequit. Nam homo in eo signo, quo gratia Thomistice efficaci motus consentit, jam non potest reapse velle dissentire, idque propter duo : 1° propter id, quod antecedenter adest et ipsi inest, praemotionem dico et praedeterminationem gratiae physicam, qua indeclinabiliter et insuperabiliter in consensum movetur et trahitur ; 2° propter id, quod antecedenter abest, quia ut *reapse* influere in dissensum possit, praedeterminatio physica ad dissensum natura prius adesse debet. Repugnat autem, ut simul adsint in eadem voluntate praedeterminatio physica ad consensum et praedeterminatio physica ad oppositum dissensum. Ergo hoc incisum potest dissentire, « si velit », in sententia Thomistarum videtur hoc modo supplendum esse : homo sub influxu gratiae efficacis, quae physice eum ad consensum praedeterminat, potest dissentire

(1) Cfr cum assertione hac Thomistarum S. Thomas. Quodlib. 12, a. 3 ad 2.

i. e. habet retinetque radicalem potentiam ad dissensum, « si velit », at *revera* et actualiter id velle i.e. dissentire reapse nullo pacto jam potest.

Unde 3° dicendum est: « ex innata quidem libertate » in sententia Thomistarum hominem sub gratiae efficacis influxu reapse dissentire i. e, actum dissensus reapse elicere nequaquam posse ; esse tamen ejus voluntatem de se, atque etiam sub gratiae efficacis influxu manere *potentiam* radicaliter aptam ad varios, imo etiam ad actus inter se oppositos disjunctive eliciendos et suscipiendos. Valet ergo incisum : « cum possit ex innata libertate dissentire » apud R. P. et ceteros Thomistas recentiores in eodem contextu summum hoc : « Cum possit, quantum id omnino ex innata energia liberi arbitrii dependet, dissentire ». Hoc autem enuntiatum in contextu multum abest ut indicet libertatis perfectionem et robur ; contra in concreto involvit imminuttionem possibilitatis se vertendi in varias partes tantam, ut revera nulla in agendo i. e *in actu eliciendo libertas* remaneat, seu actualis possibilitas vertendi se in diversas partes voluntati supersit. Nam in concreto sub influxu praedeterminationis physicae ad unum actum, tantum manet possibilitas quaedam radicalis alterius actus, simul vero adest necessitas tendendi in unam illam actionem, in unam illam directionem, in unum illum terminum, ad quem adest praedeterminatio.

Pergit R. P. « Septimo, *negant Thomistae, influxum primae causae universalissimae*, qualis est divina, *modificari posse ab ipsa causa secunda secundum naturam et proprietates ipsius causae secundae* ». « Nos, inquit Bannez, talem modificationem respectu primae causae in D. Thoma non invenimus, sed potius oppositum, scilicet quod ipse Deus per suam providentiam omnia modificat et determinat, gubernatque suaviter juxta modum naturae uniuscujusque ».

Ideo opinor absolute negare Thomistas, primam causam modificari *quoad influxum, quem in secunda causa exercet*, a secundis causis aut per secundas causas, quoniam non recordabantur, vocis modificandi plures esse significationes. Significat quidem vox modificandi : producere in subjecto vel educere e potentia passiva subjecti accidens modale vel modum realem aliquo modo a subjecto, in quo est, distinctum (1). Significat vero etiam, saltem apud veteres scriptores et apud D. Thomam (2) : alicui rei modum imponere, modum facere, eam accommodare, moderari, attemperare etc.

Porro apud S. Thomam non tantum vox modificandi hoc sensu in usu est, quemadmodum dixi, sed etiam ipsa haec doctrina exstat, *modificari influxum primae et universalissimae causae per causas secundas* (3). Ergo

(1) Adeo hunc sensum voci *exclusive* tribuunt Thomistae, ut R.P. interpretans illud S. Thomae (q. 8 de Verit. a. 12 in c.) « Providentia [divina] omnibus modum imponit » i. e. omnia moderatur, nihil antiquius habeat quam afferere definitionem S. Thomae *modi realis*, quasi nulla alia via res moderari possit Deus quam productione modorum realium. Cfr Dummermuth p. 158.

(2) 2. 2. q. 141, a. 3 ad 1 ; 3 dist 23, q. 3, a 1 ad qstcl. 1.

(3) Cfr v. g. S. Thomas C^a G. 1. 3, c. 66, n. 5 ; de Ver. q. 5, a 9 ad 10 ; de Malo, q. 3, a. 2 in c ; de Pot. q 1, a. 4 ad 3 ; 1 dist. 38, a. 5 in c.

nisi velint suo Doctori aperte contradicere, debent fateri Thomistae, superiorem negationem R. P. Dummermuth atque P. Bannez nimis absolutam esse. Et infra quidem ostendemus, altero reapse sensu vocem in subjecta materia a S. Thoma usurpari et accipiendam esse. Interim vero asserta Bannezii ad justos terminos revocemus. *Modificatur itaque prima causa quoad influxum,* quem in secundis causis exercet, *per ipsas causas secundas;* quatenus *prima causa influxum suum* pro suavitate suae providentiae *naturae uniuscujusque agentis ipsa accommodat* (1). *Deus* vero ipse res ceteras secundum S. Thomam et secundum ipsam veritatem, providentia *modificat, quatenus omnia ita moderatur,* ut nulla creatura *plane extra ordinem et fines divinae providentiae et ordinationis evagari et exorbitare possit;* relicto enim ordine divinae providentiae uno, in alterum necessario incidit, *supremoque fini Dei creantis et providentis aliquo modo semper et necessario inservit* (2).

Quodsi Bannezii verba, Deum omnia modificare et determinare, eo sensu accipiuntur, quo a R. P. hic proferuntur et quem reapse apud Bannez habent, *quasi Deus omnibus agentibus creatis, antequam agant, modum physicum realem imprimat,* quo ad unum agendum physice praedeterminentur, doctrina enuntiatur, quae et a S. Thoma maxime aliena sit, et nequaquam conveniat cum suavi modo divinae providentiae, quo Deus unumquodque agens, ergo etiam liberum, secundum ejus naturam dirigit atque disponit.

Pergit R. P. p. 15 : « Hinc etiam negant [ Thomistae ], auxilium efficax dependere ex libera cooperatione liberi arbitrii, vel ex dispositione ejus positiva vel negativa seu ex ejus non resistentia ».

Consequens hoc in prima sua parte simpliciter verum est, non praecise vi illationis, quae invalida est, — praemissa enim in sensu R. Patris est falsa — sed aliunde. Nam profecto auxilium efficax, si tamen proprie loquimur, non *dependet* neque natura et origine neque efficientia a libera cooperatione humani arbitrii. Ipsum non dependere *natura et origine* a libera cooperatione voluntatis, per se liquet. Etenim auxilium efficax gratiae est vera causa efficiens cooperationis salutaris in omni sententia. Causa autem efficiens prior est saltem natura suo effectu. Ergo plane absurde diceretur, auxilium efficax a libera cooperatione liberi arbitrii natura et origine dependere. Nec quisquam hoc contendit, nec puto id a Thomistis Molinistis adscribi.

At Thomistae contendunt, prout supra vidimus, Molinistas dependentem facere auxilii efficacis *efficientiam* a libera cooperatione liberi arbitrii. — Si ad veram dependentiam efficientiae unius ab altero sufficeret, ut unum producere certum quendam effectum non posset, sine altero simul physice influente et concausante effectum, quia simultaneus influxus efficiens et concausatio alterius de essentia talis effectus est, sane fatendum esset, auxilium efficax in efficiendo salutari consensu a libera dependere coope-

(1) Cfr 1. 2., q. 9, a. 4 ad 1.
(2) Cfr inter alia 1, q. 19, a 6; ibid. q. 22, a. 2 ad 1. Cfr Suar. opusc. « de Concursu » l 2, c. 7, n. 16.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES LIBRARY

ratione humani arbitrii, quia consensus salutaris, utpote qui essentialiter actus humanus, liber et meritorius sit, essentialiter exigit, ut libera cooperatione liberi arbitrii formaliter producatur. Sed contra hoc est, quemadmodum supra p. 32 vidimus, quod ista ratione vel ipse Deus in causando v. g. vitali operatione alicujus viventis creati dicendus esset ab ejus vitali cooperatione in efficiendo dependere. Quod absurdum est. Ergo ne prius quidem asseri cum veritate potest. Dependet autem in efficiendo creatura a Deo etiam secundum Molinistas. Sane quidem, si ad veram dependentiam in efficiendo postulatur, ut id, quod dependere ab alio in efficiendo et causando dicitur, ab illa causa, a qua dicitur dependere, ad producendum effectum physice determinetur et praedeterminetur, patet, humanam voluntatem in consensu salutari producendo in una sententia Thomistarum dependere ab auxilio efficaci. At quia 1° hujusmodi dependentiae modus immerito postulatur ad veram dependentiam fundandam in efficiendo, et quia 2° et maxime talis dependentiae modus perimit libertatem actionis, ut supra demonstratum est, talis modus dependentiae consensus salutaris a gratia efficaci penitus est rejiciendus. — Sin autem vera dependentia in efficiendo hac re jam stabilitur et adest, quod una res ab altera efficienter producitur, etiam in sententia Molinistarum libera quidem cooperatio voluntatis ab auxilio efficaci, nullo vero modo auxilium efficax in efficiendo a libera cooperatione humani arbitrii dependet. Nam libera quidem cooperatio verissime a gratia, gratia autem efficax nullo modo libera cooperatione voluntatis producitur. Voluntas enim liberam cooperationem consensus salutaris non producit nisi quatenus est gratia moraliter mota, *physice aucta et supernaturaliter elevata*. Hoc autem est, actum non a sola voluntate produci sed simul etiam a gratia. Quae vero hic a Thomistis objici solent, supra omnia expedita sunt pagg. 37. squ.

Quare si mens R. Patris esset, verbis supra allatis indicare, Molinistas docere, auxilium efficax vere dependere a libera cooperatione voluntatis, attribueret eis aliquid, quod in sententia Molinistarum prorsus falsum est.

Numquid altera pars illationis R. Patris, auxilium efficax non dependere in sententia Thomistarum ex dispositione positiva liberi arbitrii, ex praemissa doctrina Bannezii, etsi haec maxime vera esset, legitime colligitur? Judicio lectoris id relinquo. Quid enim R. P. cum Bannez in praecedentibus docuit? Docuit, Deum omnia agentia modificare et determinare, i. e. secundum ipsos, Deum omnibus agentibus modos pradeterminantes ea ad agendum, quoties revera agant, imprimere. An inde consequens est, hunc modum imprimi posse, in quacunque conditione et dispositione positiva agens creatum invenitur? Annon potius antea (natura prius) disponendum est agens ad hujusmodi modum, maxime si ea modificatio fieri debet « suaviter juxta modum naturae uniuscujusque » agentis? Id judicet lector.

Tertia vero pars conclusionis est etiam difficilior. « Hinc etiam negant (Thomistae), inquit R. P., auxilium efficax dependere..... (ex dispositio-

ne liberi arbitrii) negativa, seu non-resistentia ». — Numquid omnis *cujuscunque generis* dependentia auxilii efficacis a dispositione negativa vel non-resistentia per R. P. negatur? et quid porro haec non-resistentia est? Si affirmetur a R. P., nihil interesse, num homo auxilio, quod jam habet, scl. sufficienti, resistat actu opposito necne, multi ex ipsa sua schola adversarii contra eum insurgent. Nam, quemadmodum supra vidimus, multi et plane principes inter recentiores Thomistas, ut aliquo tandem modo sufficientiam gratiae Thomistice sufficientis defendant et tueantur, ad hanc quasi anchoram confugiunt, ut dicant, in potestate omnis hominis auxilio Thomistice sufficiente moti situm esse, ut auxilium Thomistice efficax i. e. physice ad actum salutarem praedeterminans consequatur, dummodo ne auxilio sufficienti, quod jam habet, resistat. Asseritur igitur ab his Thomistis saltem moralis quaedam, et quae late dicitur, dependentia auxilii efficacis a negativa voluntatis dispositione seu ab ejus non-resistentia contra auxilium sufficiens. Vidimus quidem, hanc doctrinam offendere contra ipsa principia systematis Thomistici, nec sustineri posse. Attamen hoc nihil impedit, quominus illi Thomistae ita statuerint, et auxilium efficax saltem morali quodam et lato modo a dispositione negativa seu non-resistentia voluntatis dependens fecerint. Numquid igitur R. P. his Thomistis vult contradicere? Non opinor. Quid ergo hac parte illationis adstruere vult?

Ex doctrina superiore Bannezii, Deum omni agenti, quotiescunque agit, praevie modum realem ad agendum physice praedeterminantem impri mere, hoc efficitur: nisi homo ad resistentiam aliquam excercendam prae motus et physice praedeterminatus sit, resistentiam ullam contra ullum auxilium gratiae ab eo reapse exerceri non posse. Inde tamen nullo modo colligitur, nihil interesse ad auxilii efficacis impressionem et in subjecto receptionem, utrum actus resistens in subjecto i. e. in libero arbitrio inveniatur et insit necne. Hoc tantum ex illa doctrina infertur legitime, talem actum resistentiae nisi ex physica Dei ad eum praemotione et praedeterminatione inveniri in subjecto non posse. Jam fac, talem revera inveniri actum resistentiae in subjecto i. e. in libero arbitrio : quo jure jam hoc affirmari poterit, impressionem auxilii efficacis ex ea re nihil dependere, eo actu nihil impediri? — Hoc tantum verum est, *si* licet actum resistentiae antecedentem prorsus a collatione efficacis gratiae consequente sejungere. Quodsi non licet et etiam attenditur, quod ex eadem doctrina Thomistarum non minus verum est, actum resistentem supportari altera praemotione et praedeterminatione Dei physica aeque ineluctabili, aeque insuperabili, sane illatio R. Patris, auxilium efficax nihil dependere a non-resistentia liberi arbitrii, corruit. Dependet enim ab ea saltem ut a conditione physica necessaria seu ut a « removente prohibens », quia actus, qui nititur insuperabili virtute, certe obstaculum insuperabile est, ne alius motus aeque insuperabilis contrarius subjecto imprimatur et in ipso operetur. Dices, Deum, si auxilium efficax ad certum motum imprimat, motum efficacem ad resistentiam contra ipsum exercendam simul dare non posse.

Fateor, id concedi debere, ne ipse sibi Deus contradicat et obstet. Sed nihil hac via probatur, non dependere auxilium efficax voluntati imprimendum ab ejus dispositione negativa seu a non-resistentia. Dependeret enim auxilium efficax quam maxime *ab ea resistentia*, si obstaret. Ergo etiam *a non-resistentia* suo modo i. e. ut ab impedimenti insuperabilis absentia dependet.

Patet, conclusionem R. Patris saltem accuratius definiendam fuisse, ut verae, dilucidae atque legitimae conclusionis vim haberet. Sed fortasse sequentibus explicationibus manifestum evadet, quomodo R. P. conclusionem hanc intellexerit. Videamus.

Ratio enim additur a R. Patre praecedenti conclusioni, quae est hujusmodi: « Volunt enim [ Thomistae ] *omnem* dispositionem *effective a Deo* esse, non vero a libero arbitrio nisi secundum quod arbitrium ipsum a Deo movetur ».

Quid jam de hac ratione ? Dicimus eam vel in ipsa sententia Thomistarum *de se* inadaequatam esse ad praecedentem conclusionem probandam. Nam vel in sententia Thomistica tantummodo valet ( si, prouti sonat, accipitur ) ad ostendendum, in hominis non praedeterminati potestate *positivam dispositionem* ad auxilium efficax sitam non esse. Nam negativa dispositio, si id est, quod esse dicitur, vere « negativa », evidenter non potest effective procedere a Deo, cum negativi effectio nulla sit. Ratio ergo R. Patris vel in ipsa sententia Thomistarum de se ad solam dispositionem positivam restricta est. Ergo de se inadaequata est ad thesim probandam, quae positivam et negativam dispositionem simul comprehendit.

At fortasse per quoddam compendium locutus est R. P., ipsiusque mens haec fuit, 1° ut his verbis statueret, negativam dispositionem tantummodo abusive a quibusdam ( Thomistis ) dispositionem ad auxilium efficax appellari ; 2° vero in ordine ad positivam et veram dispositionem mens ejus fuit, ut ostenderet, hominem secundum se spectatum eam nullo modo habere in sua potestate. Complete ergo si rationem efformasset R. P., hoc fere modo locutus esset : « Volunt enim Thomistae, *omnem* dispositionem *effective* esse a Deo ; 1° quia ea, quae negativa dispositio ab aliquibus adstruitur et dicitur, abusive tantum « dispositio » appellatur. An quomodo homo, qui nihil prorsus agit, *maxime quando nihil agere reapse potest,* ullo modo se vere disponit ad auxilium Dei efficax obtinendum ? Ergo negativa dispositio, quae sane Dei praemotionem non requirit, cum nihil entitative sit, eliminanda est. Restat igitur 2° positiva dispositio. Haec autem in actione consistit, aut saltem non est sine actione creaturae. Ergo recte volunt Thomistae, ut a Deo physice praemovente et praedeterminante omnis vera ad auxilium efficaxd ispositio effective procedat ». — Atque hac quidem evolutione rationis a R. P. additae admissa, ratio pro secunda et tertia parte praecedentis conclusionis, pro quibus unice affertur, ad aequata evadit.

1° Brevius tamen et nimis compendiose a R. P. explicata est. Ceterum si hac via ratio evadit adaequata, simul tamen etiam aliud patet, in via Thomistarum nullo modo, nec proxime nec mediate, penes hominem

ejusque liberum arbitrium esse, etsi gratia Thomistice sufficiente instructus est, ut consequatur auxilium efficax. Nam nisi prius a Deo physice praedeterminetur, ne unum quidem gressum reapse facere potest quo ad auxilium efficax propius accedat. Tum demum quando physice ad accedendum vel procedendum homo a Deo praedeterminatus est, non adeo potest, quam metaphysica necessitate non potest non procedere vel accedere.

2° praeter obscuritatem et brevitatem locutionis, etiam aliud est in ea ratione R. Patris, quod jure notetur. Scilicet contradictoria revera statuuntur: nam dispositio, de qua agitur, simul adscribitur libero hominis arbitrio ut tale est, et simul dicitur esse a Deo movente i. e. in ore R. P. a Deo physice praemovente et praedeterminante ad motum illum disponentem. Cum tali autem motione Dei actionis libertas non consistit. Dicendum est enim idem saepius.

Conclusio in fine hujus numeri septimi vera est in sententia Thomistarum. Ait: « Non igitur talis dispositio praesupponitur ad ipsam motionem efficacem ». Quinimo supponi ad eam a Thomistis non potest; quia nisi jam Deus efficaciter sensu Thomistico i. e. praedeterminando physice hominem praemoveat, talis dispositio fieri ab homine omnino non potest. Atque hac tandem ratione ipse R. P. Neo-Thomistis (plurimis) eum solum exitum praecludit, quo putant, ex ingenti illa difficultate, quod Thomisticum auxilium sufficiens revera sufficiens non videtur, se elabi posse. Et revera auxilium Thomistice sufficiens a parte rei est et manet ad salutariter reapse operandum insufficiens et mancum. — Atque haec de iis, quae septimo loco a R. P. ad statum quaestionis adnotata sunt.

In octavo numero idem explicare conatur, quid praedeterminatio physica Thomistarum sit *ontologice*. « Octavo tandem, inquit, explicant Thomistae quid sit, vel in quo consistat illa motio praevia, qua Deus movet et applicat causas secundas ad agendum ». Explicatio sequens desumpta est partim, quod ad expressiones et verba attinet, ex qst. 3 « de Potentia » a. 7 ad 7. Nemo dixerit, eam adeo claram esse, ut ipsa non alia explicatione rursus indigeat. Et revera, locum S. Thomae immerito transferri a Thomistis recentioribus ad physicas praedeterminationes describendas, infra, ut spero, invicte ostendetur. Interim audiamus, quomodo R. P., secutus Alvarez, locum S. Thomae ad praedeterminationes physicas transtulerit « Id, inquit Alvarez, quod a Deo fit in causis secundis, *quo actualiter agant* (1), est aliquid habens esse quoddam incompletum per modum quo colores sunt in aere, et virtus artis in instrumento artificis ». Hucusque verba sunt

(1) Haec verba, ut jam dixi, petita sunt ex q. 3 « de Potentia » a 7 ad 7. Admittunt autem, ut interim parum dicam, saltem aeque bene sensum formalem quam sensum effectivum et causalem. Atqui in sensu formali si intelliguntur, evidens est, ea ad praedeterminationes physicas non pertinere. Ita enim idem valent ac si dicatur: « quo actualiter agentes constituantur ». Actualiter autem agentes constituuntur *actione*, non aliquo, quod est praevium actioni. Infra porro videbimus, formalem sensum unum verum et genuinum horum verborum sensum esse.

S. Thomae. « Hoc ens incompletum, praevium actioni causae secundae (1), producitur in ea effective a solo Deo, et nullo modo dependet efficienter ex influxu ipsius causae secundae (2). Non est qualitas | sensu peripatetico |, sed proprio vocabulo dicitur motio virtuosa (3), qua primum agens universalissimum efficit, ut causae secundae actualiter operentur, unaquaeque secundum modum sibi proprium. Dici etiam potest influxus divinus, impressio divinae virtutis, complementum virtutis agentis secundi ex virtute agentis primi (4). Quid distinctum est et a Deo et ab operatione causae secundae: a Deo quidem, quia fit et causatur ab ipso ; ab operatione causae secundae vero, quia est hujus operationis principium effectivum » (5).

Puto vix quidquam luminis ex hac descriptione praedeterminationis physicae ad ejus clariorem intelligentiam hauriri posse. Ceterum cum locus S. Thomae, quo innititur, infra accurate discutiendus sit, supra autem, quid praedeterminatio physica ipsa sit, a nobis sit accurate explicatum, hic amplius quidquam de ea addere supersedemus.

(1) Scilicet ex mente Thomistarum ; num ex doctrina S. Thomae, id infra videndum.

(2) In praedeterminatione enim physica producenda, creatura plane passive se habet ex doctrina Thomistarum, quemadmodum supra vidimus ; Deus unus eam operatur et producit.

(3) Hac expressione videtur hic designari praedeterminatio physica, ut opponatur illi qualitati, quae est accidens, habens esse magis fixum et firmum in subjecto ; dicitur igitur accidens, quod habeat esse omnino fluens, per modum formalis et purae motionis vel actionis. Sic autem habetur in motione virtuosa motio ad motionem, actio ad actionem, contra principium illud notissimum : Ad actionem non est actio. — An quid est motio virtuosa nisi pura quaedam *motio, a qua, ut talis est,* alia motio efficienter dimanat? Si enim aliter conciperetur, non motio esset, sed terminus motione productus. Ceterum uti supra demonstratum est, quaestio de praedicamento praedeterminationis physicae, quale sit, ad dirimendam principalem controversiam parvi admodum momenti est.

(4) Hic liceat interrogare, quale hoc complementum virtutis agentis secundi secundum Thomistas sit. Estne complementum simpliciter ad agendum necessarium? Si id dixeris, patet, virtutem agentis secundi sine eo ad agendum neutiquam plane completam et vere potentem ad agendum esse. Sin negaveris, sine eo actio agentis creati locum habere potest. Quidquid dixeris, contra Thomistas est, ut ex superioribus patet.

(5) Hinc si concluderes, quod tamen verba important : ergo est actus primus aut saltem pertinet ad actum primum intrinsecus, eam conclusionem multi Thomistae negarent. Nam ubi primum complementum hoc, quod ex sententia Thomistarum ad agendum absolute necessarium est, ad actum primum pertinere conceditur, constat immediate et evidenter, quicunque eo careat, eum ne actum quidem primum ad agendum absolute requisitum plene habere. Ex qua conclusione amplius sequitur vera insufficientia auxilii Thomistice sufficientis. Quomodo autem principium effectivum operationis non sit verus actus primus operationis, ostendi nunquam potest.

## § 3

**Ostenditur 1° liberam creaturae determinationem indigere vera Dei cooperatione, ut locum habere possit, utpote quae determinatio in vera actione creaturae posita sit; 2° exponitur, quomodo simultaneum Dei cum libera creatura concursum secundum Molinistas concipere oporteat; 3° notantur quaedam in doctrina R. Patris Dummermuth circa concursum simultaneum.**

### ART. I

#### LIBERA DETERMINATIO CREATURAE EST VERA EJUS ACTIO VEL OPERATIO CONCURSU DIVINO INDIGENS.

Venio nunc ad explicandum modum, quo cooperatur Deus, ut primus et universalis motor, cum creaturis libere operantibus, secundum Molinistas.

Prius tamen quaedam expedienda sunt. Quaeritur igitur, ontologice quid sit liberam creaturam se ipsam determinare: sitne per sese vera actio a facultate liberi arbitrii et ejus indeliberatis motibus aliquo modo realiter distincta, an sit per sese haec ipsa facultas se cum reali identitate jam aliter quam antea disponens et constituens ad quoddam objectum ratione cognitum. Etenim sunt quidam ex Molinistis (1), qui velint 1° seipsum ad agendum determinare esse in libera creatura proprie aliquid re diversum a positione illius formalis actus voluntatis, quo aliquod particulare bonum deliberate et libere velimus atque eligamus. Putant enim, distinguendum esse inter volitionem alicujus boni virtualem et radicalem (assensum vocant), quae sit proprie libera determinatio voluntatis ad agendum i. e. volendum, et boni particularis volitionem formalem et explici-

(1) Cfr Franc. de Lugo « de Deo Uno » disp. 32, c. 4, qui inter alios Esparzam pro hac sententia laudat. Ipse quoque eam ut probabilem tradit. Cfr etiam Greg. de Valentia in 1. 2 disp. 8, q. 5. p. 4 circa finem § « Dices » et seq.; Scheeben III, 2, n. 160, qui similem prorsus doctrinam defendunt. Volunt *assentiri* gratiae praevenienti non esse actum physicum realem elicere, qui sit ab ipsa voluntate gratia mota et elevata re aliquo modo distinctus, sed esse quoddam se habere hujus voluntatis motae, praevium ad actum consensus salutaris a facultate supernaturaliter elevata formaliter et explicite natura posterius eliciendum. Cfr Scheeben II. n. 157. Num ita ratio meriti in actu supernaturali sufficienter servetur, aliis relinquo judicandum. Quae in textu contra propositam sententiam in genere dicimus, putamus etiam hanc opinionem in particulari improbabilem reddere.

tam ( consensum dicunt ), quae sit determinationis jam conceptae ontologica explicatio ; et solam hanc esse entitatem seu saltem modum realem a voluntate vel motibus ejus indeliberatis re distinctum. Opinantur igitur 2° priorem volitionem virtualem et radicalem, quae sit proprie determinatio voluntatis ad agendum, nihil a potentia voluntatis vel saltem a motibus ejus indeliberatis re distingui, sed esse vel ipsam potentiam vel saltem potentiam motibus indeliberatis affectam realiter et identice, ita tamen ut haec jam aliter se habeat in ordine ad aliquid agendum i. e. volendum, quam antea se habuerit ; alteram vero volitionem, formalem scilicet et quae proprie dicatur, et a voluntate et ab ista virtuali volitione et determinatione vero et reali aliquo modo distingui.

Videtur autem haec sententia, ut id, quod sentio, dicam, excogitata esse ad quasdam difficultates vitandas ; neque ex ipsa rerum natura vel experientia hausta. Certum vero est, eam non esse sententiam D. Thomae, unde saltem ad explicandos ejus textus inservire nullo modo potest.

Et revera evitantur sic quaedam difficultates. Fac enim hanc sententiam veram esse : inter alia concursus simultaneus Dei cum libere agentibus eodem modo, quo concursus Dei cum agente necessario explicatur. Etenim sic volitio formalis objecti ratione propositi *jam praedeterminata continetur* in illa determinatione voluntatis radicali, quae proprie dicitur. Unde porro sequitur, nihil opus esse *liberae* causae concursum ad operandum multiplicem et indifferentem offerri a Deo, sed concursum ad unum omnino determinatum prorsus sufficere. Fuit enim usus libertatis in illa determinatione radicali positus. Ad hunc autem nullus omnino concursus Dei opus fuit ; quoniam hoc libertatis exercitium non est aliquid reale, a potentia voluntatis re distinctum, nec actio realis proprie, sed est realiter haec ipsa potentia. Unde influxus conservativus potentiae ad ipsum sufficit. Formalis autem volitio, quae vi illius radicalis determinationis naturaliter consequitur, et quae determinationem potentiae absolvit, concursu quidem indiget ; at quoniam ipsa in se ad unum jam antecedenter determinata est, concursu etiam dumtaxat eget simplici et ad unum determinato.

Hac ergo sententia supposita evitatur is concursus, quem dicunt indifferentem. Hic autem multis videtur ad explicandum difficillimus. — Sed nobis videtur, ut jam diximus, haec sententia adversari naturae rerum et experientiae, atque etiam contraria esse auctoritati D. Thomae. Haec duo jam ostendenda.

Ac primum quidem, determinationem nostrae voluntatis, quae proprie dicitur i. e. quae adstringit eam ad unum agendum, fieri per aliquid, quod formalem volitionem boni particularis re et natura praecurrat et cum ipsa voluntate ut sic vel cum ejus motibus indeliberatis realiter prorsus identificetur, id sane per se satis incredibile apparet. Et sane si cognitione boni particularis excitati et sollicitati in actu primo proximo complete constituti sumus ad hoc bonum verum aut apparens reapse et simpliciter volendum atque amplectendum, conscii nobis sumus, tenere nos quasi in manibus nostris decisionem, quidnam electuri, quidnam facturi simus, nosque sub-

stantialiter indifferentes erga bonum istud particulare tamdiu perseverare, donec formali et deliberata volitione elicita illud velimus aut non velimus etc. Dicere autem, determinationem ad unum jam radicaliter et substantialiter natura prius locum habuisse quam hanc volitionem formalem circa objectum eliciamus, elabi vero illam decisivam determinationem conscientiam nostram, id si ulla in re, hic tolerari non potest. Etenim agitur de ea voluntatis decisione, ex qua moralitas formalis et proprie imputabilis actionum nostrarum tota, proinde etiam meritum et demeritum omne dependet. Dicere igitur, illud praecise momentum, quo tota actionum nostrarum moralitas continetur, necessario et semper effugere conscientiam nostram ipsumque decisionem nostram formalem praevertere, nihilominus autem necessario nos putare, hanc decisionem volitione formali demum fieri : id nihil aliud nobis videtur esse quam primo latum aditum aperire scepticismo in quaestionibus morum atque conscientiae, deinde vero fundamentalem veritatem de libertate actionum nostrarum in actibus deliberatis in periculum vocare. Quomodo enim in hac gravissima quaestione conscientiae nostrae quidquam fidere amplius possumus, si libertatis nostrae formale exercitium ipsa eo refert, ubi non est, non refert eo, ubi est? Vacillant jam omnia fundamenta formalis moralitatis. Et profecto, si iidem omnino sumus, qui antea fuimus, quomodo nos derepente et simpliciter determinavimus ? si autem non omnino iidem manemus, quomodo hoc sine vera actione et mutatione intelligi in nobis potest ?

Dicunt utique DD., qui illam sententiam defendunt, etiam Deum sine ulla sua mutatione et sine perfectionis ullo incremento libere velle a se diversa.

At haec creaturae liberae cum Deo aequiparatio saltem in praesenti puncto admitti non potest. Nam ratio, cur Deus sine ulla ontologica mutatione et sine diversitate ontologica ulla possit diversa a se velle et non velle, haec aut illa velle, est infinita essentiae divinae perfectio. Haec omnia eminenter in se continet et propterea ad omnia per se ipsam sufficit. Affirmare autem arbitrii nostri libertatem in hac praecise re lassimilari divinae libertati et perfectioni, atque adeo nostram etiam voluntatem una sua entitate sufficere ad volenda bona diversissima substantialiter perfecta determinatione, (hujusmodi enim est illa prior et virtualis volitio) non solum est aliquid sine fundamento et contra analogiam affirmare, sed insuper est rationes rerum invertere : scilicet ens summe perfectum, cujus appetitiva virtus potest circa alia libere tendere tantum ad iis communicandum et in ea diffundendum proprium bonum, quod jam habet, et eminentius habet quam creatura ulla recipere id potest, confunditur cum ente potentiali, cujus appetitiva virtus fere ad hoc est, ut volendo et sese determinando intrinsecus perficiatur et libere sibi comparet perfectiones, quibus caret. Unde haec comparatio potius ad hoc ducit, ut dicere oporteat, Deum quidem libere velle a se diversa eadem realitate et actualitate, qua ipse est, et qua nolle etiam ea potuisset aut alia diversa velle ; creaturam vero sine nova aliqua actualitate et sine

ontologica et physica mutatione non posse ullo modo velle aliquid, quod antea non voluerit, nec sese determinare ad amplectendum aliquid, quod antea non sit amplexa (1).

Dices : a potentia in se indeterminata non posse procedere actionem determinatam. Ergo etiam voluntas prius in se determinanda est, ut certam et determinatam actionem elicere possit.

Respondetur, antecedens certo falsum esse in aliis animae facultatibus, nec in voluntate esse verum. Etenim quod ad ceteras animae facultates attinet, intellectus v. g. saepe uno imperio voluntatis, quod nihil in ipso i. e. in intellectu natura prius ad actionem imprimit vel immutat, immediate ad eliciendum assensum circa certum objectum determinatur, cum prius ad eliciendum assensum circa illud indeterminatus esset. Hoc in actu fidei divinae quotidie usuvenit. Porro idipsum, quod voluntas circa alias facultates v. g. intellectum facere potest, etiam circa seipsam facere potest (2). Scilicet potest seipsam ad actum determinatum eliciendum immediate determinare, seu potest determinatum actum immediate, quamquam antecedenter in se indeterminata est, elicere.

Hoc ut intelligatur, quomodo esse possit, attendenda sunt duo : 1° attendendus est ipse finis internus voluntatis. Voluntas enim ad hoc animae rationali data est, ut anima possit sibi media voluntate et in voluntate ultra inclinationes naturales, spontaneas et intrinsecus voluntarias inclinationes conferre atque imprimere. Ergo potest voluntas subjectum, in quo est, vitaliter et voluntarie inclinare in objectum, ad quod naturaliter non fuit inclinatum. Porro 2° attendendus est voluntatis connaturalis operandi modus ejusque amplitudo. Voluntas potentia appetitiva est, quae intellectivum principium ejusdem animae rationalis amplitudine imitatur et sequitur. Intellectus autem non tantum offert subjecto unum bonum particulare, sed maxime diversa bona particularia ; imo quodcunque bonum particulare intellectus subjecto offert, id, si actus deliberatus est, judicio indifferenti et libero i. e. non ad unum determinato antecedenter proponitur. Est porro omne judicium indifferens essentialiter et virtualiter duplex, quo judicatur, objectum apprehensum et bonum quoddam esse neque tamen esse bonum (ad beatitudinem) necessarium. Anima igitur rationalis,

(1) Oportebat etiam ad aliud attendere. Etenim non disponitur Deus indeliberatis motibus et actibus ad actum liberum et deliberatum, imo proprie loquendo Deus nulla re ad actum liberum et deliberatum disponitur, siquidem ipse infinita sua entitate et natura ad volendum, quidquid objectum divinae volitionis esse potest, omni modo perfecte idoneus est. Contra voluntas creata, praesertim humana, indeliberatis motibus et actibus ad actum deliberatum et liberum exercendum vere aptatur atque disponitur. Ergo maximum et radicale intercedit discrimen inter modum, quo Deus, et modum, quo homo ad libere operandum perfecte idonei sunt. Quare concludere oportebat, intercedere item radicale discrimen in formali usu libertatis. Quo igitur fundamento asseritur, aequiparari nihilominus Deum et hominem libere operantes in hac praecise re, quod sicut Deus sine ulla sui mutatione et sine ullo suo ontologico incremento eligit et diversa a se libere vult, ita etiam homo se electione substantialiter perfecta determinet et diversa libere velit, sine ulla sua mutatione et sine ullo suo ontologico incremento? nam quae ab adversariis in homine dicuntur consequi radicalem determinationem, non substantiam liberae determinationis tangunt, sed fatentibus ipsis ad ejus integritatem tantummodo pertinent.

(2) Cfr Suarez « de Grat. » l. 3, c. 12, n. 3.

informata et actuata medio intellectu hujusmodi cognitione boni particularis ad beatitudinem non necessarii, potest per voluntatem et vi voluntatis, ut instrumenti sibi naturaliter inditi, ad diversa bona sua sponte appetenda, sese immediate inclinare aut ad hoc bonum particulare volendum aut nolendum aut ad appetitum ab ipso avertendum vel cohibendum, aut potest etiam sese inclinare in aliud bonum, quocum volitio hujus boni non possit simul consistere. Ergo nihil opus est voluntatem prius in se determinari, ut in boni determinati appetitum elicitum immediate et per se transeat; imo haec voluntatis natura est, ut id possit, ubi primum anima rationalis medio intellectu objectum sufficienter cognovit et ad di libere volendum de se hac ipsa re actuata est.

Ad uberiorem explicationem haec addo: Quando animae per intellectum bonum aliquod particulare sufficienter propositum est, fieri non potest, ut voluntas, quae ad bonum in communi naturaliter determinata est, nullo determinato modo circa bonum propositum afficiatur; contra necesse est, eam aut directe velle et eligere objectum, aut recusare ac respuere, aut consensum et dissensum cohibere, aut aliud demum bonum illi praeferre, quocum consistere hujus boni volitio et electio non possit. Ergo animam et voluntatem circa bonum sufficienter propositum aliquo modo se aut formaliter aut aequivalenter determinare ob determinationem naturalem voluntatis ad bonum in communi, necesse est; quomodo se determinent, id in earum, vel si placet, in voluntatis proprie arbitrio et potestate relinquitur.

Hinc evidenter patet, nihil opus esse, voluntatem prius ad certum objectum nescio quomodo affici et determinari in sese et identice, ut deinceps (natura posterius) in actionem et actum determinatum volendi prodeat, imo ipsa positione hujus vel illius actus volitionis vel ejus cohibitione voluntas se determinat, et hac ratione, non alia, sua in agendo libertate utitur. Atque haec quidem ad objectionem factam sufficiant, sicut etiam ad explicandum, quomodo voluntas in se ad agendum antecedenter indeterminata nihilominus sese sua actione determinare ipsa possit.

Quod jam ad *doctrinam S. Thomae* attinet, paucis contenti sumus, quoniam dilucidum est et planum, eum in actu vero ac perfecto voluntatis appetentis atque amplectentis rem cognitam reponere usum proprium libertatis Nam in q. 13. a 1 in 1ª 2ae, ubi inquirit: « Utrum electio sit actus voluntatis vel rationis », haec ait: « Et ideo electio substantialiter non est *actus* rationis, sed *voluntatis. Perficitur* enim *electio in motu quodam animae* ad bonum, quod eligitur ». In 1ª vero parte q. 83, a. 3 1° in argumento « sed contra » ita argumentatur: « Sed contra est, quod Philosophus dicit 3 Ethic., quod *electio est desiderium eorum, quae sunt in nobis* [ i. e. in potestate et arbitrio nostro ]. Sed *desiderium est actus appetitivae virtutis*. Ergo et electio. Liberum autem arbitrium est, secundum quod eligimus [ i. e. functio propria liberi arbitrii, et qua ejus virtus propria continetur, est eligere ]. Ergo liberum arbitrium est virtus appetiti-

va ». Quid potest esse expressius? Electio, quae est propria functio liberi arbitrii ut sic, est *actus appetitivae virtutis*.

His consentanea ea sunt, quae mox in corpore articuli subdit, ubi ipse plane dicit, functionem propriam liberi arbitrii in electione positam esse, eam autem electionem esse actum voluntatis. « Respondeo, inquit, dicendum, quod *proprium liberi arbitrii est electio*. Ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimur, quod possumus unum recipere alio recusato, quod est eligere ». Quid porro ontologice haec electio, quo liberi arbitrii sumus, in seipsa sit, in fine articuli addit: « *Electio* est principaliter *actus appetitivae virtutis* ». Scilicet quamvis electio secundum quid sit actus rationis tanquam dirigentis et bonum appetibile proponentis, tamen simpliciter et substantialiter est, ut supra ait, actus voluntatis. Cfr « de Verit. », q. 22, a. 5 in c. et ad 2.

Itaque constat, S. Thomam neutiquam consentire iis, qui functionem propriam liberi arbitrii in modo se habendi voluntatis nescio quo et in *ente quodam rationis* constituunt (Scheeben II. n. 157), sed reponit eam in vero et physico actu potentiae appetitivae rationalis sive voluntatis.

Unde locus, qui invenitur in q. 3 « de Malo » a. 2 et qui potest primo intuitu videri illi opinioni nobis adversae nonnihil favere, aliter explicandus est. Locus ipse est hic: « Cum Deus sit primum principium motionis omnium, quaedam sic moventur a Deo, ut etiam ipsa se moveant, sicut quae habent liberum arbitrium; quae si *fuerint in debita dispositione et ordine debito ad recipiendam motionem, qua moventur a Deo, sequentur bonae actiones,* quae totaliter reducuntur in Deum sicut in causam; si autem deficiant a debito ordine, sequetur actio inordinata, quae est actio peccati ». Qui locus non sic intelligendus est, quasi ipso statuatur dispositio quaedam nostrae voluntatis, quae natura praecedat motionem et concursum Dei cum actu nostro itemque actum, qui est proprie voluntatis nostrae. Nam actu dumtaxat voluntatis proprio ac vero secundum D. Thomam eligimus et volumus. Unde etiam hujusmodi dumtaxat actu bene aut male secundum ipsum nos disponimus. Itaque intelligere oportet hanc dispositionem de ipso electionis et volitionis nostrae actu, quatenus nimirum hic actus praecise est a nobis libere operantibus et non est praecise a Deo, neque tamen est sine Deo vere et physice cum eo et nobiscum concurrente. Hoc enim actu electionis ut praecise a nobis est, bene aut male disponimur vel potius ipsi nos bene aut male disponimus (1). Si ergo hoc actu, ut praecise a nobis est, *bene* nos disponimus, hoc ipso etiam actu et in ipso hoc actu eum concursum Dei recipimus, quem antecedenter voluit Deus nos recipere; sin vero male nos disponimus, et peccamus, profecto etiam quendam Dei concursum in actu et cum actu recipimus, sed quem concursum ad malum non hoc consilio Deus obtulit nobis et in potestate nostra collocavit, ut eo uteremur, sed hoc spectavit, ut servaretur integra naturalis nostra in operando

(1) Vide supra dicta de malitiaformali actionum nostrarum malarum, p. 24 sq.

libertas. Unde bonae quidem actiones reducuntur adaequate in Deum, ut in causam suam, malae vero actiones nequaquam. Haec ad hujus loci explicationem. Si vero in his, quae diximus, quaedam sunt, quae adhuc uberiore explicatione indigere videntur, ea inferius reapse fusius explicabuntur.

Unum tamen censemus statim hic expediendum esse. Objiciatur enim: Si *disponimur* actione nostra libera, quatenus praecise a nobis est, ad motum divinum debitum recipiendum, quomodo illud affirmare S. Thomas hic potuit, *divinum motum sequi* actiones nostras « sequentur bonae actiones » ? Ergo explicatio data videtur esse falsa.

Respondetur, posse in actionibus nostris *varios ordines* « *prioris et posterioris* » *mente considerari* pro duplicitate causarum, a quibus omnis nostra actio essentialiter dependet. Et supra quidem ostendimus (pag. 30.) quare primae causae multiplex prioritas in operationibus nostris competat. Aliqua, quae ibi dicta sunt, hic applicemus.

Itaque quoniam actio, quae est vere et identice nostra, etiam a *Deo* procedit, potest considerari, ut reddens seipsam, quatenus praecise a *nobis* procedit, ultimo possibilem. Nisi enim nobiscum concurreret Deus et eandem nobiscum operationem operaretur, actio nostra a nobis reapse elici non posset. Patet jam, quomodo in hoc considerandi modo Deo prae nobis in operationibus nostris prioritas quaedam tribuatur, actio vero nostra, ut procedit a *nobis*, suo modo posterior sit, quam quatenus eadem a Deo procedit, i. e. quomodo actio possit quasi se ipsa dici posterior.

Contra quatenus actio nostra libera, ut a *nobis* procedit, suo modo determinat concursum Dei oblatum et conditionatum, ut in hanc praecise actionem nostram reapse influat transeatque quoad hanc actionem in concursum Dei re exhibitum et exercitum: actio nostra libera, quatenus praecise procedit a *nobis*, rationem dispositionis habet ad motum divinum recipiendum. Neque tamen oportet, quia actio nostra, quatenus a nobis est, consideratione *mentis* concipi potest, ut sub aliquo etiam respectu influxu Dei prior, eam *esse revera* ullo modo ei priorem, imo idipsum hoc considerandi modo excluditur, quia id, quod uno modo Dei concursu prius esse concipitur, alio modo ut eo posterius concipi omnino debet. Sed haec quomodo inter se componantur, distinctiorem explicationem, ut dixi, infra habebunt.

Colligamus, quae ostensa sunt. Ostensum autem est, usum formalem liberi arbitrii nostri etiam secundum S. Thomam in actione vere et proprie contineri, si ita loqui placet, in actione praedicamentali voluntatis positum esse. Unde, quae est immediata et physica dependentia omnis naturae creatae a natura ac vi motrice prima, continuo sequitur, ut nullus usus formalis liberi arbitrii nostri ut tale est sine physico et immediato concursu Dei locum habere possit.

## ART. II

### QUOMODO CONCURSUM DEI SIMULTANEUM CONCIPERE OPORTEAT.

Quaeritur jam, quomodo hic Dei concursus ad omnes actiones nostras, etiam formaliter liberas, essentialiter requisitus concipiendus sit.

Duplex est secundum Molinistas Dei ad actiones omnes creatas concursus, seu potius unus est concursus *in duplici quasi statu consideratus: concursus Dei oblatus et concursus Dei actu exhibitus.* Unus est concursus, quem Deus, quantum est ex parte sua, cum creatura exercere paratus est, si ipsa, quod suum sit, simul praestet; alter est concursus, quem Deus cum creatura, quae id, quod suum est, reapse praestat, in singulis actionibus et actibus creaturae reapse exercet et exhibet. Priorem contendunt Molinistae aliquo saltem modo multiplicem esse debere et indifferentem in libera creatura; alter ex natura rei, utpote qui cum actione creaturae re identificetur, ad unum semper determinatus est.

Debet autem prior concursus, qui oblatus dicitur, necessario aliquo modo in actionibus liberis multiplex esse et indifferens. Etenim nisi talis esset, praeter eam actionem, quam de facto elicimus, aliam in eodem signo elicere actionem reapse non possemus; illam autem ipsam elicere necesse esset; atque ita libertas actionum nostrarum conclamata jaceret. Nam sine concursu Dei actio nulla creaturae locum habere potest. Ergo si in potestate nostra concursus tantum ad unam actionem isque minime indifferens perfecte positus est, etiam unam tantum actionem, quam necessario jam elicimus, elicere reapse possumus. Ergo oportet concursum Dei oblatum ad multas et varias actiones extendi et sufficere, ut actionem, quam elicimus, vere pro arbitratu et electione nostra eliciamus, valentes etiam aliam exercere. Debet autem esse simul indifferens; nam si concursus Dei oblatus *ad unum agendum determinatus esset,* nos agere actionem hanc necesse esset. Quis enim Deo ad agendum nos simpliciter determinanti potest resistere? Ergo statuendus est, ut actionum nostrarum libertas salva sit, concursus Dei oblatus et aliquo saltem modo multiplex et vere indifferens.

Hunc concursum Dei multiplicem et indifferentem nunc explicemus necesse est. Ipsa autem hac explicatione alterum etiam manifestum erit: quomodo concursus Dei exercitus in nostras liberas actiones influat. *Tria* autem hic explicanda sunt: unum, *quid sit et quam amplius sit concursus Dei oblatus ex sententia Molinistarum*; alterum, *qua ratione hic concursus sit et dicatur indifferens*; tertium, *quibus modis causa secunda possit ac debeat, sicut S. Thomas saepe ait, determinare, particulare, specificare hunc concursum Dei oblatum.* Sequar in his quaestionibus enodandis potissimum Pa-

trem Suarez, cujus plane praecipua auctoritas inter omnes Molinistas agnita est. Exstant autem loci de hac re luculentissimi apud Suarez in opusculo « de Concursu » l. 1, c. 14, n. 5; ibid c. 15, n. 3 sqq ; in opere « de Gratia » Proleg. II, c. 8, n. 15, sqq. Atque hic notatu dignum esse videtur, Patrem Suarez, quamvis processu multorum annorum plurima de hac materia scripta ediderit, nunquam tamen in explicando concursu sententiam vel leviter immutasse. Conferantur praeter locos laudatos, « de Concursu » l. 2, cp. 3, n. 17; « de Gratia » l. 3, cp. 36, n. 6 sqq; c. 42, n. 13 sqq; cp. 50, n. 12; ibid. l. 5, c. 23, n. 3; Metaphys. disp. 22, sect. 4, n. 3 sqq. et n. 14 sqq. etc. Nonnunquam tamen quaedam ex opusculo Lessii « De Auxilio Efficaci » c. 4, n. 12 sqq. mutuabor (1).

*Dico itaque* 1° *concursum Dei oblatum ut sic esse aeternum Dei decretum, quantum quidem est ex parte sua, efficax et physice efficiens omnes actiones et omnes effectus, quorum aliqua creatura pro diversa amplitudine suae naturae suaeque potentiae et pro diversis conditionibus, in quibus actu versatur, cum auxilio generali Dei in singulis differentiis temporis capax est; suo vero modo ex parte ipsius causae secundae, quam hoc decretum objective respicit, esse decretum conditionatum.*

Hoc est responsum nostrum ad primum quaesitum. Indiget vero uberiore explicatione, quam quantum fieri potest Suarezii verbis dabimus.

Principium rerum productivum in Deo voluntatem volitionemque divinam esse, aliunde supponimus. Quidquid ergo efficaciae et physicae efficientiae ad res creandas et producendas divinitus procedit, id a Dei voluntate ejusque decreto procedit. « Omnia, quaecunque voluit, Dominus fecit ». Psl. 113, 3. « Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt ». Psl. 32, 9 et 148, 5. — Jam vero *per se* hoc loco divinam voluntatem ita consideramus, ut decretis suis est principium productivum rerum a se diver-

(1) Fatemur, non eandem prorsus explicationem concursus Dei indifferentis cum causis secundis liberis ab omnibus passim Molinae asseclis datam esse. Hoc profecto in quaestione difficillima et quae paulatim tantum ad liquidum elaborata sit, mirum esse non potest. Omissis ergo iis scriptoribus, qui formale exercitium libertatis nostrae actionem vere physicam esse negarunt, fuerunt quidam etiam, ut supra jam vidimus, sed iidem paucissimi, qui vel praevium quendam concursum actualem Dei ad singulos actus nostros admitterent, moti, ut ipsi censebant, auctoritate D. Thomae; inter quos fuit Bellarminus et qui ipsum secuti sunt, si tamen fuit omnino alicujus notae Societatis Jesu scriptor in hac quaestione illi omnino consentiens. Nam cui saepe ea sententia tribuitur P. Daniel, is eam non docuit; multo vero minus Conimbricenses l. 2 Phys. c. 7.

Alii discrepant inter se in explicando modo, quo concursui oblato ratio verae indifferentiae circa actum futurum nostrum liberum competat. Concursum oblatum autem oportere esse vere et proprie indifferentem circa actum futurum nostrum liberum, id Molinistae omnes consentiebant, quicunque formale exercitium libertatis in vera actione, qua libere volumus, positum esse censebant, i. e. numero et pondere longe plurimi.

Proponemus hic ipsi eam sententiam, quae et ab auctoritate inter Molinistas maxima commendetur, et rationi videatur esse praeter ceteras consentanea.

*Ceterum ad propositum hujus operis satis est, afferri vel unam explicationem concursus indifferentis rationi vere consentaneam, quae ad omnes locos D. Thomae explanandos sufficiat ita, ut ad praedeterminationem physicam Thomistarum, quae indifferens non est, recurri nunquam oporteat.* Hanc enim praedeterminationem unam maxime impugnamus et ut libertatis actionum nostrarum peremptricem rejicimus.

sarum *non universe*, sed quatenus spectantur humanae voluntatis liberae operationes.

Potest porro divina voluntas, dum vult actum aliquem humanae voluntatis fieri, se habere dupliciter. Nam ut talis actus a tali voluntate tali tempore, tali modo etc. fiat, *id potest velle simpliciter et absolute*, atque « applicando ita suam omnipotentiam, *ut efficaciter influat et secum ferat ac determinet humanam voluntatem*, ut simul in eundem actum influat ». Hic modus in liberis actibus nostris a nobis non admittitur, inter alias ob hanc potissimam rationem, quia nobis videtur perimere nostram in agendo libertatem.

« Alius ergo modus, quo Deus velle potest actum voluntatis humanae, hic est, *ut Deus sub conditione* (*se tenente ex parte causae secundae et objecti*) *actum nostrum esse velit:* scilicet vult, ut hic actus fiat a voluntate creata, si ipsa sese ad illum eliciendum — quantum ex ipsa est, — determinet, et ut sub eadem conditione velit ipse omnino influere et concurrere ad eundem actum, quantum id ex parte primi principii necessarium est. Ex vi autem hujus decreti et voluntatis divina omnipotentia ita applicata manet ad influendum in actum humanae voluntatis, ut hac influente pro sua parte, *absque nova Dei voluntate* aut applicatione suae potentiae, Deus etiam influat, quasi necessitate quadam orta ex ejus voluntate, quae ad id, quod vult et quomodo vult, efficax est et immobilis » (1).

Nec hic modus influendi ex parte Dei cuiquam impossibilis videri potest. Cum enim divina « voluntas infinita sit et efficacissima, nullo actu novo indiget », ut reapse influat, quando se semel ad ita i. e. ad influendum sub conditione se tenente dumtaxat ex parte objecti liberaeque voluntatis determinaverit, « sed hoc ipso perpetuo manet proxime applicata humanae voluntati, atque ita intime et convenienter, ut vel in ipsum operis initium influat, ita ut ne mente quidem concipi aut praescindi possit aliquod momentum aut signum, in quo actio procedat a sola voluntate creata et non simul a divina potentia » (2) influxu supremo, intimo et penitus necessario, qui pertineat ad id omne, quod verae physicae entitatis, actualitatis, realitatis quomodocumque tandem in illa actione illoque voluntatis creatae actu inveniatur.

Neque opponi potest, hoc modo movendi atque adjuvandi actum actionemque causae secundae liberae, sub conditione inquam et quasi naturali cum necessitate, aliquam in Deo imperfectionem induci. Etenim « necessitas illa *quasi* naturalis ex parte Dei, necessitasque cooperationis ex parte causae secundae liberae, ut omnino aliquid vi illius decreti divini conditionati in rerum natura fiat et producatur, non provenit ex imbecillitate quadam aut subjectione Dei sub creatura, sed ex decreto libero divinae voluntatis, quo vult se benigne ad modulum creaturae demittere et poten-

(1) Cfr. Suar. II. « de Conc. » n. 5.
(2) Ibid n. 6.

tiae suae cooperationem illi attemperare » ; quod si Deus facere in operationibus liberae creaturae nollet, aliquid esse vellet, quod formali sui essendi ratione careret essetque absurdum. Vide quae supra dicta sunt p. 32 et 33.

« Unde patet, non oportere, ut causa creata prius aliquid agat, aut ut Deum excitet ad concurrendum, si proprie loqui volumus ». Quod quomodo esse possit, hoc exemplo *aliquatenus* illustratur : « Hoc ipso enim quod potentia voluntatis gratia praeventa producit actum supernaturalem dilectionis, influendo in illum, eo ipso influit habitus supernaturalis caritatis. Simili igitur modo cogitandum est, divinam potentiam, veluti quendam habitum, omnibus rebus, et in specie humanae voluntati, intime [ ex libera sua determinatione ] insidentem et connexum, simul in omni operatione cooperari ; vel potius ad omnem causam creatam se habere ut essentia animae ad suas potentias ( si tamen realiter ab illis distinguitur) semotis omnibus imperfectionibus ; cum ipse sit omnium esse, omnium vita et vigor, omnia semper actu formans et conservans, ut Dionysius cp. 5 et 6 « De Divinis Nominibus » docet » (1).

Facile etiam ex morali ordine, et fortasse aptius exemplum excitatur, quod hunc divinae operationis modum aliqualiter illustret. Velut promissio habens conditionem se tenentem ex parte objecti promissi, hac conditione adveniente, ex sese sine ullo novo consensu transit in absolutam, atque una prioris consensus virtute et vi aliquid moraliter denuo efficit : proximam obligationem ad promissum implendum. Simili igitur modo Deus, determinante se causa secunda ex sua parte et quantum in ipsa est, vi prioris illius determinationis suae semperque manentis in hanc temporalem determinationem causae secundae reapse et physice influit. Etenim vult Deus atque ab aeterno voluit, saltem lege ordinaria (2), ut, quantum dependeat ex sese, omnis actio omnisque effectus causae secundae fiat et locum habeat, cujus aliqua creatura in aliqua temporis differentia cum auxilio generali Dei omnino sit disjunctive capax, dummodo item creatura id, quod ipsius est, ad eliciendum perficiendumque illum effectum praestet. Hoc ipsum vero creatura praestare non posset realiter, nisi quidquid verae entitatis et realitatis in illa actione ut sic illoque effectu creaturae invenitur, Deus id omne pro sua parte jam ab aeterno, ut suo tempore fieret et esset, efficaciter voluisset.

Si hoc modo concursus Dei oblatus concipitur, facile etiam cernitur, concursum hunc *non caeco quodam vel confuso modo a* Deo creaturis liberis offerri, sed « distinctissime praevidendo omnes actus in specie et in individuo, quos haec voluntas humana in hoc momento temporis cum hoc objecto aliisque circumstantiis efficere *potest*. Vult itaque distincte et definite Deus ad hunc *et* ad illum *et* ad alium actum etc. praebere concursum seu *offerre*, quantum in ipso est » (3). Atque sic in concursu offerendo nulla prorsus ex parte Dei confusio adest.

(1) Cfr Lessius II. n. 12.
(2) Hoc dicimus propter providentiam Dei extraordinariam per miracula.
(3) Cfr Suarez II. de Concursu c. 15, n. 3. Cfr etiam Lessius n. 15 et 16.

Ut quae hucusque de concursu Dei oblato diximus, clarius etiam percipiantur, exscribimus hic locum quendam Suarezii ex laudato Prologomeno II « de Gratia » cap. 8, qui nobis admodum luculentus videtur. « At vero, inquit Suarez, aliqui scriptores [ Vasquez v. g. ] licet negent, facere Deum in nobis actus liberos per decreta praevia praedeterminantia, nihilominus ponunt in Deo duplex decretum, unum absolutum, alterum conditionatum circa hos actus, quos humana voluntas libere facit, vel est aliquando actura. Nam quia hi actus fieri non possunt sine concursu Dei simultaneo, necesse est, ut ex parte Dei antecedat decretum et voluntas offerendi concursum hujusmodi: quam voluntatem dicunt esse generalem, nimirum offerendi concursum ad plures actus, inter quos potest voluntas in tali occasione deliberare seu eligere, quia hoc est necessarium, ut homo sit potens ad quemlibet eliciendum et consequenter est etiam ad actum liberum necessarium, unde etiam concludunt decretum illud voluntatis Dei esse conditionatum, quia non habet effectum nisi cooperante libero arbitrio hominis, quae est conditio intime inclusa objecto talis decreti ; inde enim fit, ut licet haec voluntas Dei ad plures actus divisum offerat concursum, unum tantum operetur. Ita ergo ad hos actus liberos decretum conditionatum antecedit.

« Quia vero conditionatum decretum non videtur sufficere, ut effectus in re fiat, ideo dicunt dicti auctores necessarium esse aliud decretum absolutum et particulare, quo Deus simpliciter vult, ut hic et nunc talis actus a tali voluntate circa tale objectum fiat. Quod decretum vocant concomitans, et non praedefiniens, quia est de effectu simul efficiendo cum libero arbitrio, et non aliter, et quia Deus non vult absolute liberum arbitrium sic operari, nisi quia supposito priori decreto conditionato et universali praevidet, liberum ipsum arbitrium fore ad illum actum determinandum potius quam ad alium.

« Ego tamen nunquam intelligere potui, cur necessarium sit, vel quomodo satis intelligi possit, quod concursus Dei simultaneus procedat immediate ab hoc decreto particulari, quo Deus absolute vult istum actum fieri nunc a tali voluntate humana. Nam suppono, priorem actum non ita esse aut dici generalem, ut solum in confuso versetur circa actum liberum in communi vel possibilem circa tale objectum hic et nunc, quia vel Deus non habet hujusmodi actus confusos, qui ex parte cognitionis seu apprehensionis objecti imperfectionem videntur supponere ; vel certe quia talis actus non est necessarius, nec sufficit ex parte Dei ad agendum aliquid ad extra, cum actiones sint circa particularia, et ad illas etiam particularia decreta sufficiant ; neque etiam ex parte liberi arbitrii necessarium est tale decretum confusum, quia per decretum particulare sufficienter ei praevidetur, ut jam declaro.

« Dicitur igitur illud conditionatum decretum *generale,* quia per illud non offertur concursus ad unum tantum actum, sed ad plures vel etiam ad omnes, quos liberum arbitrium circa objectum sic propositum potest

hic et nunc exercere. *Ad omnes*, inquam, non in individuo possibiles, sed *in specie*, non tamen confuse, *sed in particulari ad determinatum et singularem actum in singulis speciebus*, ut ad talem actum amoris, odii, consensus vel dissensus vel similes. Per hoc enim non impeditur libertas etiam quoad specificationem, cum voluntas maneat indifferens ad actus diversos et contrarios efficiendos (1).

« Sic ergo necessarium est decretum commune ad plures actus, licet sit etiam ad singulos in individuo. Est autem tale decretum quasi conditionatum quia ut salvetur libertas quoad exercitium, *non determinatur tale decretum simpliciter ad agendum sed coagendum, utique si arbitrium creatum coagere voluerit.*

« *Sic ergo explicato illo generali decreto conditionato, dico per se et ex vi concursus simultanei non esse necessarium aliud decretum absolutum particulare circa actum illum, qui in tempore fit, vel futurus est a libero arbitrio creato.* Primo quia illud prius decretum etiam est particulare, ut declaravi, unde ex hac parte habet sufficientem determinationem, ut operetur ad extra ; neque enim obstat, quod de se extendatur ad alios actus possibiles seu — quod re idem est — quod Deus habeat plura decreta similia ratione distincta, quibus offert concursum ad varios actus : nam potest nihilominus agere per unum potius quam per aliud, non ex parte decretorum Dei, sed ex parte arbitrii creati, quod pro sua libertate uni decreto potius quam alteri cooperatur ; ergo ex hac parte sufficit quodcunque ex illis decretis ad operandum ad extra.

« *Aliunde vero non obstat, quod sit conditionatum, quia, quantum est ex parte Dei, est absolutum ;* quia revera Deus, quantum est ex se, paratus est ad efficaciter concurrendum, tam ad hunc quam ad illum actum ; ergo hoc satis est, ut efficiat illum, ad quem coagendum liberum arbitrium inclinatur. Et declaratur : nam si potentia exsecutiva seu activa Dei ad extra est distincta ratione a voluntate et per hanc applicatur ad agendum, per illum actum conditionatum manet applicata et exposita ad influendum ad talem actum, si ei voluntas creata adjungatur. Si vero voluntas est ipsa potentia immediate ad extra efficiens, satis est ei ad ita efficiendum ita velle sicut effectura est. At vero non est effectura actum liberum voluntatis creatae se sola, sed simul cum voluntate creata, si ipsa velit : ergo satis est, ut hoc ipsum velit, sicut revera illud vult per decretum conditionatum. Ergo illud idem decretum sufficit, ut voluntas Dei actum humanae voluntatis coefficiat, quando haec, ipsi adjungitur.— Unde etiam videtur concludi, non solum frustra poni aliud decretum ratione posterius et absolutum, sed etiam poni non posse, salva integra libertate creatae voluntatis ».

Hoc ipsum jam tribus argumentis Suarez invicte probat ; quae, si placet, apud ipsum vide.

(1) Imo oportet dicere, si constantes esse volumus, non ad unum actum unius speciei, v. g. amoris Dei, Deum offere concursum, sed ad plures diversae intensitatis, quia potentia potest actus diversae intensitatis elicere.

Ostendimus modo, quomodo omnis ex parte Dei caecitas et confusio ab eo decreto Dei absit, quo Deus creaturae liberae parat ex parte sua ad omnes actus et singulos disjunctive pro occasione concursus. Nec quaedam quasi caecitas in Deo offenditur, dum exhibet ipse concursum vel dum creatura libera ex omnibus illis actionibus et actibus, quos ponere aliquo temporis momento vi concursus oblati omnino potest, aliquem pro suo arbitratu revera ponit. Cujusmodi caecitas si ex nostra doctrina de concursu oblato consequeretur, inconveniens plane maximum contra nos esset. At nulla consequitur. Habet enim Deus scientiam mediam, vi cujus praescit, quid singulae creaturae liberae in singulis occasionibus, positis omnibus ad agendum necessariis, reapse sint acturae et electurae. Ergo Deus praescit, qui concursus conditionatus ex multis, qui oblati sunt, sit in absolutum et exercitum concursum transiturus.

Nec tamen idcirco oblatio concursus ad ceteros actus, quos de facto non elicit homo, superflua censeri potest. « Si enim Deus propter illam praescientiam de uno actu futuro suum auxilium vel concursum denegaret ad ceteros omnes actus, aut quod idem est, ad eos non offerret intimeque voluntati applicaret, hoc ipso tolleret potentiam proximam ( et adaequatam ) atque adeo libertatem ad alios actus eliciendos ». Suarez ll. cp. 15, n. 3. Cfr Lessius ll. n 16. Etenim careret jam potentia aliquo momento praevie ad agendum adjumento essentialiter requisito. — Ceteroquin ne hoc te offendat, animadverte, quot tandem energiae non solis hominibus sed etiam ceteris naturis divinitus datae maneant inefficaces! Numquid propterea eae omnes sunt censendae inutiles?

Insuper, tot concursibus ex parte Dei nobis oblatis, optime cernitur: 1° cur in malis actibus, etsi Deus ad eos cooperatur entitative spectatos, tamen nullo modo necessarium sit, ut ipse dicatur velle eos a nobis fieri, sed cur eos a nobis fieri tantum permittat; et cur 2° intentio Dei in offerendis concursibus etiam ad malas actiones sola haec sit, ut integra servetur ea libertatis forma, quae nobis connaturalis est. Sed de hac re et supra fuit et infra recurret sermo.

Quaeres: Si concursus Dei oblatus respiciat determinate omnes et singulas actiones, quas libera creatura in certa temporis differentia proque conditione sua praesenti exercere possit, quomodo hic concursus sit et vocari possit indifferens; videtur enim omnino in ordine ad objecta esse maxime determinatus et definitus. Respondetur, hanc ipsam quaestionem eam esse, quam supra altero loco enodandam proposuimus.

Itaque dico 2° *concursum Dei oblatum voluntati liberae non ideo dici indifferentem, quasi indeterminatum aliquod objectum (actiones et effectus liberae creaturae indeterminate) respiciat, sed ideo solum dicitur et est indifferens, quia licet omnes et singulas actiones, actus, effectus, quorum voluntas creata in singulis temporis differentiis pro occasione capax est, determinate respiciat, eos tamen cum quadam exercitii indifferentia respicit atque in nullum ex iis prae aliis determinate ex sese tendit; sed num re-*

*late ad hanc actionem et hunc effectum aut ad aliam actionem aliumque effectum reapse efficax evasurus sit, id prorsus determinationi secundae causae relinquitur.*

Haec tradit Suarez l. I. «de Concursu» cp. 15, n. 5 sqq. Cfr «de Grat.» l. 3, c. 42, n. 13 sqq.

Cavendus autem hic error, quasi statuamus, determinationem causae secundae, quatenus ipsa quaedam physica productio et physicum ens sit, a sola causa secunda efficienter fieri. Hoc supra negavimus ac rejecimus. Licet ergo physica productio determinationis liberae et primae causae et secundae tribui simul debeat, et eatenus affirmari possit, causam secundam liberam a prima causa active et physice determinari, quamvis id non fiat sine simultaneo influxu physico secundae causae, «speciali tamen modo haec determinatio secundae causae attribuitur, ejusque libertati tanquam proximae radici illius, quia ex illius libertate dependet talis determinatio. *Deus enim in illo instante*, in quo influit ut causa prima, prius natura *intelligitur habere quandam determinationem a sua voluntate ortam, qua expositus est ad concurrendum in hunc vel illum actum;* et solum est indifferens universali quadam et absoluta indifferentia, determinatus tamen quasi sub conditione ad cooperandum creaturae..... At vero *creata voluntas in illo priori naturae est omnino indeterminata, et nullam habet necessitatem influendi,* neque simpliciter neque ex suppositione alterius actus sui ipsius, sed ex sola sua indifferentia (activa) libertatis actum inchoat quando et qualem vult» (1).

Explanata ratione, qua concursus divinus oblatus secundum systematis nostri principia quoad exercitium indifferens sit, facile jam ad *tertium* quaesitum, quod supra proposuimus, respondetur. Fuit autem quaesitum hoc : quibus modis possit ac debeat secunda causa dici particulare, specificare, determinare, ut verbis D. Thomae utar, concursum oblatum primae causae.

Dico igitur 3° *causam secundam determinare, specificare, particulare concursum Dei oblatum eatenus, quatenus in concursu offerendo Deus se accommodet naturae illius causae, cui concursus offerendus sit; offert enim Deus concursum, ut ita dicam, modo simplicem atque ad unum individuum actum prorsus determinatum; idque semper usuvenit, quoties causa, de qua agitur, eo temporis momento unius tantum et individui actus in concreto capax est; cujusmodi sunt omnes causae necessariae et contingentes non liberae* (2)*; modo vero offert concursum, ut dixi, multiplicem ad mul-*

(1) Suarez «de Concursu» II. n. 6. Cfr hic si placet Alvarez O.P. «De Auxiliis Gratiae» l. 3, disp. 21, n. 1 et 6, atque vide, quam inadaequate concursum indifferentem, qualis a nostris Theologis asseritur, explicet. Id enim, quod est plane gravissimum in hac explicatione, *concursum Dei liberae creaturae oblatum respicere distincte omnes terminos actionesque omnes* tali creaturae in diversis differentiis temporum possibiles, negligit plane atque omittit. Non mirum, quod magnam Dei imperfectionem in hoc genere concursus offerendo detegit. Alia etiam, quae ostendunt, quam non sit assecutus Alvarez mentem nostrorum Theologorum, ibi invenies. Cfr. n. 7.

(2) Scilicet concursus ad unum tantum et individuum actum offertur a Deo omnibus iis causis, quae liberae in agendo aut non sunt aut, licet tales sint, ut liberae non agunt, sive jam sunt causae, quae

*tos et varios actus, quando scilicet causa eodem temporis momento varios disjunctive actus elicere potest, cujusmodi sunt omnes et solae causae liberae. — Potest etiam dici et porro dici debet, causam primam determinari a causa secunda, si spectes actuale exercitium concursus oblati.*

S. Thomam pluribus locis aliquam primae causae ejusve influxus determinationem per causas secundas docere, evidens est ! (1). Haec autem primae causae per secundas causas determinatio imprimis non concipienda est ita, quasi secunda causa in primam active et efficienter influat vel imprimat motum, jam ob unam hanc rationem, quia in actu puro nihil omnino passivae potentiae invenitur ; nec ita porro concipienda est haec determinatio, quasi concursus seu influxus Dei physicus ad omnem operationem causae secundae necessarius, quatenus a Deo *reapse jam* procedit et in actionem et effectum causae secundae jam actu influit, sit adhuc indeterminatus, atque determinationem relate ad certam specie actionem certumque effectum a causa tandem secunda cooperante et simul physice influente exspectet et consequatur ; sed ita concipienda est haec per secundas causas primae causae determinatio, ut ipse Deus suum influxum supremum et generalem singulis causis secundis earumque praesenti conditioni prorsus accommodet et ab aeterno accommodaverit: offerens iis singulis concursum ipsis in concretis rerum adjunctis perfecte accommodatum, modo quidem simplicem omnino concursum et ad actum in specie et in individuo unum, modo vero concursum multiplicem, non solum quod attinet ad diversas species actionum, quas creatura aliqua libera in certa quadam temporis differentia attentis omnibus circumstantiis internis et externis disjunctive elicere vel ponere potest, sed etiam quod attinet ad diversas modificationes, quas actus singularum specierum in libere agentibus et *ab* ipsis subire possunt. Oblatum ergo sibi habent et quasi applicatum singulae causae secundae non uniformem aliquem concursum Dei atque eundem, si tamen concursus Dei terminative spectatur, sed pro variis causis et conditionibus attemperatum, modificatum, diversificatum, ab ipso Deo : ampliorem vel minus amplum, spiritualem vel materialem pro diversa natura et amplitudine creaturae, quae actura est vel agere potest.

Est igitur causa secunda *ratio quasi objectiva determinans concursum*

omnino proprie dicuntur necessariae, ut omnes vires physicae, chimicae, vegetativae, quarum virtutes de se et naturaliter sunt ad infimam speciem actionis determinatae ; sive minus stricte causae necessariae dicuntur, quales sunt omnes causae ad utrumlibet et contingentes praeter liberas. Hae enim causae, licet naturaliter non sint ad unam infimam speciem actionum de se determinatae, sed, quid acturae sint, ex rerum temporumque adjunctis pendeat, tamen ubi primum omnes conditiones ad earum activitatem necessariae positae sunt, contrahuntur in concreto ad unam specie actionem necessario eliciendam. Velut visus de se patet ad multa, specie tamen impressa determinatur omnino et contrahitur ad unum ; et simile quid accidit in appetitu sensitivo. Talibus ergo potentiis nihil opus est, ut a Deo offeratur concursus multiplex et suo modo ad agendum indifferens, sed concursus ad unum et individuum actum iis a Deo offerri pro diversis agendi opportunitatibus, et occasionibus omnino sufficit.

(1) Cfr S. Thomas « contra Gent. » l. 3, c. 66, n. 5 : « De Verit ». q. 5, a. 9 ad 10; « de Pot. » q. 1, a. 4 ad 3; « de Malo» q. 3, a. 2 in corp. ; 1, dist. 38, a. 5 in corp ; 3, dist. 23, q. 3 a. 1 ad qstl. 1.

*atque influxum causae primae quoad species et modificationes* omnes, quae in diversis causis secundis usuvenire possunt. Atque hic est modus, quo Suarez et alii primarii Molinistae hoc concipiunt et asserunt: determinationem et specificationem concursus divini fieri per causas secundas, quod scl. attinet ad concursum Dei in actu primo seu oblatum. *Vide Suarez l. 3 « de Grat. »*. c. 36, n 7 et 8; « de Concursu » l. 1, c. 15, n. 5.

« Verumtamen, inquit Suarez ll. « de Gratia », utrumque verum est, si recte explicetur, et imperfectiones et superfluae actiones removeantur. Itaque dubitari non potest, quin Deus libera sua voluntate definiat concursum suum non solum quoad individuum, sed etiam quoad speciem et modum concursus. Nam divina potentia de se indifferens est ad varios concursus praestandos, non indifferentia imperfecta sed perfectissima, quae ab extrinseco determinari non potest, sed tantum a propria voluntate. Ergo Deus ipse est, qui determinat speciem concursus, sicut et individuum.

« Est tamen in hoc notanda differentia, quod determinatio ad individuum nullum habet fundamentum in causa secunda, sed est ex sola Dei voluntate ut dixi. *Determinatio autem quoad speciem* licet, ut dixi, per Dei voluntatem directe et efficienter fiat, nihilominus *fundamentum et aliquam rationem habet ex parte causae secundae*. Nam ideo Deus determinat huic causae dare talem modum et speciem concursus, quia eum postulat virtus talis causae, tanquam accommodatum suae naturae ... *Proprie dici potest causa secunda in suo genere determinare primam ad talem concursum, postulando ab ipsa talem concursum et non alium,* neque inde sequitur prioritas naturae in concursu vel actione causae secundae, quia *non postulat* talem concursum Dei *per suum concursum ut exhibitum sed per virtutem aptam ad exhibendum talem cooperationem et non aliam ;* atque in hunc modum determinat concursum Dei quoad speciem. Et sic dicitur causa prima determinari a secunda quoad contingentiam effectus et quoad alias proprietates, quas habet actio causae secundae per habitudinem ad causam proximam, cui Deus se accommodat, natura talis causae id postulante » (l. c. « de Grat. » n. 7). Videtis reliqua apud ipsum Suarez.

Quod vero attinet ad *determinationem primae causae per secundam causam in ordine ad actuale exercitium concursus oblati* vel quoad concursum in actu secundo, quomodo haec concipienda sit, ex iis, quae dicta sunt supra, evidenter patet. Scilicet, num reapse divinus aliquis concursus oblatus in actionem liberae creaturae influat, et quinam praecise concursus oblatus in actionem creaturae influat, id dependet a libera creatura ejusque decisione. Nam ipsa potest positis omnibus ad agendum necessariis agere aut non agere, hoc aut illud agere. Quare etiam apud ipsam decisio manet et est, num et quinam concursus ex omnibus, qui divinitus ei eodem temporis momento offeruntur, reapse in actionem influat et de ratione concursus oblati in rationem concursus exerciti reapse transeat. Neque tamen haec decisio ipsa sine divino concursu locum habet. Nam, quemadmodum supra exposuimus, haec decisio est actio vitalis nec sine divino

concursu fieri et esse potest. Nihilominus quoniam Deus ex parte sua cum quadam vera indifferentia quoad exercitium concursus paratus est ad influendum sive in hanc sive in illam sive in aliam actionem, prout libera creatura ipsa cooperetur et pro sua parte influat sive in hanc sive in illam sive in aliam actionem: ideo licet physica causatio decisionis creaturae liberae Deo et creaturae communis sit, tamen si decisio haec praecise consideratur sub formali ratione determinationis et decisionis inter plura vel ad agendum vel non agendum, ad hoc vel illud agendum, creaturae liberae propria est eique vindicanda; nam creatura libera sola est, quae indifferentiam ad influendum sive in hanc sive in illam sive in aliam actionem a concursu divino oblato aufert, et ipsum ad influendum in hanc praecise actionem determinat.

Et hoc quidem modo concipimus divinum nobiscum concursum quoties libere operamur. Vix opus est addi, hunc concursum necessarium esse semper quantumcunque aliqua creatura ad operandum in suo ordine i. e. ut causa secunda perfecte instructa sit, sive actio et actus ad ordinem naturalem sive ad supernaturalem pertineant. Una differentia est quod pro naturali aut supernaturali indole actionis et actus creaturae, concursus etiam Dei terminative spectatus aut naturalis aut supernaturalis est; idem dicendum pro actionis indole spirituali aut materiali etc. Quod ita esse, demonstratione non eget. Si enim terminative concursus Dei spectatur et prout est in creatura, est semper identice actio et actus creaturae, prout ex iis, quae ante disputavi, patet; ergo pro natura actionis creaturae ipse etiam spiritualis aut materialis, naturalis aut supernaturalis est. Et haec quidem hactenus.

---

## ART. III

### DIJUDICANTUR EA, QUAE R. P. DUMMERMUTH CIRCA DOCTRINAM MOLINISTARUM DE COOPERATIONE DIVINA CUM CREATURA OPERANTE TRADIT.

Reliquum est, ut pauca quaedam adnotemus circa ea, quae R. P. Dummermuth ad explicandam sententiam Molinistarum de modo, quo Deus cooperetur liberis creaturis, operi suo praemisit.

Primo loco ponit sententiam et expositionem Becani, non ignobilis Molinistae ( p. 16 sq. ). Nihil est, quod hic animadvertamus praeter unum: R. Patrem plus affirmare quam Becanus dixerit. Id liquet ex iis ipsis, quae ex illo probationis gratia addidit. Ait R. P. p. 17 nitens autoritate Becani: « Dicunt primo [Molinistae], Deum suo concursu *neque movere neque applicare* cau-

sas secundas ad agendum ». Hoc enimvero ita universe non dicunt, neque Becanus id dicit. Dicendum fuit, ut sententia Molinistarum et Becani accurate redderetur: « Dicunt primo [Molinistae], Deum suo concursu *non praevie* neque movere neque applicare causas secundas ad agendum ». Nam aliud est, negare solam praeviam motionem et applicationem, aliud negare omnem motionem et applicationem. Becanus tantum praeviam motionem negavit. « Concursus Dei cum causis secundis » inquit Becanus «De Deo » cp. 18, n. 17, « non consistit in eo, quod Deus moveat et applicet causam secundam ad agendum *idque per actionem quandam distinctam et praeviam* ». Ergo motio praevia et a motione creaturae re distincta Dei motio a Becano negatur; numquid propterea omnem Dei motionem in operationibus causarum secundarum negavit? Motionem simultaneam certe concessit et affirmavit, ut omnes eam Molinistae affirmant. Si ergo Becanus dicit, Deum non movere creaturam ad agendum, hoc intelligendum de motione praevia, quae communius jam motio vocatur.

Pergit R. P. eadem usus auctoritate : « Hinc secundo docent, concursum vel influxum Dei *nequaquam recipi* in causa secunda, sed in effectu ». Accuratius et sine ambiguitate locutus esset, si sententiam Becani et Molinistarum hac forma reddidisset: « Hinc secundo docent, concursum vel influxum Dei *nequaquam terminari immediate ad causam secundam secundum se spectatam, sed ad actionem et effectum ejus* ». Etenim in concursu agitur proxime et per se de Dei influxu activo et efficiente in omnem actionem omnemque effectum causae creatae; de receptionis subjecto hujus influxus per se et proxime non agitur. Num autem revera ratione actionis et effectus creaturae, quibuscum concursus Dei terminative spectatus re identificatur, recipiatur concursus in ipsa causa secunda ut in subjecto necne, id totum pendet ex hac re, in quonam subjecto actio et effectus secundae causae ipsa recipiantur et insint. In actibus vitalibus actio et actus vitalis haud dubie manent in causa secunda, ut subjecto receptionis. Libera porro volitio est vera actio et verus actus vitalis. Ergo haec actio et hic actus in causa sua i. e. in voluntate, ut in subjecto insunt et manent. Hinc falsum est, quod R. P. hic Molinistas *universe* docentes facit: « concursum vel influxum Dei *nequaquam recipi in causa secunda* sed in effectu ». Nec Becanus id docuit, sed hoc : « Alii, inquit, n. 20, (scilicet Thomistae) volunt concursum Dei esse influxum Dei in causam secundam; nos contra, esse influxum Dei non in causam secundam, sed in actionem et effectum causae secundae ». Non ergo de receptione influxus in subjecto apud Becanum formaliter sermo est, sed de ejus immediato termino, neque ejus immediatum terminum ille statuit esse solum effectum, sed ipsam etiam *actionem* secundi agentis. Quod eo minus R. Patri omittere licuit, quia interdum negant Thomistae, concursum Dei secundum Molinistas attingere etiam immediate ipsam actionem agentis creati. Quidquid creatum et productum physicam entitatem habet, id non habet eam sine physico et immediato influxu Dei.

Ad tertium, quod R. P. hoc loco docet, nihil animadvertendum: Molinistas consequenter rejicere influxum Dei praevium, statuere simultaneum quod, si paucissimos excipias, omnino verum est.

Quod vero quarto loco affirmat, Molinistas dicere, « Deum et causam secundam esse causas partiales, non totales seu integras », verum quidem dicit; utiliter tamen addidisset, Molinistas et imprimis Suarezium cavisse errorem, quasi illis verbis statueretur, Deum et causam secundam esse causas ejusdem ordinis et ex aequo se in operando et in producendo effectu creaturae habere, cum tamen operatio et effectus causarum secundarum interius, principalius, multoque magis necessario pendeant a prima causa quam ab ipsis secundis. Vide supra p. 30 sq.

Quinto loco. R. P. affert explicationem ipsius Molinae circa quaestionem, quomodo concursus Dei circa liberas actiones indifferens sit, et quomodo influxus primae causae a secunda causa determinetur et modificetur. — *Et recte quidem vidit Molina, quod est in hac re plane primarium, concursum Dei oblatum in liberis causis indifferentem esse oportere, debere non esse praedeterminantem ad unum physice; recte etiam alterum addidit, concursum Dei determinari et modificari a causa secunda.* Nihilominus puto, quomodo haec locum habeant, minus feliciter a Molina explicatum esse. Nam Molina definit, concursum Dei oblatum, imo etiam exhibitum in omnibus actionibus et effectibus secundarum causarum, sive hae spirituales sunt sive materiales, sive naturales, sive supernaturales, ejusdem semper secundum se physicae rationis esse (1). Hoc autem ad intelligendum saltem est difficillimum.

(1) Hanc esse opinionem Molinae praeter locum, quem R. P. Dummermuth affert et quem infra adscribam, aliis etiam locis patet : Maxime manifestus hic est : « Quod si quis dicat, inquit Molina Concord. ad q. 14, a. 13 disp. 39 p. 162, Sotum et Vegam non aliud intelligere nomine auxilii particularis gratiae coadjuvantis, quam *influxum immediatum Dei, quo nos dicimus Deum concurrere cum libero arbitrio et gratia praeveniente ad actus credendi, sperandi et paenitendi, ut ad salutem oportet;* recenseri vero ab eis inter auxilia particularia gratiae, eo quod concursus ille sit ad effectum supernaturalem, atque adeo distinctus a concursu, quo Deus concurrit ad res naturales : *inprimis non puto, concursum illum, quantum est ex se, esse alterius rationis ab eo, quo Deus concurrit ad effectus mere naturales;* neque ab illo credo habere actus illos, quod sint supernaturales, sicut neque id habent ab influxu liberi arbitrii ; sed solum habere esse supernaturale ab influxu Dei per gratiam praevenientem. Universimque quoties causa secunda est supernaturalis, atque eodem modo apta nata, ut effectum producat supernaturalem, quo causa secunda apta nata est, ut producat effectum naturalem, *non puto, influxum immediatum Dei cum illa in effectum producendum* ( ea nimirum generali ratione , quo sicut nihil creatum conservari potest, nisi Deo illud ipsum immediate influente, ita neque produci ) *alterius rationis esse a concursu, quo concurrit ad effectus naturales* aut ab illo effectus productos habere, quod sint supernaturales ». Haec ad propositum nostrum evincendum ex illo loco Molinae, sufficiunt. Idem universalius docuit in loco, quem R. P. Dummermuth p. 18 partim exscripsit. « Deus, ait Molina ibid disp. 26 p. 112, generali concursu influit, ut causa universalis *influxu quodam indifferenti* ad varias actiones et effectus, *determinatur vero ad species actionum et effectuum a particulari influxu causarum secundarum*, qui pro diversitate virtutis cujusque ad agendum diversus est : aut, si causa libera sit, in ipsius potestate est ita influere, ut producatur potius haec actio quam illa, puta velle quam nolle, aut ambulare quam sedere, et hic effectus potius quam ille, nempe hoc artefactum potius quam aliud, vel etiam suspendere omnino influxum, ne ulla sit actio. Porro concursus Dei generalis determinatur a particulari concursu causarum secundarum, non secus ac influxus solis, qui etiam universalis est, determinatur ab influxu hominis, ut producatur homo ; et ab influxu equi, ut oriatur equus : sol enim et homo generant hominem, ut secundo Physicorum habe-

Nam 1° quidem concursus Dei oblatus est, fatente ipso Molina, quoddam decretum Dei, quo vult Deus, quantum est ex se, actiones et effectus actualium creaturarum fieri et esse. Hinc autem fit 2°, ut, si concursus Dei terminative spectetur, terminari debeat per identitatem ad esse quoddam aut spirituale producendum aut materiale, idque aut naturalis aut supernaturalis ordinis. Quomodo autem tunc in omnibus ejusdem physicae rationis esse potest? Imo concursus Dei oblatus si terminative secundum objectum spectatur, debet ex omni parte determinatus esse. Explicatur et demonstratur: Etenim concursus Dei oblatus, quoties determinante se creatura ad agendum transit seipso in concursum Dei exercitum, nihil aliud est quam ipsa formalis productio actionis creaturae, quatenus simul procedit a Deo. Procedit autem a Deo secundum totam et adaequatam rationem sui esse et suae realitatis physicae ut a causa prima. Ergo etiam concursus oblatus Dei debet respicere actiones creaturarum secundum totam et adaequatam rationem sui esse et realitatis physicae. Hoc autem nihil aliud est quam implicite affirmare, Dei concursum oblatum si terminative ex parte objecti spectetur, non esse uniformem et ejusdem physicae rationis pro omni agente, sed valde diversum et varium pro singulis agentibus esseque ipsorum naturis et circumstantiis plane accommodatum et commensuratum. Et profecto, si Dei concursus oblatus, consideratus in suo principio, est decretum quoddam Dei *efficax et physice efficiens* omnium et singularum actionum, quarum aliqua creatura in certa temporis differentia capax est, non quidem absolutum sed conditionatum: quomodo hoc decretum non respiciet terminum concretum et ex omni parte physice determinatum, cum vagarum et indeterminatarum rationum physica et immediata efficientia nulla nec sit nec esse possit? Deus autem physice et immediate in omne esse et ens creatum secundum totum ambitum realitatis ejus physicae influit. Unde opinionem Molinae, quasi concursus divinus pro omnibus agentibus et pro omni creati agentis actione uniformis et ejusdem physicae rationis sit secundum se, et hac ratione sit et dicatur indifferens, tanquam minus veram rejicimus.

Confudit Molina rationem metaphysicam, cur Deus cum omni creato agente concurrere debeat, quae una est, cum physica ratione concursus terminative spectati, quae in diversis necessario diversa est. Quare etiam rejicimus modum, quo Molina opinatus est, causam secundam modificare et determinare influxum Dei actualem in omnes actiones et effectus secundarum causarum. Vide supra. p. 120 sq.

Sed nescio, cur R. P. Dummermuth adeo parcus fuerit in referendis

tur; eademque ratione sol et equus generant equum ». Hucusque locum attulit R. P. Dummermuth. Attende insuper, quae apud Molinam in sequenti § inveniuntur. Ibi inter alia hoc: « Si Deo simili modo ex parte sua influente, sicut cum eo concurrit ignis, concurreret aqua, produceretur frigefactio, et non calefactio, atque pro diversitate cujusque alterius agentis particularis, quod concurrerit, resultaret alia atque alia specie actio, semper agente particulari determinante concursum Dei universalem particulari sua virtute et influxu ad actionem et effectum sibi proprium et peculiarem ».

sententiis, ut ne eam quidem explicationem, quam Doctor Eximius Suarez constantissime tradidit, indifferentiae concursus Dei oblati et modificationis ejus per causas secundas et quam in superioribus amplexi sumus, attulerit. Omnia enim in hac explicatione incommoda evitantur, et quaecunque dicuntur, solidis fundamentis nituntur et admodum luculenta sunt.

Ergo concedimus R. Patri Dummermuth non fuisse omnia, quaecunque P. Molina in lucem edidit, omni ex parte perfecta. Quis autem Molinista hoc unquam dixit ? Satis magna illius laus fuit, quod systematis sibi constantis cohaerentisque omnia principia indicavit, omissa a superioribus Theologis membra supplevit, omnia satis apte inter se copulavit et coagmentavit ; haec eadem expolire, perficere posteriorum fuit Theologorum. Aequitati autem fuerat consonum, non in uno Molina haerere.

Porro hic alterum etiam in memoriam revocamus. Nihil jure posse a nobis hoc loco exigi, quam ut doctrinam talem de concursu proponamus, qua 1° Dei physicus et immediatus influxus in omnes actiones et in omnes effectus secundarum causarum, omissis exclusisque praemotionibus et praedeterminationibus physicis recentiorum Thomistarum, integer servetur ; et qua 2° omnia saltem substantialia et primaria S. Thomae doctrinae capita circa modum, quo Deus secundis causis, imprimis liberis, cooperatione sua adsit, explicari possint. Nisi tamen fallimur, non hoc solum, sed amplius aliquid praestabimus : plenam perfectamque systematis Molinistici cum doctrina S. Thomae convenientiam ostendemus. Placita autem Suarezii talia esse, ut et influxus Dei physicus et immediatus in omnes actiones et effectus causarum secundarum integer servetur, neque simul ad physicas praemotiones et praedeterminationes Thomistarum, quae libertatem actionum perimunt, recurri oporteat, putamus ex superioribus intelligi.

Sexto loco R. P. adscribit Molinistis hanc doctrinam : concursum Dei non esse causam efficacem actionum liberi arbitrii. Innititur autem auctoritati Molinae II. disp. 29 § § « Secundo » et « Postremo », qui II. haec habet : « Praesente concursu generali Dei potest liberum arbitrium indifferenter velle aut nolle, et velle indifferenter hoc aut illud, ac proinde concursus generalis Dei non est causa efficax hujus aut illius effectus singularis, imo neque quod sit potius volitio quam nolitio, idque non solum sine concursu liberi arbitrii, sed etiam libero arbitrio simul concurrente atque influente ad actionem, quippe cum quod producatur volitio potius quam nolitio, et hujus potius objecti quam alterius, a concursu liberi arbitrii dependet, et non a concursu Dei generali cooperante una cum libero arbitrio... concursus generalis Dei non est causa efficax operum liberi arbitrii, sed a libero arbitrio pendet, tum ut sint, tum etiam ut non obstante influxu actuali Dei sint potius hujus speciei quam illius, atque hujus objecti potius quam alterius ».

Quod ad assertionem R. Patris attinet, ea ambigua et aequivoca est.

Nam, uti supra vidimus, efficax dicitur aliquid multipliciter. Si ergo R. P. hoc affirmaret reapse, secundum Molinistas concursum Dei actiones liberi arbitrii physice non efficere formali efficientia, et decretum concurrendi Dei non esse veram causam physicam et efficientem harum actionum, aperte falsum affirmaret. Si vero affirmat, secundum Molinistas concursum Dei non physice nos ad eliciendas actiones liberi arbitrii praedeterminare neque quoad exercitium actus neque quoad speciem harum actionum, verum dicit; hoc enim ne fiat, ad libertatem actionum nostrarum necessarium est.

Jam vero ipse Molina 1° profecto non negat concursum Dei physice influere in actiones liberi arbitrii, ipsumque vere et physice eas operari formali efficientia; nec proinde negat, hoc sensu concursum Dei vere et physice efficacem esse. Negat vero 2° ullo modo concursui Dei adscribi hoc posse, ut *determinata* actio a libero arbitrio reapse procedat. Et hoc omnino verum dicit, si tamen ita intelligitur, ut tandem a decisione liberi arbitrii unice dependeat, num et quaenam actio a libero arbitrio sit de facto processura. Nam concursus libero arbitrio ex communi lege Dei semper oblatus respicit actiones *omnis speciei* etc., quarum liberum arbitrium in singulis temporis differentiis capax est, ad nullam vero harum liberum arbritrium physice determinat. Sin vero hoc alterum ita intelligatur, ut concursus oblatus Dei decretumque divinum concurrendi cum creaturis agentibus non respiciat ullas actiones creaturae in specie et in individuo determinatas, sed sit potius decretum *objective ex omni parte indeterminatum,* ut omnis ad certam speciem actionum etc. objectiva determinatio *primo* et simpliciter ab uno libero arbitrio hanc determinatam actionem eligente ad concursum addatur atque accedat: concedendum est sane, a Molina suam privatam de indifferentia concursus opinionem, communem omnium Molinistarum sententiam non tradi; neque hujusmodi, quae ex principiis systematis necessario deducatur. Haec de hoc sexto puncto.

« Haec, inquit concludens R. P., est sententia Theologorum Societatis, qui solum concursum simultaneum admittunt ». Multa addenda, multa corrigenda, multa in sententia Theologorum Societatis Jesu exponenda accuratius et definienda fuisse, ex praecedentibus colligitur; nec ea, quae unus ex Molinistis dixit, statim omnibus adscribenda erant, nec quae Molina minus polita edidit, erant sic urgenda, quasi ceteri Societatis Theologi nihil perfecerint, nihil diligentius elaboraverint. Etenim non mirandum, uti diximus, non omnia in systemate Molinae statim a principio perfecta fuisse, cui etsi praeeuntes hac via habuit quosdam ex Societate viros praeclaros imo doctrinae suae prima et praecipua omnia lineamenta ab antiquissimis temporibus gravissimisque aetatis mediae Theologis quasi haereditate acceperat, ut inter alios Suarez et Ruiz fuse ostenderunt, nos paucis supra ostendimus ( uberiora sequentur ) : tamen ipse primus disjectos lapides collegit, quae ad eorum coagmentationem deerant, ipse primus supplevit; ingentem doctrinae fabricam contra illius temporis novos haereticos, sem-

per veterum vestigia accurate premens, ipse primus exstruxit (1). Sint igitur apud ipsum quaedam minus accurate dicta, sint quidam naevi: sed si aequi judices esse volumus, systema totum universe considerabimus, et admiratione tanti ingenii abripiemur. Ea vero, quae inaccurate magis quam falso dixit, non qualia apud ipsum imperfecta exstant, sed qualia aut jam eodem tempore, imo ante ipsum, aut brevi post praesertim a Suaresio, deinde etiam a Vasquez, Lessio, Ruiz, Ripalda perpolita et distincte enuntiata sunt, accipiamus. Hoc enim et aequitati consonum est et ad progressum Theologiae est necessarium; qui, si semper ab initio in omni re perfecta postulantur, quae vero postea diligentius, subtilius, accuratius in aliqua quaestione elaborantur, negliguntur, nullus esse potest. Debet hoc etiam sibi quisque, ne putet tum se demonstrasse, aliquam doctrinam falsam et inadaequatam esse, quando ejus imperfectam quandam formam quomodocunque tandem impugnaverit vel etiam expugnaverit.

Cetera, quae R. P. ad illustrandum statum quaestionis adnotat, supra omnia sunt tacta et disputata. Quare de iis plura addere supervacaneum est. Unum tamen mittere minime possum. R. Pater contendit pag. 22, punctum controversiae hac re contineri: « Nimirum, *unde in genere causae efficientis motus et actus voluntatis liberae oriatur:* oriturne a Deo voluntatem praevia motione praedeterminante; an a *sola* voluntate creata, Deo per suum influxum concurrente? ».

Mira sane loquendi ratio! Quomodo enim motus et actus liber a *sola* oritur voluntate, si quidquid entitatis et realitatis physicae a voluntate creata, ut a causa secunda procedit, id omne et totum a Deo physico et immediato motu, essentialiter requisito, simul influente et concurrente ut a causa prima principalius et interius procedit? Hoc profecto saltem difficillime intelligitur.

Est etiam alterum aequalis momenti, quod in comprehensione controversiae, prouti a R. P. Dummermuth proponitur, displicet. Vult controversiam constitutam esse in genere causae *efficientis*; quaerit unde in hoc genere causae motus vel actus voluntatis liberae oriatur; quasi hoc non inter omnes constet, actionem et actum liberum a voluntate, ut a causa secunda, a Deo vero, ut a causa prima, physice et efficienter produci. *Controversia potius est haec: quomodo ex causa proxima creata actus liber procedat, num ut ex causa ad actum ponendum natura prius in se indifferente, an ut a causa divinitus jam ad certum et determinatum actum eliciendum physice praedeterminata.* Et hanc controversiam esse, ex iis, quae dicta sunt supra, evidenter constat. Quare hic id amplius demonstrare nihil attinet. Unum afferam Alvarez O. P., qui id affatim atque abunde confirmabit. Hic in fine disp. 21 ita scribit: « Consequenter explicandum est, *utrum Deus per hanc motionem praeviam*

(1) Ipse fatetur Molina, nihil a se plane novi praeter solum nomen scientiae mediae conditum esse, cetera se quoad substantiam a Patribus et Theologis accepisse, quod ita esse etiam ostendit. Cfr Concordia ed. Antwerp. 1595 disp. 53, p. 252 sq. Cfr etiam Fonseca Metaphys. l. 6, c. 2, q. 4, sect. 9.

*in causis secundis receptam, antecedenter ad earum operationem physice praedeterminet ipsas causas secundas, tam naturales, quam liberas ad actualiter operandum. Haec enim est potissima quaestio,* propter quam dissensio exorta est inter viros catholicos, quibusdam contendentibus, cum hac praedeterminatione non posse cohaerere usum liberum creatae voluntatis in actuali exercitio, aliis ex adverso reclamantibus, illam praeviam motionem, applicantem voluntatem ad alteram partem contradictionis aut contrarietatis, esse necessario constituendam, ut causa, quae de se est indifferens, exeat in actum determinatum, et per illam motionem nedum laedi, sed potius perfici creati arbitrii libertatem. Et quoniam duplex est praedeterminatio nostrae voluntatis : altera mere extrinseca per efficaciam divinae voluntatis et potentiae, cui nulla creatura potest resistere, altera intrinseca, quae fit per motionem praeviam in voluntate receptam, cujus virtus et efficacia ab efficacia divinae voluntatis dependet, de utraque suo ordine est disputandum ». Et deinde punctum controversiae accuratius determinans disp. 23. n. 1. haec ait : « Rejectis ergo vocabulis, quae obscuritatem et aequivocationem ingenerant et sententiam Thomistarum duram reddere videntur ac difficilem, sensus planus hujus disputationis est : Utrum Deus, non solum decreto absoluto et efficaci suae voluntatis, sed etiam praevia motione actuali, causis secundis praesertim liberis inhaerente, illas applicet ad operandum, ac vere efficienter et efficaciter faciat easdem causas concurrere et operari talem actum in particulari : quod est eas physice determinare seu praedeterminare ad operandum, non quidem prioritate temporis, sed prioritate rationis dumtaxat et causalitatis, ita videlicet, *ut Deus sit, qui prius vere efficaciter incipiat operari, quam nos illi cooperemur : et consequenter causalis ista vera sit : quia Deus operatur* [ *i. e. praeoperatur* ], *liberum nostrum arbitrium cooperatur illi* ». Atque de his satis est dictum.

Priusquam autem porro indagemus, quid S. Thomas in hac controversia revera senserit, brevem conspectum totius systematis Moliniani hic oculis legentium subjicimus.

---

## § 4

### Brevis totius systematis Moliniani de libertate ac gratia conspectus.

In superioribus disputationibus omnia primaria capita systematis Moliniani tacta vel etiam excussa sunt. Sed haec in uno ponere conspectu operae pretium puto. Sunt autem numero omnino septem.

*Primo capite* exponitur, quid *ad rationem veræ libertatis in agendo requiratur*. — Ad veram agendi libertatem non sufficit, ut potentia proxime agens, voluntas, secundum se libera sit i. e. ut secundum se, nude spectata, capax sit vel actionis vel non actionis, vel hujus vel illius actionis sua sponte eliciendae, sed prorsus requiritur, ut, quando agat, usus hujus potentiae liber actualiter habeatur; vel ita dicamus: ut actio aliqua vere libera sit, debet procedere a potentia voluntatis ut a principio activo et spontaneo, prius quidem quam agat, ad agendum adaequate et perfecte idoneo, nihilominus tamen simul ad agendum vel non agendum, ad hoc vel illud agendum simpliciter indifferenti. — Debet autem ipsum agens liberum hanc indifferentiam determinatione sui tollere.

Elicere autem voluntas in actu primo intrinsecus et extrinsecus, complete constituta determinatum actum potest, licet ad agendum sit simpliciter indifferens, propter duo: 1° quia objectum voluntatis amplissimum est, quidquid aliquam boni rationem habet complectens; quare singulis bonis particularibus ipsa simul affinis et major est; 2° quia maxima in agendo spontaneitate atque vitali energia utitur. — Ex his efficitur, praedeterminationes physicas ad actus determinatos, utpote quae a voluntate natura prius, quam ipsa agat, liberum potentiae usum actualem tollant, nec proinde veram agendi libertatem relinquant, ab omnibus liberis actionibus arcendas esse, imo universe omnem prorsus proprie dictam determinationem ad agendum, quae ab extrinseca causa proveniat, a libere operante esse removendam.

*Alterum caput* respicit Deum, ut est *primus motor et universalis omnium agentium* secundorum. — Ex hoc ipso munere motoris primi et universalis Deo una competit cooperatio perfecte simultanea, immediata, physica in singulis et omnibus eorum actionibus et effectibus; nullo vero modo ei competit vi hujus ipsius muneris, ut creaturas ad singulas operationes physice praemoveat, ac multo minus, ut eas physice ad singulas operationes praedeterminet. — Debet autem Deus, ut motor primus et universalis, quando de liberis creaturis movendis agitur, ut ipsae in agendo vere liberae sint, pro singulis occasionibus offerre concursum talem, qui sit aliquo modo indifferens atque etiam pro occasione multiplex.

*Tertio capite* continetur id, quod secundum Molinam ad veram *supernaturalitatem actionis* requiritur. — Nulla potentia creata et naturalis potest ullum opus supernaturale ponere actionemque supernaturalem elicere, nisi divina gratia in tota actione omnique efficientia sua physice elevetur, roboretur, sustentetur. Hoc verum est etiam in actibus supernaturalibus indeliberatis. Ut igitur opus supernaturale et liberum locum habere possit, debet intellectus et voluntas *natura saltem prius* quam libere operemur, gratia praevenienti physice et moraliter inspirari, elevari, confirmari. Et quamquam hoc máxime verum est, quamdiu habitibus supernaturalibus caremus, id tamen etiam verum manet, quando his jam sumus instructi, quoniam ne sic quidem mere naturalis excitatio facultatumper

bonam cogitationem et indeliberatam affectionem naturales ullo modo sufficit ad supernaturales habitus ita determinandos, ut in actum supernaturalem liberum et deliberatum, si futurus est, id quod ex nostra libera voluntate gratia praevenienti excitata et mota dependet, reapse influant (1). — Quoniam autem tota haec elevatio et corroboratio potentiarum per gratiam praevenientem et habitus supernaturales ad complendum tantum actum primum actus supernaturalis deliberati et liberi pertinet, efficitur : immediatam quoque cooperationem Dei (concursum supernaturalem) in actibus supernaturalibus liberis aeque requiri atque in omni alia actione et alio actu creato.

*Quarto capite* statuitur, in Deo esse illam *scientiam,* quam Molina primus proprio nomine *mediam* appellavit. — Vindicanda est Deo scientia conditionate futurorum seu scientia media i. e. ea, qua Deus cum certitudine metaphysica et absoluta cognoscat ac praevideat, quid quaeque natura creata libera reapse et determinate actura sit, si in certis conditionibus ad agendum quidem adaequate sufficientibus nec tamen simpliciter determinantibus constituatur. — Haec porro scientia ideo et est in Deo et esse potest, quod primo quidem virtus intelligendi Dei simpliciter infinita est essentiaque divina natura sua est repraesentativa omnis veri causaque omnis entis; deinde vero quod termini hujus cognitionis reapse veram quandam rationem entis ab aeterno habent suntque propterea ab aeterno absolute cognoscibiles seu ontologice veri.

*Quintum caput* cum ceterum *usum scientiae mediae* in systemate Molinae docet tum eum, quem *in explicanda efficacia gratiae habet.* — Etenim propter scientiam mediam, quam Deus habet, et quae scientiam purae intelligentiae in Deo et supponit et complet, adaequate potens est Deus, ut de omnibus rebus, etiam liberis, cum infallibili certitudine et effectu disponat; deinde vero potest ob eandem scientiam mediam nominatim ab omni libera creatura, quemcunque voluit actum, et naturalem et supernaturalem, liberum et deliberatum, impetrare, etsi, ut impetret, subsidia dumtaxat de se indifferentia adhibeat. Tale autem subsidium vel auxilium Dei de se indifferens, sed certe efficax, si internum est et supernaturale, a Molinistis dicitur gratia Dei efficax sensu proprio et specifico. Itaque efficax gratia secundum eosdem non est simpliciter efficax adaequate suapte vi et natura, sed ejus efficacia partim atque formaliter aliunde i. e. a scientia Dei media, repetitur.

*Sexto capite* ostenditur, quomodo *aeterna praedestinatio* vel ad gratiam solam, vel ad gratiam et gloriam simul, nullam radicem habeat secundum Molinam in homine, sed apud unum Deum resideat. Nam omne opus salutare et liberum singulatim et tandem finalis etiam in bono perseverantia ipsaque consecutio salutis aeternae in ordine quidem exsecutionis proximam rationem habet secundum Molinam in homine 1° quidem gratiae

(1) Optime hoc explicat Palmieri « De Gratia Actuali » thes., 28.

libere cooperante, cum vere posset non cooperari; 2° in bene coeptis cum adjumentis gratiae libere perseverante et finaliter coronam gloriae pro mercede virtutis merente: radicaliter tamen et primitus utrumque, et cooperatio hominis cum gratia et finalis perseverantia et ipsius gloriae consecutio, totam suam exsistendi rationem et causam habet apud Deum. Hic enim 1° homini adhuc supernaturale nihil operanti gratiam, in specie vero gratiam efficacem, ab aeterno sine ullo ejus merito praeparavit; hic 2° homini priore jam gratia bene uso, nihil tamen propterea novam gratiam efficacem, saltem proprie, merenti, denuo atque identidem eam praeparavit, donec tandem homo finaliter perseverat et salvus evadit. — Quoties autem Deus homini efficacem gratiam ad opus salutare quodpiam praeparat et confert, eo consilio eam praeparat atque confert, ut homo illud opus reapse operetur; et quando homini praeparat atque confert gratiam vel gratias finaliter efficaces, eo illam vel illas consilio atque intentione praeparat et confert, ut homo earum usu effectivo reapse finaliter perseveret et reapse coronam gloriae accipiat. — Unde omnis gratia efficax est speciale beneficium Dei, sed imprimis id in gratia finaliter efficaci inque dono perseverantiae valet. — Gloria vero aeterna merces illa quidem est, quam Deus libere et misericorditer omni homini sub conditione bonorum operum et finalis perseverantiae promisit, et quam homini reapse finaliter perseveranti justus judex ob merita gratia comparata reapse confert, postquam tamen ipse primus et bona opera et finalem perseverantiam et ipsam cœlestem gloriam homini sine ejus praecedentibus meritis in gratia et cum gratia ab aeterno praeparavit et praedestinavit.

*Septimum caput* componit aeternum interitum, reprobationem multorum cum seria voluntate Dei salvandi omnes. — Quicunque in praesenti providentia male operantur, et similiter quicunque in aeternum pereunt et reprobantur, iduni debent secundum Molinam adscribere voluntati suae. Nam his quoque ex voluntate salvifica circa omnes Deus ea subsidia et auxilia gratiae praeparavit et providit, quibuscum potuerunt vere atque adaequate et bene agere, si volebant, et in bono perseverare atque ita salvi fieri. Paravit enim Deus auxilia iis vere et adaequate, etsi (finaliter quidem) mere sufficientia idque ex antecedenti seria intentione, ut iis bene uterentur. Quare si his gratiis bene usi (finaliter saltem) non sunt atque ita reprobi facti sunt et reprobantur, id suae culpae debent, non Deo adscribere.

# SECTIO TERTIA

## SANCTUS THOMAS PRAEDETERMINATIONEM PHYSICAM LIBERAE VOLUNTATIS PER DEUM DIRECTE ET MANIFESTO NEGAT.

### § 1

### Doctrina, quam S. Thomas de voluntatis determinatione tradit, et modus, quo ab adversariis explicatur generatim, exponuntur.

#### ART. I

#### AFFERUNTUR DIRECTA S. THOMAE CONTRA PHYSICAM PRAEDETERMINATIONEM TESTIMONIA.

P. Suarez. «De Vera Intelligentia auxilii efficacis » Cap. 45. n. 8 verissime scribit : « Ajunt Patres Societatis Jesu, posita determinatione in actu primo tolli determinationem in actu secundo. Nam licet causa determinata in actu primo vere efficiat actum secundum, tamen ille actus secundus non potest habere rationem [novae et liberae] determinationis, quia non aufert indifferentiam, sed exercet, ut sic dicam, potentiam jam determinatam... Sic est cum voluntate amante Deum in patria, non enim se determinat, sed jam determinata ab infinita Dei bonitate clare visa et intrinseca propensione caritatis exercet illam ».

Profecto fieri sine repugnantia non posse videtur, ut aliquid, quod jam determinatum est i. e. quod jam est intrinsecus quasi adstrictum et adactum ad id, ad quod dicitur esse determinatum, nihilominus amplius seipsum ad illud determinet i. e. restringat atque adigat. Actum enim ageret.

Quae causa est, cur S. Thomas plurimis locis (1), doceat, hominem ad bonum in communi se non determinare, quippe qui jam a natura auctoreque naturae sit ad id determinatus. Ad bona vero *particularia* hominem se determinare posse, quia a natura ad ea prosequenda determinatus non sit. Revera, quomodo non repugnat, aliquid consequi sua demum actione certam et definitam directionem in agendo, certumque et definitum actionis terminum, si utrumque aliunde jam *ante ipsam illam actionem physice praedefinitum et praedeterminatum sit* ? Hoc aenigmati difficillimo simillimum est.

Evidentior etiam contradictio habetur, si cum *praevia* ad actionem ali-

(1) 1, q. 2, 10, a. 4; ibid. q. 9, a. 6 ad 3; ibid. q. 9, a. 4; ibid. q. 13, a. 2; de Malo q. 3, a. 3; ibid. q. 6. art. unic.; de Verit. q. 22, a. 6.

quam determinatione vera atque perfecta, cujus ipsum agens auctor non est (aliter non esset simpliciter praevia actioni ejus) conjungitur hujus actionis libertas. Quae enim magis inter se opponuntur quam duo haec: praevie adactum et adstrictum esse ad certam et definitam actionem aliunde, et simul liberum praevie esse i. e. non adstrictum neque adactum esse ad illam actionem exercendam? Aut quid tandem libertas in agendo est, si non ab hac antecedenti et imposita constrictione et adactione ad agendum vacuitas est?

Haec intelligens S. Thomas humanam voluntatem, ut libera esset, variis modis ab illa restrictione et adactione exemit, quam ei afferat praevia aliunde determinatio ad unum particulare agendum ex parte potentiae seu in ordine ad exercitium actus adhibita.

Itaque sumens, humanam voluntatem naturaliter determinatam esse ad bonum et beatitudinem in communi (1), primo S. Thomas non vult, eam, ut agere aliquid *reapse et complete* possit, alia ulla item praevia determinatione indigere praeter illam, quae est ex parte objecti et cognitionis. « Voluntas, inquit, cum sit ad utrumlibet, *per aliquid determinatur ad unum scl. per consilium rationis, nec oportet hoc esse per aliquod agens extrinsecum* » (2).

Haec verba S. Doctoris juncta ceteris evidenter tantum valent, ac si dicat: quae voluntati praeter determinationem naturalem ad bonum in communi amplius necessaria est determinatio, ut *reapse* et *complete* agere possit, eam sibi homo dare ipse adaequate potest per consilium rationis, quatenus eo sibi repraesentare et proponere sufficienter potest varia bona particularia. Hac enim propositione facta nulla alia indiget homo ulteriore determinatione praevia ab aliquo agente, ut in actum libere et

(1) Si quis putaret, hac determinatione ad bonum seu ad beatitudinem in communi quoddam impedimentum afferri actionum nostrarum libertati seu determinationibus liberis voluntatis nostrae in particulari, is vehementer erraret. Nam, quemadmodum recte animadvertit S. Doctor, haec naturalis ad bonum seu ad beatitudinem in communi determinatio est prorsus necessaria, fundamentum atque principium, ut omnino possit libera aliqua in bonum quoddam particulare inclinatio et determinatio a voluntate elici. Cfr 1, q. 82, a. 1. in fine; De Verit, q. 22, a. 5 et 6. Hac enim ipsa quaedam ad *omne* bonum singulare in voluntate *affinitas* enascitur, ita tamen, ut ad nullum eorum oriatur necessitas sed ut voluntas singulis bonis particularibus major et superior semper maneat. Habet se igitur haec ad bonum vel beatitudinem in communi voluntatis determinatio ad appetitiones singulorum bonorum quodammodo similiter atque principia per se nota et generalia se habent ad conclusiones magis particulares. Nititur enim totus motus atque discursus, qui est in scientia, principiis his universalibus; nititur omnis boni particularis appetitio illa immobili et naturali inclinatione ad bonum seu ad beatitudinem in communi. Porro in omni prorsus volitione boni particularis illa inclinatio includitur, quemadmodum principium in omni conclusione suo modo continetur atque suam in ea vim exerit. Differentia nihilominus est maxima: nam conclusiones necessario et manifesto nexu colligantur suis principiis necesse est, aliter non potest intellectus *vi propria* iis assentiri. « Cum vero voluntas se *consilio moveat*, *consilium* sit autem inquisitio quaedam *non demonstrativa*, sed ad opposita viam habens, *non ex necessitate voluntas se ipsam movet* », i. e. voluntas, quae est ejus specialis indoles, potest propria vi et virtute etiam tali bono adhaerere, quod aut cum beatitudine necessario nexum non est, aut saltem non clare cernitur ita esse nexum; contra intellectus, nisi conclusionis cum principiis necessarium nexum clare cernat, ei ex se solo adhaerere non potest. Cfr De Malo q. 6, art. unic. § « Si ergo » Cfr ibid. § « Ad evidentiam »; praeterea 1. 2, q. 9, a. 3 et a. 4; C^a G. l. 3 c. 89 in fine; de Verit. q. 24, a. 14; 1, q. 82. a. 1. Alia etiam discrimina adnotari possunt.

(2) De Malo q. 3, a. 3 ad 5. Cfr 1. 2, q. 9, a. 3 ad 3.

adaequate possit prodire. Exclusa ergo est a S. Doctore his verbis praedeterminatio hominis physica per Deum ex parte potentiae voluntatis, quam affirmant et adstruunt Neo-Thomistae. Nam praeter determinationem naturalem humanae voluntatis, quae est ad bonum seu beatitudinem in communi, quam supponit S. Doctor, et quam omnes admittunt, vult solum necessariam esse ad agendum aliam quasi praedeterminationem ex parte objecti, et cognitionis. Neque hanc quisquam impugnat, cum evidens sit, voluntatem neque necessario neque libere tendere posse in aliquid, quod ibi mente non fuerit sufficienter exhibitum. Porro haec ex parte objecti et cognitionis praedeterminatio longissimo intervallo ab ea praedeterminasione physica distat, quae per agens extrinsecum, scl. Deum, fieri dicitur, et qua secundum Neo-Thomistas in singulis actibus nostris, etiam liberis, ex parte potentiae voluntatis ut sic opus est. Nam haec consilio rationis facta praedeterminatio tantummodo *monstrat determinatum objectum,* quod libere prosequi possumus, quod nulla vi physica influit in potentiam voluntatis, nec eam indeclinabiliter, insuperabiliter, in illud objectum deliberate amplectendum pertrahit. Cfr 1, 2, q. 9, a. 3 ad 3. Ergo S. Thomas necessariam voluntatis ad agendum praedeterminationem judicio rationis *absolvens*, praedeterminationem physicam et proprie dictam voluntatis exclusit. — Hanc interpretationem textus rectam esse, evidens est. Legatur dumtaxat objectio, ad quam illa superiore sententia S. Doctor respondet. Opposuerat sibi quinto loco hoc : « Praeterea : *Omne, quod se habet ad utrumlibet, indiget aliquo determinante ad hoc quod exeat in actum.* Sed liberum arbitrium hominis ad utrumlibet se habet, scilicet ad bonum et malum. *Ergo ad hoc quod exeat in actum peccati, indiget quod ab aliquo determinetur ad malum.* Maxime autem hoc videtur fieri a diabolo, cujus voluntas est determinata ad malum. Ergo videtur quod diabolus sit (proprie) causa peccati ». — S. Thomas diabolum nullatenus monstrasset superiore responsione non esse determinatione sua proprie causam actus peccati, (de hoc agitur in objectione) si praeter praedeterminationem voluntatis moralem ex parte objecti necessariam existimasset praedeterminationem aliquam physicam ex parte potentiae voluntatis ad exercitium actus, nec putasset illam sufficere, nisi prius etiam de *hac* praedeterminatione dixisset. Nam etsi homo ipse dare sibi potest praedeterminationem necessariam ex parte objecti mediante consilio rationis et ab hac excluditur diabolus, tamen ab ea praedeterminatione, quae una maxime et proprie causat actum secundum Thomistas, diabolum non exclusisset. Haec sane evidentia.

Itaque qui ne mentionem quidem facit praedeterminationis physicae voluntatis in loco, ubi agitur de diabolo a propria causalitate actus peccati *via determinationis* excludendo, is aperte monstravit, se eam inter *ea, quae* requirantur ad actionem perficiendam, nequaquam numerare. Cfr C$^{a}$. Gent. l. 1, c. 82, § « Quamvis ».

*Secundo affirmat Aquinas, flexibilitatem voluntatis humanae ad diversos actus et proinde ad libertatem in agendo, quae sine hujusmodi flexibili-*

*tate ad diversos actus ne cogitari quidem potest, manere ob hoc, quod vel le non sit animae determinatum aliunde, imo sit antecedenter ad ipsum actum volitionis liberae plane indeterminatum.* « Dicendum quod esse animae non est determinatum a seipsa, sed ab alio (scl. a Deo), *sed ipsa sibi determinat suum velle. Et ideo*, quamvis esse sit immutabile, tamen *velle indeterminatum est ac per hoc in diversa flexibile* » (1). Neo-Thomistae velle dicunt a Deo praedeterminari.

*Tertio negat* S. Doctor *omnem ad unum determinationem in actibus particularibus voluntatis, quae aliunde sit quam ab ipsa voluntate:* « Ipsa enim potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura, *sed quod determinate exeat in hunc actum vel in illum, non est ei ab alio determinante* » — ne a Deo quidem, ut ex contextu patet — « *sed ab ipsa voluntate* » (2).

Sed hunc locum, quoniam in controversia, quam agimus, adeo luculentus exsistit, integrum oportet exscribere : « Respondeo dicendum, quod nihil imputatur alicui in peccatum et culpam nisi illud, cujus causa ipse est: quia non laudamur neque vituperamur nisi ex actibus nostris. Ea vero, quorum causa non sumus, per actum nostrum non sunt. Unde cum voluntas dupliciter dicatur, scl. voluntas potentiae (*al.* voluntas potentia) et voluntas actus; voluntas potentiae cum a nobis non sit, sed a Deo, in nobis non potest esse peccatum, sed actus ejus, qui a nobis est. Sed sciendum, quod actus est a nobis dupliciter. *Uno modo tam secundum substantiam actus quam secundum determinationem agentis ad actum et hoc proprie in potestate agentis dicitur*, ut est in voluntate: ipsa enim potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura ; *sed quod determinate exeat in hunc actum vel in illum non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate.* Sed in naturalibus actus progreditur ab agente ; sed tamen determinatio ad hunc actum non est ab agente, sed ab eo qui agenti talem naturam dedit, per quam ad hunc actum determinatum est: et ideo propriissime actus voluntatis a voluntate esse dicitur » (3). Neo-Thomistae dicunt a Deo praedeterminari voluntatem, ut indeclinabiliter exeat in actum.

Quarto *docet S. Thomas, determinatione divinitus accepta tolli a voluntate potentiam ad oppositum* ejus, ad quod ita determinata sit. Porro : *non posse velle antecedenter ad actum volitionis* oppositum ejus, quod volumus, est illud ex necessitate i. e. non libere velle (Cfr D. Th. 1. 2, q. 2, a. 2). « Potentia rationalis se habet ad opposita in his, quae ei subsunt, et *haec* [*non alia ulla*] *sunt illa, quae per ipsam determinantur ; non autem potest in opposita illorum, quae sunt ei ab alio determinata* ; et *ideo voluntas non potest in oppositum ejus, ad quod ex divina impressione determinatur,* scl. in oppositum finis ultimi ; potest autem in oppositum eorum, quae ipsa sibi

(1) De verit. q. 22, a. 6, ad 1.

(2) 2, dist. 39, q. 1, a 1; cfr. ibid. a. 2.

(3) Cfr ad haec Platel, Synopsis, Pars 1, n. 201 et 202 ; Schneemann, p. 66 sq.; et ipsi addemus infra de hoc loco plura.

determinat, sicut sunt ea, quae ordinantur in finem » (1).

Insuper non verbis solum aequivalentibus tradit, determinatione ad actum aliunde illata tolli a voluntate libertatem liberumque arbitrium, sed verbis etiam planis ac propriis.

Nam *quinto docet* « *liberum arbitrium in Deo salvari* quantum ad hoc, *quod determinatio sui actus non est ab alio, sed a seipso* » (2). Porro de homine ait : « Non esset homo liberi arbitrii, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret » (3).

Imo *sexto corrumperet Deus naturam rerum, si voluntatem ex necessitate ad unum determinaret.* « Ad providentiam divinam non pertinet naturam rerum corrumpere sed servare... Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa : sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat » (4). De quo loco infra plura. Alia in eandem. sententiam a D. Thoma dicta vide apud Schneemann pag. 69. —

Haec momenta directa ex doctrina S. Doctoris pro nostra sententia attulisse modo sufficiat. Exstant tamen alia etiam multa directa, eaque plane evidentia testimonia apud eundem, quae nobis favent. Ex quibus principaliora obiter saltem hic indicabo, ut lector, quae nobis in operibus D. Doctoris praesto sint praecipua arma, ad nostram evincendam sententiam ab initio jam ante oculos habeat. Infra eos locos copiose tractabimus.

Hujusmodi igitur ea sunt, quae S. Doctor( de Ver. q. 22, a. 9) docet *circa immutationem perfectam voluntatis, quando per Deum ipsum fit.* Tradit enim ibi evidenter, si Deus ita physice efficienter in aliquam voluntatem influat, ut ipse per sese eam ad unum simpliciter determinet, actum esse de libertate. Jam vero praedeterminatio physica manifesto hujusmodi immutatio perfecta est.

Item quae in 1, q. 103, a. 8 exstant, huc pertinent. Ostendit ibi S. Doctor, qui fiat, ut *nequeat homo declinare a fine sibi in generali divinitus praestituto; ab eo vero fine, quem Deus ipsi in particulari praestituerit declinare queat.* Ratio enim horum est, quoniam homo ad finem illum generalem *est physice praedeterminatus* a Deo ; ad finem vero particularem *physice praedeterminatus a Deo non est.* Unde ab illo declinare nullo pacto potest nec in eo prosequendo liber est ; ab hoc vero potest declinare, et circa hujusmodi finem prosequendum aut non prosequendum versatur libertas.

Nec minus directe nobis favent ea, quae S. Thomas tradidit l. 2. Physicor. c. 15 *de necessitate absoluta in omni re usuveniente, quae ex causis adaequate prioribus simpliciter aptatur atque dependet.* Hujusmodi autem ex causis adaequate prioribus dependentia in omnibus simpliciter actibus usuvenit, ubi primum praedeterminationem physicam ad unum

(1) 4, dist. 49, q. 1, a 3 qstel. 2 ad 1.
(2) 2, dist. 25, q. 1, a 1 ad 1.
(3) 2, dist. 28, q. 1, a. 1.
(4) 1. 2, q. 10, a. 4.

particulare in omnibus actibus voluntatis locum habere statueris.

Non minoris efficaciae, ut opinamur, contra Thomistas est illud caput doctrinae, quod S. Doctor tradidit in Quodlib. 12, a. 3 ad 2 et alibi *de formis realibus* in subjecto receptis, quae omnes hujusmodi sint, ut ex propria vi et essentia veram subjecto ad agendum necessitatem imponant. Porro negari non potest, praedeterminationem physicam hujusmodi realem, non mere praedicatam, formam in subjecto esse.

Denique ipsis verbis Aquinas docet, praedeterminationem mentis ad unum, si per Deum fieret, fore impositionem necessitatis. Cfr 1, q. 23 a. 1 ad 1.

---

## ART. II

### QUID CONTRA ALLATA TESTIMONIA R. P. DUMMERMUTH OPPONAT GENERATIM.

Omnia illa, quae hucusque attulimus pro nobis testimonia, R. P. Dummermuth inefficacia esse reputat. Quod ut ostendat, duo potissimum adhibet. Primum quidem persuasum habet, secundum doctrinam D. Thomae *libertatem* creatam *solum excludere determinationem naturalem* ad unum, non aliam ad unum determinationem, etsi plane aliunde voluntati adveniat. Pro qua re pag. 341 laudat quoddam dictum S. Thomae C^a G. l. 2, c. 48 in fine. «Quaecumque igitur habent judicium de agendis non determinatum ad unum *a natura*, necesse est liberi arbitrii esse. Hujusmodi autem sunt omnia intellectualia; intellectus enim apprehendit non solum hoc vel illud bonum, sed ipsum bonum commune: unde cum intellectus per formam apprehensam moveat voluntatem, in omnibus autem movens et motum oporteat esse proportionata: voluntas substantiae intellectualis *non erit determinata a natura* nisi ad bonum commune. Quidquid igitur offertur sibi sub ratione boni, poterit voluntas inclinari in illud, *nulla determinatione naturali* in contrarium prohibente». Hic integer locus est, quem etiam R. P. partim exscripsit. Distinxi omnia verba, quaecunque ipse R. Pater distinxit.

Quid igitur ? Sequiturne ex hoc loco, S. Thomam hujus sententiae fuisse, unam *naturalem* determinationem ad unum particulare obstare libertati? Primo non facile intelligitur, cur sola naturalis determinatio ad unum libertati obstet, quae vero adventitia sit aliunde determinatio, non obstet, si ceteroquin altera haec eodem modo eademque inevitabili et insuperabili vi ad unum voluntatem adigat, sicut illa, quae naturalis est.

Et revera haec ipsa diserte a D. Thoma doctrina traditur q. 3 de Po-

tentia a. 7 ad 13: « Voluntas, inquit, dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem causae primae; sed *quia causa prima non ita agit in voluntate ut eandem de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam; et ideo* determinatio actus relinquitur in potestate rationis et voluntatis ». Si ergo Deus determinaret voluntatem sicut determinat naturam, quomodocunque id fieret, secundum S. Thomam libertas nulla remaneret.

Atque etiam clarius a. 8, q. 22 de Ver. « Sed haec quidem inclinatio *superaddita* (scl. per Deum voluntati) quandoque est perfecta, quandoque imperfecta. Quando quidem est perfecta, *facit necessariam inclinationem in id, ad quod determinat, sicut per naturam necessario inclinatur* ». Hoc loco sane duo clare traduntur: 1° etsi naturae superaddita sit aliqua inclinatio, nihilominus eam necessariam facere inclinationem, quatenus est determinans; 2° si aliqua similis atque ea, quae per naturam est, inclinatio et determinatio voluntati adderetur, ea esset, sicut illa, necessaria. Cfr etiam hujus qst. 22, a 9, et quae nos infra de eo disputabimus.

Et profecto etiam ipso loco laudato C^a Gent. positive unum S. Doctor docet, scilicet quid sit naturae rerum consentaneum et connaturaliter ad eam consequatur. Naturae rerum consentaneum et habituale est, ut judicio libero libertas in voluntate respondeat. Neque tamen docet, hanc connaturalem libertatem voluntatis in agendo nulla posse adventitia determinatione vel affectione voluntatis in particulari impediri. Ergo secundum hunc locum unum constat, judicium de agendis, a natura non determinatum ad unum, connaturali vi et necessitate inducere libertatem in potentia appetitiva. Quis huic doctrinae unquam repugnavit? Sed quid hoc affert, unde intelligamus, praedeterminatione physica non impediri libertatem in agendo?

Quid porro vetat, quominus dicamus, S. Doctorem propterea in illo textu C^a Gent. sollicitum esse de *una naturali* determinatione a voluntate excludenda, quoniam ea exclusa et sublata etiam alia omnis adventitia determinatio ad unum secundum ipsius doctrinam a voluntate exclusa est, praeter solam eam, quam *a seipsa media actione et determinatione libera tandem consequitur?* Etenim Deus, cum corruptor conditarum a se naturarum non sit, ut S. Thomas sequens Pseudo-Dionysium frequenter ait, in suo influxu eis exhibendo earum naturali indoli plane se accommodat, ita ut causis naturaliter ad unum determinatis adjutorium ad unum actum exhibeat, aliis adjutorio multiplici et indifferenti praesto sit. Cfr 1, 2, q. 10, a 4. Cfr etiam ea, quae supra in sectione 2^a pag. 120 sq a nobis disputata et dicta sunt. Hanc esse loci intelligentiam necessario admittendam jam evidens est; videbimus tamen id uberius etiam et luculentius, quando infra dissolvemus ea, quae R. Pater contra singula testimonia opponit.

*Alterum instrumentum*, quod R. Pater adhibet ad demoliendam totam fabricam argumentorum, quae hucusque ex operibus S. Thomae attuli-

mus, est *celebris illa distinctio inter necessitatem absolutam et necessitatem suppositionis et infallibilitatis*. Scilicet solam priorem, *nunquam* posteriorem cum libertate pugnare contendit. Atque in hac, prouti in antecedente distinctione, R. Pater recentiorum Thomistarum vestigia religiose premit. Ili enim item contendebant, *nullam prorsus* necessitatem *ex suppositione* libertati officere, dummodo determinatio naturalis non esset.

Quod reapse recte a se dictum esse, R. P. Dummermuth efficere vult loco quodam S. Thomae ex quaestionibus « De veritate », q. 22, a 6. Nam ibi S. Doctor haec ait: «Respondeo: Ex hoc aliquid dicitur esse necessarium, quia est *immutabiliter determinatum ad unum*. Unde cum voluntas indeterminate se habeat respectu multorum, non habet respectu omnium *necessitatem*, sed *respectu eorum tantum, ad quae naturali* inclinatione determinatur». « *Quibus patet, inquit R. Pater p. 342, necessitatem esse determinationem inclinationis naturalis* ».

Timeo, ne ea, quae R. P. Dummermuth ex hoc loco concludere vult, secundum praecepta Logicae minus vere et recte deducta sint. Faciamus igitur syllogismum: Quae proprie dicitur necessitas continetur immutabili ad unum determinatione. (Est ipsa definitio S. Thomae). Atqui ad ea sola, ad quae voluntas naturaliter determinatur, immutabiliter determinatur. Ergo voluntas *relate ad ea sola* patitur necessitatem. Haec unica legitima ex praemissis conclusio est, nec a Molinistis negatur.

Itaque S. Doctori propositum est explicare, *ad quid vel ad quae se protendat necessitas*, et quaenam sint ea, quae ab ea eximantur. Ad una igitur illa, ad quae naturaliter i. e. ipsa natura determinati sumus, in statu, in quo modo versamur (1), stricta necessitas secundum S. Thomam se porrigit. At numquid potest inde deduci: ergo etsi similis aliqua, quae tamen a natura non est, determinatio voluntatem aliunde afficeret, ea ex S. Thomae sententia nec fundat nec fundaret necessitatem, sed relinqueret libertatem? Plus concluditur quam licet; et de quaestione, numquid tollat libertatem an relinquat eam, judicatur non ex ipsa re, quae est principium determinans ejusque vi ad voluntatem determinandam, sed judicandi norma praecipua, imo unica, sumitur ex hoc, qua via illud principium voluntati adveniat. Namque si adveniret naturaliter, posset quidem libertatem perimere; sin vero non est naturale, nihil potest unquam libertati nocere. Jam vero haec sententia non tantum in se ipsa aperte falsa est et tanto doctore indigna, sed etiam ab ipso in eadem q. 22, de Ver. a. 8 in corpore expresse repudiatur: « Sicut enim, inquit Angelicus, *ex ipsa natura*,

(1) Cur hic addiderimus « in statu, in quo modo versamur », liquebit mox, quando ex sequenti articulo 8 locum quendam recitaverimus. Ex eo enim articulo patefiet, beatos in coelo gloriosae cuidam et felicissimae necessitati subesse etiam relate ad multa alia objecta prosequenda, ad quae prosequenda vi solius naturae nequaquam sumus determinati, sed ad quae capienda, habenda, amanda, prosequenda determinamur lumine gloriae, caritate perfecta et consummata etc. Hac doctrina nostram hujus loci intelligentiam admodum juvari, unusquisque facile videt. Nam inde manifeste constat, minore syllogismi merum enuntiari factum, non principium vel axioma vel *definitionem*, quae est suppositio R. Patris Dummermuth.

quam Deus voluntati dedit, *inclinatur voluntas ad aliquid volendum,* ut ex dictis patet: *ita ex aliquo superaddito*, sicut est gratia vel virtus, *inclinatur ulterius ad* volendum aliquid aliud, ad quod prius non erat determinata naturali inclinatione. Sed *haec* quidem *inclinatio superaddita*, quandoque est perfecta, quandoque imperfecta. *Quando quidem est perfecta, facit necessariam inclinationem in id, ad quod determinat, sicut per naturam de necessitate inclinatur voluntas ad appetendum finem;* sicut contingit in beatis, in quibus charitas perfecta inclinat sufficienter in bonum, non solum quantum ad finem ultimum, sed quantum ad ea, quae sunt ad finem».

Alteri, quam hic scriptura distinximus, sententiae soli hoc loco inhaeremus. Est autem: « Quando quidem est perfecta » etc. In ea enim diserte continetur id, quod statuimus : veram posse nobis inesse *necessitatem* ad aliquid perfecte appetendum, etsi ea determinatio, propter quam perfecto modo appetimus, a natura non sit.

Quinimo si in Thomistarum sententia fuisset S. Doctor, eam quam implicite hic (a. 6 ) subintellexit minorem, nunquam admisisset. Etenim in eorum sententia manifesto falsum est id, quod in illa minore implicita et subintellecta continetur: voluntatem nunc *ad sola ea*, ad quae naturaliter determinetur, immutabiliter determinari.

Quid enim est debetque esse hoc loco immutabiliter determinari? Est ita ad aliquid determinari, ut in alium actum, aliam directionem, aliumque terminum vel objectum jam se ipsum movere vel declinare agens non possit. Quod fieri omnino potest dupliciter, aut praevie ad actum, etsi naturae tantummodo, non temporis, antecessio habeatur, aut consequenter vel concomitanter ad actum atque ipso actu. Evidenter agitur apud S. Thomam de determinatione immutabili priore, non de posteriore. Nam hoc quidem universim verum est, et quasi innumerabiliter ab ipso S. Doctore repetitum: hoc, quod est, *quatenus jam est,* necesse est esse, vel, quod re idem est, aliter simul esse non potest. Jam vero si revera *praedeterminarentur physice* omnes actiones omnesque actus creatorum agentium, ut volunt Thomistae, humana etiam voluntas, quoties actura est et electura, esset antecedenter determinata in certum actum, in certam directionem, in certum et determinatum terminum, nec in alium declinare jam posset. Esset igitur voluntas, sicut omne creatum agens, ante omnem actum suum immutabiliter determinata ad illum actum unum, quem positura est; ac proinde ad omnes actus, quos unquam eliceret, esset immutabiliter determinata antecedenter. Unde omnis omnino actus, quem poneret, voluntati necessarius esset. Hoc autem plane contra doctrinam est, quam D. Thomas ipso loco laudato tradit.

Atque ejusmodi sunt ea, quae tanquam generalia a R. P. praemittuntur ad vim elevandam omnium argumentorum, quae hucusque ex scriptis S. Thomae contra praedeterminationes physicas proposuimus. Descendendum jam ad magis particularia, et quae singula singulis argumentis ab ipso ceterisque Thomistis opponantur, videndum.

## § 2

## Quae contra allata testimonia D. Thomae ab adversario opponantur singulatim.

### ART. I.

#### EXCEPTIONES A R. P. FACTAE CONTRA TESTIMONIUM EX 2 DIST. 25, Q. 1, A. 1, AD 1.

Primum argumentum, cujus vim elevare conatur R. P., est illud ex 2. Dist. 25, q. 1, a. 1 ad 1 petitum: « Liberum arbitrium in Deo salvatur, inquit S. Thomas, quantum ad hoc, quod determinatio sui actus non est sibi ab alio, sed a seipso, unde etiam verissime sui operis dominus est ».

Quid igitur ad hoc testimonium R. Pater respondet? Affert corpus articuli. Deinde hac ratione pag. 343 concludit: « Liberum arbitrium ergo in Deo salvatur quantum ad hoc, quod determinatio sui actus non est sibi ab alio, sicut contingit in agentibus cognitione carentibus, quae agunt per naturam; sed est a seipso, quod solum in habentibus intellectum est. Haec duo etiam conveniunt libero arbitrio creato; *determinatio enim agentis liberi creati ad actionem est a cognitione conjuncta,* non a cognitione separata sicut in his, quae agunt per naturam».

*Ut nimirum determinatio ad agendum pleno et adaequato sensu sit ab ipso agente, S. Thomas duo in articulo requisierat: unum, ut fieret per electionem inter hunc actum aut illum actum; alterum, ut haec ipsa electio radicem haberet et proximam possibilitatem in cognitione aliqua ipsi agenti propria atque conjuncta, non in aliena.*

Nescio tamen plane, num ullo sensu vere dicatur *in sententia Thomistarum* illud, quod hic R. P. Dummermuth contendit atque affirmat: scl. duo haec convenire etiam libero arbitrio creato. Etenim cum secundum Thomistas determinatio ad agendum per modum *prae*determinationis physicae ad unum omni creaturae, etiam intellectuali, *aliunde* i. e. a Deo adveniat, nullo modo dici jam potest, determinationem ad agendum provenire a cognitione ipsi creaturae intellectuali conjuncta: neque enim id dici potest radicaliter et quoad meram possibilitatem vel sufficientiam, neque formaliter et quoad actum.

Formaliter sane et proprie determinatio ad actionem nec in Deo nec in creatura habetur a sola cognitione et per solam cognitionem ut sic, quem-

admodum etiam S. Thomas hoc ipso loco, et in corpore articuli et ad primum tradit, sed media semper electione. Haec autem immediate et elicitive est a voluntate. Volitio enim est electio, non est cognitio. — Nec radicaliter et quoad possibilitatem determinatio ad agendum a cognitione conjuncta cum rationali creatura derivari in sententia Thomistarum jam potest. Determinatio enim ad agendum cum per modum *physicae praedeterminationis* omnibus creaturis *divinitus* adveniat, adaequate provenit a solo Deo. Deus porro in praedeterminatione, quam confert creaturis, sane non dirigitur cognitione, quae in creaturis est, sed quam ipse in mente sua gerit. Unde si Thomistarum doctrina vera est, S. Doctoris doctrina hoc loco tradita profecto falsa est. Etenim S. Thomas vult cognitione ipsis conjuncta et propria libera agentia ita ad unum determinari, ut tamen formaliter et simpliciter ipsa se determinent propria electione, et propter unam hanc rationem: quoniam in potestate eorum constitutum est, eligere hanc actionem vel illam, dominium sui actus habere dicuntur i. e. libera sunt (1). Contrarium reapse dicunt statuuntque Thomistae (2).

Concludamus afferentes ea, quae S. Thomas hic ad primum respondet: « Ad primum ergo dicendum, quod ea, quae dicuntur de Deo et creaturis, semper eminentius in ipso inveniuntur ; et ideo *electio* salvatur in Deo hoc modo, quod abjicitur id, quod imperfectionis est, et accidit libero arbitrio, prout est in natura ignoranti : unde secundum hoc in Deo non salvatur ; sed quantum ad hoc, quod *determinatio sui actus non est sibi ab alio, sed a seipso, unde ipse verissime sui operis dominus est* ».

Quibus verbis S. Thomae manifesto continentur duae veritates : una, electionem identificari cum determinatione ad actum, vel ubi de Deo agitur, potius ad opus ; altera, in hac determinatione *salvari libertatem, quoniam illa est Deo non ab alio, sed a seipso*, in qua quidem re ratio libertatis propria formaliter consistit. Item in duobus punctis R. P. Dummermuth hic errat : unum est, quod opinatur, S. Thomam hoc loco nihil ad libertatem requirere quam exclusionem alienae *cognitionis* ad agendum determinantis ; alterum, quia falso credit, praedeterminatione physica admissa liberum agens ad agendum adhuc determinari mediate et radicaliter vel ex parte objecti — omnia enim haec idem sunt — cognitione propria non aliena.

Quam longe autem absit Thomistarum sententia a vera sententia et mente S. Thomae, clarissime cernitur ex hujus ipsius articuli responsione ad tertium. *Nemo Molinista ex ipsis principiis et visceribus sui systematis aliquid clarius et distinctius respondere potest.* Audiamus itaque ipsum S. Doctorem : « Ad tertium dicendum, quod Deus operatur in omnibus, ita tamen quod in unoquoque secundum ejus conditionem : unde *in rebus naturalibus operatur* [1°] sicut ministrans virtutem agendi *et* [2°] *sicut de-*

(1) Cfr etiam I, q. 83, a. 3.
(2) Cfr inter alios loci supra ex Lemos allati p. 77.

*terminans naturam ad talem actionem, in libero autem arbitrio hoc modo agit* (1°) : ut virtutem agendi sibi ministret, *et* (2°) *ipso operante liberum arbitrium agat* ; sed tamen (3°) *determinatio actionis et finis in potestate liberi arbitrii constituitur* : unde remanet sibi dominium sui actus licet non sicut primo agenti ». In hac responsione attende oppositionem, quae stabilitur inter operationes rerum naturalium et operationes liberi arbitrii, *quam diligenti locutione et de industria variata hae operationes diversimode a D. Doctore reducantur in Deum, Deusque in variis agentibus operantibus actu dicatur varie in eis operari inque ea influere.* In rebus enim naturalibus operatio sic est a creatura, ut simul sit a Deo et quoad virtutem agendi, quam conservans etiam actu eis ministrat, et quoad determinationem naturae ad talem actum, quam determinationem conservando naturam earum actu etiam efficienter continuat. *Non ita usuvenit in agentibus intellectualibus et liberis*, ut praecise sunt talia. Virtus quidem operandi eodem modo est in eis a Deo, uti est in agentibus naturalibus, ipsa quoque actio eorum est a Deo, sed *determinatio ad actionem non est a Deo*, sed est, si proprie, stricte et formaliter loquimur, ab una rationali creatura, non quod haec determinatio, quatenus est praecise et identice actio et ens, non sit a Deo physice cooperante et coefficiente ( sic enim ipsa quoque a Deo immediate cooperante procedit ) ; sed quatenus praecise et formaliter est determinatio ad unum particulare prae aliis, sic non est a Deo. Secundum hanc enim praecisam et formalem considerationem est a sola creatura eligente, quemadmodum id supra in altera sectione fuse explicavimus, et quemadmodum id S. Thomas hoc loco diserte affirmat. Illam igitur explicationem rectam fuisse et ex mente S. Thomae haustam, hoc ipso loco non leviter confirmatur (1).

Sed dubitatur fortasse, num haec ipsa explicatio D. Thomae sententiam accurate reddat ? At si interpretatus fueris aliter, si contenderis, determinationem ad agendum *sub praecisa* etiam *ratione determinationis ad unum* ut sic esse simul a Deo, imo eam principaliter a Deo in liberis creaturis procedere : tum tota profecto evanescit oppositio, quam manifesto vult stabilire S. Thomas inter liberam actionem creaturae, quatenus actio est, et quatenus est praecise et formaliter determinatio ad unum simpliciter. Quae cum ita sint, sane nihil a mente S. Thomae magis alienum esse potest quam admittere praedeterminationem physicam ad unum in ipsis agentibus intellectualibus et liberis. Nam haec physica praederminatio profecto non efficit praecise hoc, ut actio sub ratione actionis et entis sit *immediate* a Deo ( quod fatemur omnes esse debere, et quod, quomodo usuveniat, explicamus suo quisque modo omnes ) ; sed eo spectat, ut actio libera creaturae praecise sub ratione determinationis ad hanc potius quam ad illam actionem simpliciter originem ducat a Deo (2).

(1) Vide supra, pag. 120 sqq.

(2) Brevissime simul et verissime D. Thomae doctrinam complexus est Cajetanus, quando ad 1.2, q. 109, a. 1 haec scripsit ; « Non solum dependemus in esse et conservari a primo agente, Deo glorioso,

Nec perturbare nos illud ullo modo potest, quod S. Doctor ait ; Deum *naturam* determinare, non vero liberum arbitrium. Nam naturam i. e. agentia naturalia, ut talia sunt, adaequate Deus determinat ; siquidem eis inseruit eisque conservat naturales ad specificos actus determinatas tendentias et inclinationes ; offert quoque eis determinatos tantum ad unum actum *specifice* determinatum in singulis occasionibus concursus ; voluntati vero, etsi Deus naturalem ad unum tendentiam, scl. ad bonum vel beatitudinem in communi, inseruit atque conservat, accidentalem tamen et specificam ad unum actum in specie et particulari liberae ejus dispositioni omnino reliquit.

Quod autem R. P. Dummermuth p. 354 contra hanc interpretationem opponit, falsum est. « Docet S. Thomas », inquit , « Deum voluntatem ad certam actionem non determinare, sicut determinat naturam ad talem actionem, id est, ex necessitate » ; quasi scilicet S. Doctor particulam « sicut » comparative et relative usurpaverit, non absolute. Numquid enim eam comparative et relative usurpavit etiam in praecedente inciso? Omittendum fuerat prius « sicut », alterum autem ante « naturam » ponendum, sic sensus a R. P. statutus cum enuntiato S. Thomae satis conveniret. Quaeso, relege locum, atque videbis quam totum hoc a R. P. oppositum non sit ex verbis S. Doctoris haustum, sed ipsi sine fundamento impositum.

Qui vero a R. Patre additus ibidem est locus ex q. 3, a. 7 « de Potentia », attentionem lectoris a loco plane luculento ad alium, qui est subobscurus et ambigue dictus, avocat (1). Nam in hoc, quem tractamus, loco *clare et citra ullam dubitationem atque controversiam a S. Doctore hoc enuntiatum est, formalem determinationem arbitrii, ut praecise talis est, ita esse libero arbitrio adscribendam, ut unius liberi arbitrii sit, non vero ab ullo alio, ne ab ipso quidem Deo ipsi proveniat.*

sed in operari, ita quod *ipso non cooperante* non possumus operari quacunque operatione, etiam si conservaret nobis esse et operativa omnia principia in nobis ». Ceterum alia, multo etiam luculentiora ex Cajetano infra afferemus.

(1) De hoc loco fuse infra tractabitur.

## ART. II

### EXCEPTIONES R. P. DUMMERMUTH CONTRA TESTIMONIUM EX 4, DIST. 49, Q. 1, A. 3, QSTCLA 2 AD 1 PETITUM.

*Contra argumentum, quod R. P. Schneemann altero loco laudaverat, jam progreditur p. 343 sqq. R.P. Dummermuth.* Fuit autem hoc: «*Potentia rationalis se habet ad opposita in his*, quae ei subsunt; et haec sunt illa, *quae per ipsam determinantur; non* autem potest in opposita illorum, *quae sunt ei ab alio determinata;* et ideo voluntas *non potest in oppositum ejus, ad quod ex divina impressione determinatur,* scl. in oppositum finis ultimi; potest autem in oppositum eorum, quae ipsa sibi determinat, sicut sunt ea, quae ordinantur in finem ultimum, quorum electio ad ipsam pertinet ». Ita 4, Dist. 49, q. 1, a. 3, qstcla 2. ad 1 (1).

R. Pater etiam hunc locum se elevare posse opinatur. Provocat autem ad Cl. Auctorem libri « De Libertate et Praemotione secundum mentem S. Thomae » Romae anno 1882 impressi. Repetitur ab hoc docto viro distinctio de determinatione divinitus facta in ipsa naturae institutione, et de determinatione, qua natura in actu primo jam constituta, divinitus ad actum secundum impellitur vel determinatur. Sed praestat, ipsum Cl. Auctorem audire. Respondet, « duplicem Dei impressionem esse admittendam unam quidem, quae respicit naturae institutionem, alteram vero, qua natura in actu primo constituta, ad actum secundum impellitur seu determinatur. Porro autem prima impressio habet esse permanens in natura, cujus est quaedam proprietas; atque id ea efficit, ut quae eadem sunt obsignata seu ad aliquid determinata, ad illud ea libera non sint: ista autem divina impressio, physica praemotio seu praedeterminatio non est.... *De eadem tamen in testimonio producto nostrum Doctorem loqui, nullo negotio intelligitur*; nam postquam is ait: « Voluntas non potest in oppositum ejus, ad quod ex divina impressione determinatur », mox rem explanans subdit: « scl. in oppositum finis ultimi » .... Altera autem divina impressio, qua natura jam constituta in actu primo ad actum secundum determinatur, est physica motio, non quidem permanens, sed transiens, qua Deus intrinsecus potentiam perficit, ut ea actum suum edere queat (2). At vero eam impressionem hominis libertatem non convellere, imo potius eandem efficere, omnibus Aquinatis testimoniis et rationibus hactenus citatis egregie stabilitur ».

(1) Cfr supra, pag. 137.

(2) Nota hic affirmari ( quod alias saepe Thomistae gravissima de causa negant ), *praedeterminationem physicam pertinere ad intrinsecam perfectionem potentiae ita, ut sine ea agere non possit.*

Hanc responsionem R. P. Dummermuth verissimam vocat. Nobis apta non videtur, sed contra manifestum textum S. Doctoris pugnans. Nam secundum S. Doctorem hoc loco ad 1 voluntas non potest in oppositum finis ultimi, i. e. relate ad eum appetendum *non est libera, quia ad eum ex divina impressione determinatur.* Haec est tota et adaequata ratio, cur secundum S. Thomam humana voluntas in oppositum finis ultimi non possit. Concedimus sane, simul a S. Doctore alterum hoc indicari, de facto in eo statu, in quo versamur, ad nihil prorsus aliud praeterquam ad finem ultimum (in communi scl.) hominem ex divina impressione determinari. Sed quam parum hoc faveat Thomistarum sententiae, facile unusquisque videt. Utrumque prorsus Molinisticum est. Debere autem impressionem divinitus factam esse in ipsa naturae institutione ad hoc, ut tollatur libertas, id neutiquam innuitur a S. Doctore, sed sine ullo in textu fundamento adstruitur. Et profecto cum ejusdem rationis eadem debeat esse consequentia, si homines ad omnes omnino actiones ex divina impressione determinarentur, quemadmodum ob hanc rationem in appetendo fine ultimo non sunt liberi secundum D. Thomam, ita jam ad nullam prorsus actionem essent liberi, quod alias etiam S. Doctor ipsis verbis tradit.

---

## ART. III

### QUAE CONTRA TESTIMONIUM EX Q. 22. DE VERIT. A. 6 AD 1 A R. ADVERSARIO OPPOSITA SUNT.

Iisdem armis, quibus jam pluries pugnavit, R. P. Dummermuth nunc *tertium argumentum* aggreditur p. 346. Hoc petitur ex q. 22 de veritate a. 6 ad 1. Ait ibi S. Thomas: « Dicendum quod esse animae non est determinatum a seipsa, sed *ab alio* (i. e. a Deo), sed *ipsa sibi determinat suum velle ;* et ideo quamvis esse sit immutabile (necessarium), tamen *velle indeterminatum est, ac per hoc in diversa flexibile* ». Attulimus ipsi hoc argumentum supra pag. 136 squ. altero loco.

Audiamus nunc R. Patrem contra hoc argumentum excipientem : « Hic iterum, inquit, a voluntate libera determinationem naturalem excludit S. Thomas ». « Quod, pergit Pater, ex corpore articuli *manifestissimum* est. « Cum voluntas, inquit (S. Thomas), *indeterminate* se habeat respectu multorum, *non habet respectu omnium necessitatem, sed respectu eorum tantum, ad quae naturali inclinatione determinatur* ». Sistamus atque videamus, num ex hac S. Thomae doctrina aliud quidquam merito inferri dossit, quam illud quod Thomistarum doctrinae contrarium est.

Si accurate verbis D. Doctoris (ex corp. art.) inhaeremus et diligenter

ea inspicimus, *evidens fit, S. Doctori idem prorsus esse, indeterminate se habere ad aliquid, atque respectu ejus liberum esse a necessitate.* Unde ubi primum determinatio ad aliquid incidit, relate ad hoc ipsum libertas esse desinit. Quare omnem rem omnemque actiõnem in facto esse, quippe quae necessario ad unum determinatae sint, necessitas consequitur. Unde ulterius recte concludimus, si praevie ad actionem homo ad unum simpliciter divinitus determinaretur jam antequam ageret, libertas ab eo ablata esset, maneretque sola necessitas. Haec ex principiis S. Thomae necessario atque evidenter consequuntur. Nec corrigit aut restringit S. Doctor id, quod antea dixerat, quando pergit : « sed respectu eorum tantum [ est necessitas ], ad quae naturali inclinatione determinatur [ voluntas ]» Ubi hic declaratur, ad liberatem necessarium non esse, ut simpliciter indeterminati simus antecedenter respectu ejus, ad quod liberi esse dicimur, sed ad libertatem sufficere jam, ut voluntas respectu ejus non sit determinata antecedenter a natura ? Etenim in toto textu correctionis aut restrictionis nullum signum exstat.

Itaque effertur *merum factum et casus unicus, in quo voluntas antecedenter ad actionem se non habet indeterminate,* scl. respectu eorum tantum, ad quae naturali inclinatione determinatur. Ratio igitur, cur secundum D. Thomam in hoc uno et solo genere rerum libertas sublata sit, non est, quia *naturali* praecise *inclinatione* voluntas ad haec *determinatur,* sed quia aliae res nullae sunt, in quibus voluntas antecedenter ante actionem suam omnino determinatur ad aliquid praeter hunc casum determinationis naturalis. Haec Molinistarum doctrina est. Quae amplius addit R. P. Dummermuth, parvi ad causam momenti sunt. Quare ea exscribere supersedeo.

---

## ART. IV

### EXCEPTIONES PROLATAE CONTRA TESTIMONIUM EX 2, DIST. 25, Q. 1, A. 1 EXCITATUM.

Quartum, quod R. P. impugnat argumentum, petierat P. Schneemann ex eadem dist. 25 libri 2, q. 1, a. 1, de qua jam supra multis egimus primo loco ( p. 143 ). Est autem hujusmodi : « In solis intellectum habentibus liberum arbitrium invenitur, non autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed a quibusdam aliis causis prioribus ». Qui locus ut plane intelligatur, recolatur illud, quod jam supra ex D. Thoma indicavimus. Etenim ut aliquod agens possit dici simpliciter et adaequate determinare seipsum, duo in ipso requiruntur : unum, ut determinatio proprie dicta, quae fit media electione, habeat radicem in cognitione conjuncta et ipsi agenti propria, non in aliena ; alterum, quod requiritur, est ipsa haec inter plura electio. Haec tamen duo semper inter se naturaliter conjuncta inveniuntur, ut ubicunque vera electio inter plura

locum habet, ibi etiam conveniens ad talem electionem cognitio necessario reperiatur, atque e converso, ubicunque hujusmodi cognitio locum habet, ibi locum habere etiam possit de se electio. Bruta igitur animalia, uti carent convenienti cognitionis perfectione, ita carent electione. Quare ut haec animantia agere aliquid omnino possint, necesse est, ut ab auctore naturae per modum praedeterminationis naturalis et physicae sibi insertam habeant et tendentiam ad finem particularem et tendentiam ad ea, quae sunt ad hunc particularem finem necessaria. Atque ex hac ipsa causa animantia bruta non sunt liberi arbitrii. Is cum sit hujus loci sensus, manifestum est, cui sententiae S. Doctor faveat.

Sed responso aliquo praesto est R. P. Dummermuth. « *Aliqua verba omisit R. Pater Schneemann.* Sic habet S. Thomas : « In solis intellectum habentibus liberum arbitrium invenitur, non autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed a quibusdam aliis causis prioribus », ut contingit « in his quae agunt per naturam » ut paulo ante dixit S. Thomas ». Ita sane ; sed cum non hic, sed supra haec scripserit S. Thomas, falsum est, P. Schneemann verba aliqua hic omisisse. R. P. Dummermuth aliqua verba hic addidit, quae ipse S. Thomas huic sententiae non adscripsit. At dices : Verba tamen haec praecesserant. Ita sane est. Sed cur Patri Schneemann omissiones hic objiciuntur ? Ceterum quid hac via lucretur R. P. Dummermuth, plane non assequor, nisi forte S. Thomam non habere ad manum aliud exemplum divinae praedeterminationis quam determinationis naturalis. Sed unum perspicue his verbis tradit D. Doctor, quod nemo Molinista negat, naturalia agentia se ipsa non determinare, quia determinentur a causis quibusdam prioribus. Quod vero S. Thomas nullo modo docet, est id, quod volunt Thomistae : Etsi entia intellectualia et libera aliunde quam a seipsis primam determinationem ad agendum et hoc agendum per modum praedeterminationis physicae reciperent, dummodo ne haec praevia ad unum per priores causas determinatio *naturalis* ipsis esset, sed accidentalis, tum intactam perseverare libertatem.

Hoc S. Thomas nusquam docet ; *sed plane ea docet, quibuscum haec componi nullo pacto possunt.* Id satis vidimus.

Non video, quaenam utilitas esse possit in omnibus et singulis responsionibus refutandis, quas R. P. Dummermuth R. Patri Schneemann opponit, quoniam singulae ejusdem fere rationis sunt. Nec res tam intricata est, ut diligens lector non statim animadvertat, nihil, quod proprie ad rem pertineat, a R. P. responderi. Fere totus est R. P. in una hac re, ut mentem lectoris a praesenti textu continenter ad alium avocet; qui cum satis apte ad scopum propositum selectus esse soleat, illud efficere potest, ut, si incautus aliquis legat, vim locorum, qui a nostris Doctoribus Thomistis opponuntur, non satis ipse percipiat. Atque hoc necessitate coacti exprobramus.— Seligam tamen duos locos alios, qui majoris momenti inter ceteros esse videntur, ad id, quod dixi, illustrandum et comprobandum.

## ART. V

### QUAENAM R. P. DUMMERMUTH AD TESTIMONIUM, QUOD EXSTAT APUD D. THOMAM 2, DIST. 39, Q. 1, A. 1, ANIMADVERTERIT.

Septimo igitur loco p. 349 sqq. quod omnium luculentissimum esse putavimus testimonium S. Doctoris ex 2, Dist. 39, q. 1, a. 1, eripere nobis conatur R. Pater. Quaeso ipsum testimonium hic relegatur. Impressimus illud supra pag. 137 sq.

Quid hic R. P. respondet? « Quae circa hunc locum observat R. P. Schneemann, afferre non oportet. Solum probat, « illum alium », de quo loquitur S. Thomas, « Deum esse intelligendum »; quod concedimus, videtur enim res manifesta (1). Quaeritur autem de sensu litterae S. Doctoris. *Prima fronte doctrinae praedeterminationis physicae maxime adversari videtur haec littera;* ex ea tamen, si attente consideretur (2), nihil contra praedictam sententiam evincitur ».

Videamus, quaenam illa sint, quae R. Patri post institutam diligentem considerationem hujus loci ad robur ejus contra praedeterminationes physicas infringendum apta et idonea occurrerint. Pergit : « Quod ut declaretur, ex doctrina S. Thomae recolendum est, Deum esse causam actionis cujuslibet entis creati tum naturalis, tum liberi dupliciter: Primo quatenus cuilibet agenti creato naturali et libero *dat naturam seu virtutem agendi.* Secundo, quatenus virtutem collatam *movet* et *applicat* ad actum ». Haec duo deinde uberius explicat secundum sententiam Thomisticam. Dein ita prosequitur : « Quaeritur itaque, quomodo intelligi debeat sequens propositio S. Thomae : « Quod voluntas determinate exeat in hunc actum vel illum, non est ab alio ( a Deo ) determinante ». Juxta duos modos assignatos, quibus Deus est causa actionis cujuslibet agentis, duplex sensus tribui potest dictae propositioni. Primus est : Quod voluntas determinate exeat in hunc actum vel in illum, *non est a Deo determinante , tanquam a dante voluntati talem naturam,* per quam ad hunc actum determinatur.

(1) Videtur tamen R. P. Dummermuth nescire, vel hoc ipsum ab aliquibus Thomistis negatum esse. Forte ut testimonii vim effugerent. Scripsit enim von Schätzler « Neue Untersuchungen über des Dogma von der Gnade» p. 180 haec : « Wenn er ( der h. Thomas ) insbesondere sagt, der natürliche Wille werde nicht von einem Andern dazu bestimmt, aus seiner Unentschiedenheit herauszutreten ( quod determinate exeat in hunc actum vel in illum, non est ab alio determinante ) ; *so darf man bei diesem alius determinans nicht an Gott denken.* Dem Zusammenhange nach handelt es sich *offenbar* um eine creatürliche Ursache ». Idem jam olim asseruerat in editione operum S. Thomae anno 1659 Parisiis facta P. Joannes Nicolai O. P. Vide Platelium « Synopsis Cursus Theologici» Pars 2a n. 204 ; cfr n. 201.

(2) Cfr cum hac confessione et hoc modo loquendi id, quod R. P. carpit et irridet in Suarezio simil locutione uso pag. 79 « Nunc ergo ».

Secundus sensus est : Quod voluntas determinate exeat in hunc actum vel in illum, non est a Deo determinante tanquam a praemovente voluntatem ad hunc vel illum actum ».

« Si hunc secundum sensum intendat S. Thomas, manifesto negat ipse praedeterminationem physicam. Si autem intendat S. Doctor primum sensum, tunc ex ejus littera nullum argumentum sumere possunt contra praedeterminationem physicam (1). Atqui evidentissimum (!) est, S. Thomam non secundum, sed primum sensum intendere (2)! Quod probatur primo : Dicit Angelicus : « Quod voluntas determinate exeat in hunc actum vel in illum, non est a Deo determinante, sed ab ipsa voluntate. Sed in naturalibus actus progreditur ab agente, sed tamen determinatio ad hunc actum non est ab agente, sed ab eo, qui agenti talem naturam dedit, per quam ad hunc actum determinatum est ». Manifesto opponit S. Doctor agens voluntarium agenti naturali, et hoc ipsum, quod de uno agente affirmat, de altero negat. Itaque primo sic reddi potest S. Thomae testimonium : « Quod voluntas determinate exeat in hunc actum vel in illum, non est a Deo determinante, sed ab ipsa voluntate ; sed quod agens naturale determinate exeat in hunc actum, est a Deo determinante, et non ab ipso agente naturali ». Sed haec propositio ambigua est ; ex iis autem quae de agentibus naturalibus dicit S. Doctor, sic clare et optime exponitur : « In voluntariis determinatio ad hunc actum est ab agente voluntario, et non a Deo, agenti voluntario talem naturam dante, per quam ad hunc actum determinatum est. Sed in naturalibus determinatio ad hunc actum non est ab agente naturali, sed a Deo, qui agenti naturali talem naturam dedit, per quam ad hunc actum determinatum est ». Hic est verissimus sensus litterae *ab ipso S. Thoma declaratus* (!) Ostendere velint adversarii testimonium S. Doctoris aliter exponendum esse ».

Opinatur igitur R. P. Dummermuth, priorem sententiam complexam ambiguam esse, atque propterea in se opus assumit, eam ex mente D. Thomae interpretandi, supplendi. At hic supplendi modus — non D. Thomae, seu « ab ipso D. Thoma declaratus » sed R. Patris — non tantum arbitrarius est, sed contra manifestum sensum loci excogitatus. Attendatur, cujus rei S. Thomas in hoc membro articuli rationem reddere velit : scl. *cur actus agentis naturalis « proprie nec sit in potestate agentis » nec sit « ab hujusmodi agente sensu propriissimo »*. Etenim ideo actus naturalis agentis *nec est proprie in potestate ipsius nec ab ipso sensu propriissimo,* quoniam, licet actus quoad substantiam ab eo procedat, tamen determinatio ad agendum hunc actum non est ab hujusmodi agente sed ab alio. Nam ut actus sit proprie in agentis potestate et ab ipso sit sensu propriissimo, requiri-

(1) Videtur hic R. P. oblitus esse certae cujusdam regulae logicae : particulam « non » de se negare *universaliter*. Qui v. g. dicit : « hoc non feci », de se asserit, nulla id via nec ullo modo se fecisse, non solum se id non fecisse certo quōdam modo. Ergo si Deus non determinat voluntatem ad unum, id de se significat, Deum nullo modo voluntatem ad unum determinare : nec natura nec aliter.

(2) Supra tamen videbatur locus *maxime* adversari doctrinae praedeterminationis physicae.

tur, ut « actus sit ab agente tam secundum substantiam actus quam *secundum determinationem agentis ad hunc actum*, uti usuvenit in voluntate ». Hoc est totum, quod requiritur, sed quod etiam est necessarium, ut actus aliquis sit proprie in potestate agentis et sit sensu propriissimo ab eo. Jam vero *defectus hujus requisiti quoad alteram partem tota et adaequata ratio est*, cur actus naturalis agentis nec sit proprie in hujus potestate nec sensu propriissimo ab ipso. Quae autem in textu sequuntur, ea modum explicant et viam, quo agenti naturali determinatio ab alio proveniat, media scl. ipsa ejus natura, quam ita determinatam ab alio accepit.

Nihil porro in hac disputatione S. Thomae manifesto sequitur nisi hoc : desinit actus esse proprie in potestate agentis, nec jam est propriissime ab ipso, ubi primum *determinatio ad hunc actum agendum ei provenit ab alio ;* nec ad hunc effectum quidquam interest, sitne haec determinatio per modum naturae indita ab alio, an alia demum via ac modo ei aliunde adveniat. *Debet simpliciter determinatio non esse ab alio* (1). Legatur iterum articulus, atque quis verus et genuinus articuli S. Thomae sensus sit, jam facile patebit.

At assertionem et distinctionem suam veram esse, scl. excludi hoc loco ( 2, dist. 39 etc. ) tantum determinationem *ab alio certo modo certaque via, ipsa nimirum natura, factam*, R. P. jam alio argumento probat. *Laudat ad hoc locum ex D. Thoma, huic, ut ait, parallelum* : « *Operationis naturalis*, inquit S. Thomas, q. 24, « de Ver. » a. 14, Deus est causa, inquantum dat id, quod est principium naturalis operationis in re [naturali]; ex quo de necessitate determinata operatio sequitur. Sed voluntas hominis non est determinata ad aliquam unam operationem, sed se habet indifferenter ad multas ».

« Nihil aliud haec significant », pergit R. P., « nisi agens naturale ad hanc operationem *determinari* a Deo tanquam *a dante* (2) naturam, per quam ad unam operationem determinatur ; agens vero voluntarium *non determinari* a Deo tanquam *a dante* naturam, per quam ad unam operationem determinatum est ». Hucusque omnia vera. Sed vix juvare possunt ad interpretandum locum, quem tractamus. *Ostendimus, S. Doctorem ipso hoc, quem tractamus, loco tradere, res naturales natura ipsa divinitus determinatas esse ad unum, ob eamque causam non habere proprie actum in sua potestate, quamvis ab ipsis secundum substantiam procedat ; voluntatem vero humanam nec sic ( natura sua ) nec aliter, nec a Deo, nec ab alio agente extrinseco determinari ad actum ; atque ob hanc rationem actum ejus sensu proprio esse in ejus potestate et ab ipso sensu propriissimo.* Quid er-

(1) Brevissime dicam, quomodo in explicanda D. Thomae sententia a R. P. differam. R. P. putat, ad hoc, ut actus sit in potestate agentis et ab agente sensu propriisimo, S. Doctori sufficere, ut determinatio ad eum non certo quodam et definito modo ac via, id est, non a natura proveniat. Equidem censeo, *simpliciter* non debere determinationem ad eum *aliunde* agenti provenire. Vide notam paenultimam.

(2) Distinctio vocabulorum est ipsius R. Patris.

go effecit R. P. hac animadversione (p. 352): S. Thomam hoc loco « de Verit. » docere, voluntatem non determinari naturaliter ad unum ? Num hoc ullus unquam Molinista negavit? At R. P. sciscitando pergit: « Numquid proinde excludit S. Thomas a voluntate determinationem Dei *praemoventis eam* ad unam operationem » ? *Haec non est quaestio*, quid S. Thomas explicite et plane q. 24 de Ver. *non* fecerit, sed quid *illo loco* laudato 2, dist. 39, q. 1, a. 1 positive docuerit.

Ceterum manifestum sane est, S. Thomam, dum docet, agens voluntarium non esse *natura* determinatum ad unum, *non exclusisse* formaliter et positive, omnem aliunde ei advenientem determinationem ad unum. At eum hoc *non fecisse hoc loco* « de Ver. » formaliter et positive, nullius, ut modo dixi, ponderis est. Esset alicujus ponderis, si demonstraretur, S. Thomam hoc loco *positive* praedeterminationem physicam asseruisse. Hoc *si* esset, licet non statim consequeretur : Ergo ubique eam asserit, ubicunque Thomistae eam assertam vident ; quoddam tamen probabile indicium hoc modo appareret, eam aliis etiam locis fortasse a S. Thoma tradi. Videamus igitur diligentius, sitne vestigium hujus rei, S. Thomam praemotionem physicam sensu Thomistico hoc loco *positive* docuisse.

Pergit R. P. pag. 352 : « Causa secunda, inquit S. Doctor hic, de Ver. q. 24, a. 14, non agit nisi per virtutem causae primae. Et hoc verum est tam in naturalibus agentibus quam in voluntariis. . . Sed voluntas hominis *non est determinata* ad aliquam *unam* operationem, nisi mota per aliquid activum, quod *in ea interius operatur sicut ipse est Deus* ». Itaque licet Deus voluntatem ad unum non determinet *dando* naturam, eam tamen determinat movendo ad actum ». Ita concludit P. Dummermuth.

Etsi daremus R. Patri, textum ultimum talem apud S. Thomam exstare, qualis ab ipso hic exhibetur — revera non est integer locus — at vel sic, si sola verba S. Doctoris spectantur, nihil pro praedeterminatione physica ipso efficeretur. Nam voluntatem non determinari ad unum nisi interius movente, operante i. e. concurrente Deo, etiam Molinistae dicunt. Nec verba S. Doctoris, ita explicata, dici possunt violenter ad sententiam alienam detorta.

*An forte ex Molinistarum placito voluntas humana media libera electione se determinat ad aliquam unam actionem vel operationem sine motione Dei interius in ea operantis concursu simultaneo?* Annon motionem Dei interius operantis atque concurrentis ad omnem prorsus operationem, atque ita etiam ad determinationem liberam, quatenus haec ens est et actio, essentialiter requiri eique intimam esse, omni qua possunt vi Molinistae contendunt atque adstruunt? Quid igitur loco S. Thomae, vel illa ipsa in conditione ac forma, in qua a R. P. Dummermuth affertur, Thomistae efficere possunt pro sua doctrina? nisi forte verbum movendi restricto illo sensu a S. Thoma usurpari contendunt, quem apud ipsum illud verbum non habuisse, jam supra vidimus et infra iterum videbimus. Ita-

que verba S. Thomae sic a nobis explicata optimam habent sententiam nec possunt dici a propria violenter esse detorta.

Sed non integer est textus. Qui si integer affertur, vel levissima species aufugit, quasi Thomistis faveat. « *Operationis naturalis Deus est causa in quantum dat et conservat id, quod est principium naturalis operationis* in re [naturali], ex quo de necessitate determinata operatio sequitur. . . Sed voluntas hominis non est determinata ad aliquam unam operationem, sed se habet indifferenter ad multas, et sic quodammodo est in potentia, nisi mota per aliquid activum *vel quod ei exterius repraesentatur, sicut est bonum apprehensum, vel quod in ea interius operatur, sicut est ipse Deus, ut Augustinus dicit in Lib. de gratia et libero arbitrio (cp. 21) ostendens, Deum multipliciter operari in cordibus hominum. Omnes autem exteriores motus divina providentia moderantur, secundum quod ipse judicat, aliquem esse excitandum ad bonum his vel illis actionibus* ».

Jam vero hic textus, prouti apud S. Thomam exstat, *multipliciter evincit, motionem Dei, de qua agitur, non posse cum praedeterminatione physica Thomistarum ullo modo confundi.*

Primo etenim agitur de motione divina in voluntate humana, quae *vario et multiplici* modo exercetur. Hoc de praedeterminatione physica, quae secundum Thomistas semper est ejusdem essentialiter rationis, dici plane non potest.

Deinde aequiparatio hujus internae motionis cum bono extrinsecus oblato argumentum est, non agi de praedeterminatione physica sed de affectionibus animi voluntatisque indeliberatis ac divinitus immissis, quibus causalitas moralis, quae ab objecto oblato procedit, suppletur vel corroboratur.

Praeterea cum S. Augustinus in fine capitis 21 a S. Thoma laudati, has immissiones per Angelos fieri posse, affirmet, sane evidens est, non agi de praedeterminatione physica, quae secundum Thomistas essentialiter unius Dei propria est, utpote qui solus sit ipsum esse et actus per essentiam.

« Si autem », ita S. Augustinus, « potens est Deus, *sive per angelos bonos sive per malos*, sive quocunque alio modo operari *etiam* in cordibus malorum, pro meritis eorum, quorum malitiam non fecit, sed aut originaliter tracta est ab Adam, aut crevit per propriam voluntatem : quid mirum est, si per Spiritum sanctum operatur in cordibus electorum suorum bona, qui operatus est, ut ipsa corda essent ex malis bona » ? Posteriore hujus sententiae parte manifesto de actibus supernaturalibus et meritoriis agitur. Cum autem S. Thomas in ea parte articuli, de qua modo agimus, et in qua hoc S. Augustini testimonium laudat, de unis naturalibus actibus mentisque motibus tractet, certe prior pars sententiae S. Augustini huc pertinet et pro suo scopo a D. Thoma laudatur. In ea vero parte evidenter id continetur, quod diximus de angelis.

Postremo ne hanc quidem rationem inepte addideris, cur nullo pacto

admitti possit, agi a S. Thoma hoc loco « de Ver. » q. 24, a. 14 de praedeterminatione physica aut secundum nostrum systema de simultaneo concursu: *quia nimirum hic agitur de talibus modis Dei influendi in voluntatem, quibus non influat in res naturales.* Jam vero Deus utrasque causas, liberas et naturales, secundum Thomistas quidem praedeterminat physice, secundum nos vero cum utrisque debet simultanee cooperari. Ergo de neutro loquitur i. e. nec de praedeterminatione physica in sententia Thomistarum, nec de concursu simultaneo in nostra (1).

Oppones, supra S. Thomam in eodem articulo haec scripsisse: « Quamvis autem hujusmodi [i. e. naturalia] bona homo possit facere sine gratia gratum faciente, *non tamen potest ea facere sine Deo,* cum nulla res possit in naturalem operationem exire nisi virtute divina; quia causa secunda non agit nisi virtute primae causae, ut dicitur in libro « de Causis ». Et hoc verum est tam in naturalibus agentibus quam voluntariis ». — Utique haec supra exstant. Sed quamvis affirmet S. Doctor, nullam prorsus causam creatam posse exire in naturalem operationem nisi virtute primae causae, tamen in sequentibus non affert illud, quod omnibus causis creatis naturalibus et supernaturalibus, physicis et intellectualibus, quando operantur, commune est: praedeterminationem physicam aut concursum, pro diversitate sententiarum, quas quis sequitur, sed illud, quod rebus naturalibus et causis liberis singulis proprium divinitus contingit. Pergit enim S. Doctor hoc modo: « Tamen hoc *alio* modo habet necessitatem in utrisque ». Ergo distinctiva inter utrasque causas, naturales et liberas, efferuntur, non communia; cujusmodi commune sane ex sententia Thomistarum praedeterminatio physica est, ex nostra simultaneus concursus.

Sed cur tandem S. Thomas nihil de concursu, respective de physica praedeterminatione hic dixit? Primo quoniam agere noluit de illo influxu divino, qui bonis actionibus et malis communis est, sed de illis solis modis influendi Dei, qui bonis actionibus sunt proprii. Cfr titulus articuli, qui est hic: « Utrum liberum arbitrium possit in bonum sine gratia ». — Deinde magis particulariter, quoniam in hac articuli parte efferre voluit momenta, quibus aliqua *analogia* inter modum influendi in actus hominis supernaturales statuitur et inter modum, quo in actus ejus bonos naturales Deus influat. Haec enim analogia *punctis allatis*, non influxu Dei illo continetur, quo in omnes prorsus actiones omnis causae secundae ut prima

(1) Alia etiam via luculenter ostendi potest, S. Thomam hoc loco nullo modo agere de illo influxu Dei in secundas causas liberas, qui omnibus prorsus causis creatis, sive naturalibus sive liberis, communis est, quoque influit in omnes ipsarum operationes ob id solum, quia causa secunda omnino essentialiter a prima causa in agendo dependet, quique secundum Thomistas positus est in praedeterminatione physica (partim saltem), secundum nos in uno simultaneo concursu Dei. Nam agens de agentibus naturalibus meminit S. Thomas *unius effectionis et conservationis naturae eorum;* qua quidem natura agentia naturalia omnia ad certum et definitum agendi modum et actum divinitus determinantur, *nullam faciens omnino mentionem illius specialis operationis, qua adest Deus singulis his agentibus, quando actu operantur.* Ergo quando oratio jam convertitur ad agentia voluntaria, ut oratio orationi correspondeat, debet etiam ab hoc influxu commemorando abstinere. — Ceterum cur de hoc influxu illo loco nihil oportuerit dicere, infra in textu explicatum invenies.

causa essentialiter virtutem suam exerit. Afferam paucis puncta vel potius punctum analogiae: Supernaturalis operis auctor Deus est, quoniam ejus *principium,* quae proprie gratia dicitur, homini infundit. Boni etiam operis naturalis *principia* in Deum ut auctorem revocantur: aut immediate magis et directe, quando interius in hominis voluntate antecedenter operatur; quod quidem angelico etiam ministerio fieri potest, si D. Augustino a S. Thoma in hac re laudato credimus; aut minus quidem directe, vere tamen, quando ministerio alterius creati agentis utitur, quod homini bonum aliquod offert appetendum. Etenim « quoniam omnes exteriores motus providentia divina moderantur, secundum quod ipse judicat aliquem esse excitandum ad bonum his vel illis actionibus » : hi omnes motus exteriores ad bonum excitantes, etsi non in Deum ut auctorem gratiae, quae proprie appellatur, tamen in divinam misericordiam reducuntur. Haec est igitur analogia inter modum, quo Deus principium supernaturalis operationis humanae per gratiam exsistit, itemque operationis naturaliter bonae per principia illius.

Quaeres fortasse, qui accidere potuerit, ut R. P. Dummermuth aliquo modo truncaret textum? Puto, eum confidentia ductum suarum explicationum, quas pp. 149 sq. attulerat, textum non integrum hic et alias attulisse; p. 152 integrum textum affert.

Ibi enim p. 149 sq. pluribus contra P. Schneemann prolatis, quibus, ut opinor, probationis nihil inest, p. 152 ita concludit : « Hinc intelligitur, quo sensu dicat S. Thomas in articulo, quod homo non potest bonum [naturale] facere sine Deo, quod [id] non agit nisi per virtutem primae causae; quod divinus influxus [quo virtutem suam exerit prima causa in his actionibus naturalibus, sive eae procedunt ab agentibus voluntariis sive ab agentibus naturalibus] alio modo requiritur in agentibus naturalibus et liberis. *Si autem solum bonum apprehensum sufficeret, nihil explicaret S. Thomas, imo sibi ipse aperte contradiceret*, ut legenti manifestum est ».

Ergo nihil explicat S. Thomas, sed sibi aperte contradicit, si hunc locum explicaveris cum P. Schneemann ita, ut affirmetur, sufficere bonum apprehensum ad hominem determinandum (nimirum objective), vel potius ad movendum eum ad bonam actionem. Et cur nihil explicatur? cur sibi contradiceret hoc modo S. Thomas? Quia docuerat, liberum arbitrium nihil posse agere sine Deo, causam secundam non agere nisi per virtutem causae primae. Addiderat tamen : « hoc alio modo necessitatem habere in utrisque », aliter scl. in causis naturalibus, aliter in liberis causis. Ergo debuit operationes harum diversarum causarum diverso modo reducere in causam primam, non modo uniformi. Quod quomodo reapse praestiterit, idque sine ulla prorsus specie contradictionis praestiterit, fuse ostendimus (1).

(1) Non abs re forte erit, hic referre quae S. Thomas habet 1, q. 105, a 5 in corp. : « Cum omnis operatio sit propter aliquod bonum verum vel apparens : nihil autem est vel apparet bonum nisi se-

At falso interpretamur illud «vel - vel», quod eodem loco S. Thomae in hoc textu occurrit: « Sed voluntas hominis... est quodammodo in potentia nisi mota per aliquid activum, *vel* quod ei exterius repraesentatur, sicut est bonum apprehensum, *vel* quod in ea interius operatur, sicut est ipse Deus ». Intelligimus enim illud «vel - vel» disjunctive. Secundum R. P. Dummermuth debet sumi conjunctive, ita ut «vel - vel» idem valeat atque, « et simul », textusque jam non agat de alterutro activo disjunctive, sed *de duobus activis simul semper necessariis* homini, ut operationem bonam naturalem ponat, scl. de uno, quod exterius repraesentatur, quod est bonum apprehensum, et de altero, qui est ipse Deus in voluntate interius operans. Atque ex sententia Patris Dummermuth ita plane est. Nam ait: « notat Horatius Tursellinus S. J: « Vel iteratum pro tum, tum usitatissimum est. » Quod autem S. Thomas illam conjunctionem usurpaverit secundum *usitatissimam* significationem... (1), non solum perspicuum est ex supradictis, sed etiam aperte constat ex fine articuli: « Omnes exteriores motus, inquit Angelicus, divina providentia moderantur... Unde si gratiam Dei velimus dicere non aliquod habituale donum, sed ipsam misericordiam Dei, per quam interius motum mentis operatur, *et* exteriora ordinat ad hominum salutem; sic nec ullum bonum homo potest facere sine gratia Dei ». *Ecce copulative loquitur S. Doctor,* dicens, hominem nullum bonum facere posse sine Deo interius operante (quod pertinet ad exercitium) et exteriora ordinante (quod pertinet ad specificationem) ». Ita R. P. Dummermuth.

Videamus, quid de hoc argumento censendum sit. Ut ab ultimo incipiamus, quoniam et id, quod exterius fit, et id, quod interius Deus in homine operatur, utrumque revocatur suo modo in misericordiam Dei, operantem unum, ordinantem alterum [hoc recte, sed concluditur]: *ideo* utroque opus est voluntati hominis, ut a naturali sua indifferentia extrahatur et proxime ad operandum idonea evadat. Est similis plane argumentatio, ac si quis ita colligat: omnia quaecunque exstant varia ad scribendum instrumenta idonea, reducuntur in Deum ut causam; nisi ergo aliquis omnibus simul instructus sit, scribere plane non potest.

Quemadmodum autem simultanea necessitas utriusque momenti, et externi et interni, « ex fine articuli » nullo modo legitime colligitur, quae erat una ex assertionibus R. Patris, ita nec collecta jam fuit « ex supradictis », quae erat R. Patris assertio altera. Nam ita collectum erat: propterea, quod si aliter interpretaremur locum, S. Thomas nihil explicuisset, imo sibi contradixisset. Falsum hoc esse, vidimus.

At Horatius Tursellinus! Plura in ejus testimonio insunt, quae efficiunt,

cundum quod participat aliquam similitudinem summi boni, quod est Deus: sequitur quod ipse Deus sit omnis operationis causa, ut finis ».

(1) Amplius aliquid hic R. Pater videtur Tursellino tribuere quam hic dixit. Sensus verborum Tursellini hic est, ut usus iste vocabulorum « vel, vel » sit aliquid *valde* frequens. R. Pater; ut videtur, facit eum dicentem, hunc usum esse *omnium frequentissimum*: der gewoehnlichste Gebrauch.

ut non satis apte afferatur. Horatius Tursellinus non Scholasticorum observavit Latinitatem, sed classicam. Imo tantum abest, ut apud Scholasticos *vel* iteratum idem valeat atque « *tum-tum* », ut fere sensu exclusivo usurpetur, quemadmodum veteres Latini usurpare solebant : « *aut-aut* ». At demus id R. Patri, quod vult : « *vel - vel* », idem esse communiter, apud Scholasticos etiam, atque «*tum-tum*», quamquam ne apud classicos quidem «vel - vel» est simpliciter, «et - et», sed ita est *disjunctivum* semper, ut aliqua copulatio nihilominus non *excludatur* ; sed hoc semper debet aliunde probari vel intelligi.

Sed esto : habebis jam hanc D. Thomae sententiam : « Voluntas humana debet moveri per aliquid activum, tum quod ei exterius repraesentatur, sicut est bonum apprehensum, tum quod in ea interius operatur, sicut est ipse Deus ». Putasne hunc loquendi modum tanto Doctori convenire? Duo jam agentia, quae non solum secundum se, sed etiam in operandi modo et operatione maxime diversa sunt, imo quae toto coelo inter se distant : bonum apprehensum, quod exterius repraesentatur, et gloriosus Deus, qui interius movet, considerantur secundum hanc explicationem sicut unum « aliquid activum ». Essent tamen revera duo activa, singula diverso plane modo, diverso sub respectu ad effectum necessaria. Estne hoc credibile, duo activa adeo heterogenea inter se tam male a S. Thoma in unum confundi?

Ceterum, ut redeamus paullisper ad Tursellinum : non animadvertit R. P. : quando « vel » iteratum pro « tum » iterato apud classicos saepius adhibetur, id non reddere eas particulas simpliciter inter se aequivalentes atque convertibiles, quasi idem jam omnino sint ; sed unae pro alteris poni tunc possunt, quando nihilominus accommodata *distributio* diversorum momentorum vel rerum, quae particulis «vel - vel» nectuntur, servatur, ac retinetur, ut *alterutrum* ad rectam efficiendam sententiam sufficiat, non vero aliter, si propter specialem indolem phrasis « tum » iteratum exprimeret diversorum momentorum vel rerum *necessariam inter se* ad effectum obtinendum *conjunctionem*.

Hoc posterius accideret in sententia S. Thomae modo laudata. Ideo vel secundum ipsas leges linguae latinae atque secundum innatam vim potestatemque verborum falso ibi pro «vel - vel» substitueretur «tum - tum». Recte vero atque sine ulla notabili sensus differentia in hujusmodi sententia has particulas inter se commutares : Humus madescit, vel (tum) quando pluit, vel (tum) quando aqua effunditur (1).

(1) Duo exempla Tursellinus affert ex Ciceronis operibus, ut probet « vel-vel » interdum pro « tum-tum » usurpari. Cicero l. I « de orat. » 58 haec ait : « Cui nostrum non licet fundos obire, *aut res rusticas vel fructus causa vel delectationis invisere* » ? Id. Brutus 96: « Is omnibus exemplo debet esse, quantum in hac urbe polleat multorum obedire tempori, *multorumque vel honori vel periculo inservire* ». Afferuntur hic manifesto sub particulis « vel-vel » eae res atque causae, quae singulae ad propositum finem per se sufficiant ; nequaquam vero conjunctae ambae simul ad eum requiruntur. Nihil ad rem interest, unum an alterum an utrumque simul adsit, modo saltem unum habeatur. Quare hi loci plane contrarii sunt R. P. Dummermuth.

Quocunque ergo nos vertimus nihil solidi in hac probatione R. Patris deprehendimus. At fortasse ea, quae sequitur, probatione tandem evincetur, nos immerito testimonium ex 2, Dist. 39, q. 1, a 1 pro nobis attulisse.

Redit igitur disputatio ad ipsum illud testimonium, de quo proprie agimus, quodque Molinistae ut invictum suae apud D. Thomam sententiae argumentum solent celebrare. At secundum R. P. Dummermuth in hac re decipiuntur, imo suis ipsorum argumentationibus se conficiunt. Sic R. P. Schneemann (p. 66) sua ipsius argumentatione in praeceps agitur, inque opinionem incidit, quae teste D. Thoma proxima est errori fidei.

Videamus, quomodo tantum illius infortunium probetur.

Scribit R. P. Dummermuth (1): « Voluntas potentia, inquit S. Thomas, cum a nobis non sit, sed a Deo, in nobis non potest esse peccatum, sed actus ejus, qui a nobis est ... tam secundum *substantiam actus* quam secundum *determinationem agentis ad actum... et non ab alio determinante...* Et ideo *propriissime actus voluntatis a voluntate esse dicitur* ». Hanc doctrinam R. P. Schneemann, ostendens illum alium Deum esse, sic exponit: « Vult demonstrare S. Thomas, cur peccare voluntas possit ; dicit igitur: *potentiam* voluntatis peccatum esse non posse, quum a Deo sit, non a *nobis ;* actum posse, quippe qui « *propriissime* » sit a nobis, non ab *alio.* Alius igitur imprimis *Deus* intelligitur ». « Ergo », pergit R. P. Dummermuth, « *potentia* voluntatis a Deo est, non *actus.* Evidenter probat Rev. Pater [Schneemann], S. Thomam, in loco objecto (2, dist. 39,q.1, a. 1) de praedeterminatione, qua voluntas physice praemovetur ad actum, ne quidem cogitasse » — quod facile conceditur ; censemus enim, S. Thomam de ea nunquam in hujusmodi quaestionibus cogitasse — « et solum a voluntate excludere voluisse determinationem Dei dantis naturam. Et revera, quatenus Deus *dat* naturam agenti libero, *potentia* voluntatis a Deo est, non vero *actus*, nisi minus proprie ; quatenus autem Deus voluntatem *praemovet* ad actum, *actus* voluntatis *propriissime* a Deo est, imo principalius est ab Ipso, quam a voluntate » — Hoc ultimum a R. Patre Dummermuth loco quodam S. Thomae confirmatur, quo docet S. Doctor, id magis causam actionis esse, cujus virtute aliquid agitur, quam etiam illud quod agit. — « Hinc — verba sunt P. Dummermuth — ubique docet S. Thomas, non solum *potentiam* voluntatis nobis a Deo esse, quatenus dat naturam ; sed etiam *actum* ipsum, quatenus nos *movet* ad agendum, et opinionem contrariam, quae dicit actus peccatorum, *inquantum actus sunt*, a Deo non esse, rejicit tanquam errori propinquissimam ».— Affert R. P. ad hoc confirmandum locum 2, Dist. 37,q.2, a. 2.

Deinde sic scribit : « Manifestum est autem, S. Doctorem non sibi contradicere. Jam vero determinatio voluntatis ad hunc actum, et est actio et est ens. Ergo si hujusmodi determinationis Deus causa non esset, voluntas rationem primi principii haberet ; et aliquod ens esset, quod a Deo non esset, quod repugnat ».

(1) p. 352.

Sed quid tandem R. Pater omnibus his expositionibus consequi vult ? Numquid vult efficere, et P. Schneemann et alios omnes Molinistas contradicere S. Thomae idque in re gravissima, quia contendant, actum, qui peccatum est, *non esse sub omnibus illis rationibus a Deo*, sub quibus est a nobis ? Sane nihil est evidentius, quam S. Thomam hoc nec docere posse nec velle docere ; secus enim, quomodo Deus non esset vere et proprie causa peccati, ut nos sumus ? Et profecto, cur ipse modo R. P. ex doctrina S. Thomae merito distinxit inter peccata in quantum sunt entia et actiones, et in quantum sub alia consideratione spectantur. Ergo peccata nec sub ratione vitalitatis sunt proprie et formaliter a Deo, sed sub hoc respectu formali ab illo solo principio sunt, a quo vitaliter procedunt et quocum vitaliter nexa manent (1) ; nec sunt a Deo sub ratione electionis et determinationis, si stricte et proprie de hac loquimur — hoc supra expositum est ; sed sub ratione entis et actionis a Deo profecto sunt; idque non nos solum, sed omnes nobiscum Molinistae sine exceptione contendunt. Quare quando R. P. Schneemann asseruit , peccatum, ut actus sit, esse a nobis, non a Deo : quomodo id intellexerit, et ex hoc ipso loco S. Thomae et ex omnibus, quae R. P. Schneemann hic et alias disseruit, manifestum est. Affirmavit id de actu peccati, quatenus praecise determinatio vitalis et libera, libera formaliter volitio et electio est, non quatenus ens est et actio. Sic enim peccatum a Deo esse, cum S. Doctore semper et ubique fassus est P. Schneemann ( v. g. p. 3 ) atque omnino contendit. Secus si esset, quomodo ad actum peccati divinum concursum cum omnibus Molinistis requireret ? Concedimus, P. Schneemann distinctius atque accuratius loqui potuisse. Sed nonne ipse S. Thomas illo ipso loco scripsit : « Ideo *propriissime actus* voluntatis *a voluntate* esse dicitur ».

Manet ergo nobis testimonium S. Thomae 2, Dist. 39, q. 1, a. 1, quo nihil est contra praedeterminationes physicas luculentius, totum et integrum. Quoniam autem praecipua omnia argumenta pro praedeterminationibus physicis metaphysicae indolis sunt; si ea vel semel deficiunt, omnino et ubique prostrata jacent. Deficiunt autem prorsus in causa malarum actionum et peccatorum. Ergo neque in causa bonarum actionum actibusque virtutum neque in ullo prorsus actionum genere jam subsistunt. Sunt ergo manentque reprobatae praedeterminationes physicae a S. Thoma, duce Scholae Thomisticae, principe Theologorum, ut ad omnem actionem necessariae. Atque haec de argumento septimo et de R. Patris Dummermuth exceptionibus.

De octavo argumento ex 2, Dist. 25, q. 1, a. 1 ad 3 deque iis, quae R. P. opponit, supra p. 139 sq. sufficienter diximus.

(1) Cfr Billuart « de Peccatis » diss. 1, art. 3, § 1. « Probationes a ratione » 2°.

## ART. VI

### QUAE A R. ADVERSARIO CONTRA TESTIMONIUM EX QST. 6 « DE MALO » ARTICULO UNICO ANIMADVERSA SUNT.

Nonum argumentum atque R. Patris contra ipsum exceptionem (p. 355) ideo tractanda suscipio, quia sic occasionem nansciscar exponendi doctrinam S. Thomae verissimam, qua tamen, nostra quidem sententia R. P. non uno loco (1) abutitur. Attulerat R. P. Schneemann ex qst. 6 « de Malo » art. unico in corpore haec S. Thomae verba : « Deus movet voluntatem secundum ejus conditionem, non ut ex necessitate, sed ut se indeterminate habentem ad multa » Arguerat (2) : « Deus motu suo voluntatis *indeterminationem* non tollit, ergo nec illam determinat ; *indeterminatum* enim idem est ac non determinatum ». Videtur sane perspicuum esse ex hoc loco, secundum S. Thomam per Deum ejusque motum non ad unum coerceri voluntatis indeterminationem, cum Deus voluntatem moveat pro ipsius conditione. *Haec autem voluntatis conditio secundum Angelicum in hac praecise re constituta est, ut sit indeterminate se habens ad multa.* Ergo Deus sua motione naturalem hanc indeterminationem a voluntate non tollit. Non enim naturarum a se conditarum corruptor est Deus ( 1, 2, q. 10, a. 4).

At licet haec apertissima esse videantur, excitavit tamen R. P. Dummermuth ex lib. 1 cont. Gent. cap. 82 post. n. 4. quandam doctrinam Angelici, qua putat, se posse hujus argumenti vim infringere et plane tollere.

Respondet igitur : « *Deus motu suo non tollit indeterminationem*, quae voluntati convenit *ex parte ejus ad quod dicitur*, sed eam integram relinquit : haec indeterminatio opponitur necessitati. *Indeterminationem autem, quae voluntati convenit ex parte sui,* quae importat imperfectionem et potentialitatem, *Deus sua motione aufert* a voluntate : movendo enim voluntatem, eam reducit *de potentia ad actum* ». —

Hoc responsum interna laborare repugnantia, non est negandum. Nam in creatura, et speciatim in voluntate, utique repugnantia loquaris, quando contendas, eam formaliter traduci motione divina de potentia in actum, *et eam tamen « relinqui » ad multa objecta indeterminatam.* Actus enim hujusmodi secundus creaturae, et in specie voluntatis, et in seipso determinatus est et tendit semper ad aliquid prorsus determinatum ; nec ad aliquid indeterminatum et vagum ut sic tendere actus potest (3).

(1) Cfr etiam supra apud P. Dummermuth p. 154 sqq. ad quem nos locum ipse hac pag. 355 remittit ; pag. 340 in nota et iterum pag. 368.

(2) pag. 67.

(3) Sive vel ipsum bonum sive beatitudo in communi, quatenus menti observatur et appetitur, prorsus determinatum objectum est. Cfr ea, quae supra p. 77 in nota ex Thoma de Lemos attulimus.

Cur etiam postulares praedeterminationem physicam *ad unum prorsus determinatum* nisi ita esset ? Et profecto manifesto inter se pugnantia loquaris, quoties asseras, motionem Dei esse praedeterminationem physicam ad unum prorsus determinatum ojectum prorsusque determinatum actum, et nihilominus hanc motionem esse indeterminatam ex parte ejus ad quod dicitur, nec tollere a voluntate indeterminationem in ordine ad illud. Nam praedeterminationes physicae ad unum et sunt essentialiter ipsae determinatae relate ad illud, ad quod dicantur, et voluntatem determinant in ordine ad idem. Sunt enim essentialiter indeclinabiles, insuperabiles potentiae, in qua sunt, ad unum prorsus determinatum determinationes. Et licet hoc ita sit, nihilominus dicas, « Deum motu suo i. e. praedeterminatione physica ad unum non tollere indeterminationem, quae voluntati convenit, ex parte ejus ad quod dicitur, sed eam integram relinquere ». Quid potest manifestius repugnans unquam asseri ?

Ergo motio divina formaliter traducens potentiam in actum, non eam traducit in vagum et indeterminatum actum, qualis in rerum natura nullus esse potest, sed in actum omnino determinatum, quique determinatum omnino respiciat objectum (1). Imo omnis hujusmodi actio transcendentalem habitudinem ad objectum suum dicit, et ex hac interna habitudine ad objectum praecise talis actus est, qualis in rerum natura exstat. Ergo hoc responsum ut sic magni profecto momenti ac ponderis non invenitur.

Age vero, qualis est illa doctrina S. Thomae, cujus R. P. Dummermuth et hoc loco et alias meminit? Docet II. C^a^ Gent. S. Doctor : « Ad utrumlibet esse [ *non* dicitur : ad unum determinatum esse ; de hoc toto loco nihil ] alicui virtuti potest convenire dupliciter : uno modo *ex parte sui* ; alio modo *ex parte ejus ad quod dicitur*. Ex parte quidem sui, quando *nondum consecuta est suam perfectionem*, per quam ad unum determinetur; unde hoc in imperfectionem virtutis redundat, et ostenditur esse potentialitas in ipsa ; sicut patet in intellectu dubitantis, qui nondum consecutus est principia, ex quibus ad alterum determinetur. *Ex parte autem ejus ad quod dicitur*, invenitur aliqua virtus ad utrumlibet esse, quando *perfecta operatio virtutis a neutro dependet*, sed tamen utrumque esse potest, sicut aliquis, qui diversis instrumentis uti potest aequaliter ad idem opus perficiendum. Hoc autem ad imperfectionem virtutis non pertinet, sed magis ad ejus eminentiam, in quantum utrumlibet oppositorum excedit, et ob hoc determinatur ad neutrum, sed ad utrumlibet se habet. Sic autem est in divina voluntate respectu aliorum a se : nam finis ejus a nullo aliorum dependet, cum tamen ipsa fini suo perfectissime sit unita. Non igitur oportet potentialitatem aliquam in divina voluntate ponere ».

Itaque doctrina hujus loci haec est: *imperfectionem et potentialitatem in*

(1) Quomodo porro praedeterminatio physica decretumque hujus praedeterminationis possunt in Deo esse ratio objectiva cognoscendi futura contingentia determinata, nisi in determinatos omnino actus tendunt ? Ita autem ea cognosci a Deo recentiorum Thomistarum unanimis assertio est.

*aliquo ente palam manifestari, quoties ita ad plura indeterminate se habeat, ut ad unum sese determinare non possit, nisi accepto in se incremento quodam actualitatis et perfectionis, saltem physicae.*

Nimirum per perfectionem et actum, quem in se ipso suscipit, ad unum determinatur, et hoc modo se determinans ad unum consequitur in se perfectionem et actualitatem majorem, qua hucusque carebat, saltem physicam; atque hac re manifestatur in ente potentialitas.

Talis igitur determinationis ad unum modus, quem S. Doctor appellat determinationem ex parte sui, est a Deo alienus, utpote qui seipso ac natura sua sit actus purissimus et in culmine omnis actualitatis ac perfectionis constitutus, ita ut non defectu sed superabundantia perfectionis sit ad reliqua bona, quae ipse non est, indeterminatus. Hac enim purissima actualitate et perfectionis suae absoluta et simplicissima consummatione omne bonum in se possidet (sibi unitum habet), nec ullo alio bono a se diverso ullo modo indiget; potest tamen divina voluntas in alia bona, utpote quae sint divinae bonitatis similitudines et eatenus divinae bonitati convenientia, libere pro arbitratu suo tendere. Summa igitur divinae naturae perfectio et super omnia alia bona particularia eminentia efficit, ut circa ea omnia et singula liberrimus exsistat, neve tamen, quando « unum oppositorum praeaccipit », ut in eodem capite S. Thomas loquitur, id fiat cum quodam incremento divinae actualitatis et perfectionis, sed actus ille purissimus, qui est ipsa divina natura, ad omnia haec volenda per seipsum abunde sufficit.

Contra omnino accidit in nobis. Nam quamvis etiam nostra voluntas ideo libera sit erga omnia bona particularia et indifferens quoad singula eorum, quoniam, etsi non omnis boni possessione, attamen ad bonum vel beatitudinem in communi destinatione singula bona superat iisque major exsistit (1), nihilominus se determinare ad aliquod eorum non potest nisi eliciendo et in se suscipiendo novum physice actum, qui essentialiter dicit ad illud bonum particulare habitudinem. In hac ergo re manifestatur vera voluntatis potentialitas.

Quae cum ita sint, patet, R. P. Dummermuth longe a vero aberrare, quando opinatur, in hac doctrina S. Thomae aliquod suae doctrinae praesidium et robur constitutum esse, quasi S. Thomas hoc loco cont. Gent. docuerit, posse hominem determinari in se et ex parte sui physica praedeterminatione ad unum et simul relinqui indeterminatum quoad objectum seu ex parte ejus, ad quod dicitur. Imo proprie et explicite S. Thomas hoc loco de homine nihil habet, sed exponit tantum generales quasdam considerationes, quas deinde ad Deum applicat; quas sane nobis licet, habita debita attentione ad divinae et humanae naturae infinitum discrimen, ad hanc etiam applicare.

Ex dictis patent tria: 1° hunc locum S. Thomae ad praedeterminationes

(1) Cfr q. 6 « de Malo » Art. unic. § « ad evidentiam » et ad 7 ; 1, q. 82, a. 2, ad 2.

physicas nihil omnino pertinere ; 2° quiquid de aliis forte realitatibus sit, saltem praedeterminationes physicas ad unum non talis esse naturae, ut indeterminatae sint ex parte ejus ad quod dicuntur, licet sint determinatae ex parte sui ; 3° esse vero eas talis naturae, ut omnino tollant indeterminationem a potentia, in qua sunt, atque eam actuent et determinent relate ad illum actum illudque objectum, ad quae ipsae dicant essentialem habitudinem. Unde ulterius constat, recte attulisse R. P. Schneemann pro sua sententia illum locum ex q. 6, « de Malo » artic. unico, ubi S. Thomas ait : « Deus movet voluntatem secundum ejus conditionem, non ut ex necessitate, sed ut se indeterminate habentem ad multa ». R. P. Dummermuth vero sua exceptione nihil effecisse. Movet ergo Deus voluntatem secundum S. Thomam sic, ut eam ad unum nec determinet nec praedeterminet, sed ut se indeterminate habentem ad multa.

Longum profecto est et supervacaneum, omnia et singula, quæ R. P. Dummermuth praeterea contra argumenta a P. Schneemann allata congerit et objicit, refutare. Nihil novi affert R. P., sed saepius jam dicta pluries repetit. Ea plane inefficacia esse, repetitis vicibus jam cognovimus ; frequenti vero earundem rerum repetitione vitium ipsis insitum non sanatur.

Et certe, quoniam tota haec controversia, nobis valde injucunda est, et quasi coacti haec scribimus, inter fines quam possumus brevissimos eam coarctamus ; necessaria satis superque sunt explicata.

Ut tamen eluceat, nos nihil substantiale neglexisse, addamus etiam conclusionem recapitulationemque eorum omnium, quae R. P. Schneemann nuper disputavit, quibusque hunc articulum conclusit, et responsionem, quam R. P. Dummermuth ei opposuit (1).

---

## ART. VII

### DIRECTA EX S. THOMA ARGUMENTA RECAPITULANTUR ET CONCLUDUNTUR.

« Concludamus », inquit R. P. Schneemann (p. 69 sui operis), « argumenta. Quia in natura positum est libertatis, ne sit determinata, Deus movet voluntatem « non auferendo ei modum suum, qui in libertate ad utrumlibet consistit », [ sed movet eam secundum conditionem ejus ] (De Ver. q. 6. a. 3, ad 3, et de Malo q. 6 ; a 1), nec igitur eam ad liberos actus determinat, sed in ipsius potestate determinationem relinquit [ constituit ]. (1ª 2ae q. 10, a. 4 ; de Pot, q. 3, a. 7. ad 13 ; 2. Dist. 25. q. 1, a. 1. ad 3 ; etc.). Ergo quum antegressa est motio divina ad agendum necessaria

(1) p. 362 sq.

et reliqua actus praeparatio, voluntatis est agere vel cessare, et in ipsius arbitrio solo positum est, velitne agere necne, quoque velit modo. « Electiones, inquit, sunt in nobis, supposito tamen divino auxilio ». (1ª q. 83, a. 1, ad 4.) Quae potestas ac dominatio voluntatis in actus suos, qua omnis ab alio determinatio excludatur, si S. Thoma utamur auctore, ipsam libertatem, atque adeo omnem actionem humanam constituit (1ª 2ae. q. 1, a. 2 ; 2 Dist. 39, q. 1, a, 1 et a, 2; q. 3. de Pot. a. 7 ad 12 et alibi ) ».

Quid jam ad omnia haec respondet R. P. Dummermuth ? « Conclusio haec latior est praemissis. In omnibus enim testimoniis, quae Rev. Pater [ Schneemann ] attulit, S. Thomas a voluntate semper excludit determinationem per modum naturae vel necessitatis; determinationem vero per modum liberi nullibi rejicit ».

At falsum est, S. Thomam semper a voluntate excludere solam determinationem per modum naturae vel *necessitatis*. Nam saepe *ne meminit quidem determinationis per modum naturae, sed simpliciter omnem prorsus determinationem ad unum ab alio* provenientem a voluntate excludit, quemadmodum intellectum est. Illud « per modum naturae » Rev. Adversarius addere solet de suo, sed perperam, ut vidimus. Cf. v. g. 4 Dist. 49, q. 1, a. 3, qstcl. 4 ad 1 ; 1. 2, q. 10, a. 4 in corp. etc. Deinde quando determinationis per naturam meminit, ita ejus meminit, ut manifestum fiat, *ideo ejus unius D. Doctorem mentionem facere, quoniam ea exlusa alia omnis determinatio aliunde adveniens simul exclusa est;* quippe cum determinatio per naturam in sententia S. Thomae unicus modus sit, quo Deus omnino agentia ad agendum nunc praedeterminet. Denique quod S. Thomas explicationem Thomistarum de praedeterminatione physica agentis per modum liberi non omnino disertis verbis rejiciat, id nihil profecto mirum, quoniam nunquam S. Doctor de hujusmodi assertione, deque hujusmodi praedeterminatione asserenda, ut opinor, cogitavit. Aequivalenter tamen et verbis generalioribus, sed simul directis, frequentissime eam amandavit. Amandavit eam etiam indirecte. De hac re jam dicturi sumus.

# SECTIO QUARTA

## S. THOMAS ALIIS LOCIS PRAEDETERMINATIONES PHYSICAS LIBERAE VOLUNTATIS INDIRECTE QUIDEM, SED NON MINUS CERTO ET MANIFESTO NEGAT.

### § 1

### Discutitur doctrina S. Thomae q. 6 « de Veritate » a. 3.

#### ART. I

#### PRAEDETERMINATIONES PHYSICAS A MENTE AQUINATIS ALIENAS FUISSE HOC LOCO OSTENDITUR.

S. Thomas tractat quasdam *quaestiones ad divinum intellectum atque voluntatem pertinentes*, quae ita comparatae sunt, ut si unquam de physicis praedeterminationibus, quales statuunt Thomistae, ullo modo cogitasset, eas minime illis locis silere potuisset. Attamen non tantum eas non memorat, sed etiam talia pronunciavit, quæ plane ostendunt, eas a cogitandi ratione S. Thomae omnino fuisse alienas.

Atque ut *a quaestione ad divinum voluntatem pertinente exordiar*, quaerit S. Thomas q. 6 « de Ver. ». a 3. «*Utrum praedestinatio certitudinem habeat*». Affirmative sane respondet. At quomodo praedestinatum *certo* possit transmittere Deus in finem vitae aeternae, cum praedestinatus liber sit atque sub praedestinatione maneat liber, id explicare S. Thomae difficile videtur. Quì autem hoc cuiquam ex Thomistis difficile videri potest? Praesto enim sunt praedeterminationes physicae, quibus actus quilibet secundi omnium sine exceptione creaturarum, etiam liberarum, certissime et plane ineluctabiliter producuntur. Si dicas, quod non adeo facile quisquam dicet Thomista (1), cum praedeterminationibus physicis difficulter componi libertatem actionum, respondetur, S. Thomae difficultatem ll. non eam praecise esse, quì cum re ex sese et natura sua infallibi componatur libertas (quamvis si tale quiddam *ex se* infallibile semel admittitur, haec sane gravissima de libertate actionum difficultas statim enascatur), sed ejus difficultatem praecise fuisse hanc, *quì Deus certo et infallibiliter hujusmodi subsidiis, quae omnia et singula de se et propter hominis libertatem deficere ac fallere possunt, hominem in finem salutis aeternae transmittere possit.* Sed ipsum jam S. Doctorem de hac quaestione disserentem audiamus. Ait igitur : « Respondeo dicendum, quod *duplex est certitudo scl. cognitionis et ordinis*. Cognitionis quidem certitudo est, quando cognitio non declinat

(1) Solent enim hi dicere, quamvis physicis prædeterminationibus homines ineluctabiliter et insuperabiliter ad unum moveantur propter efficaciam divinæ virtutis, tamen eos simul libere moveri, cum Deus non tantum moveat ad actum, sed etiam ad modum actus.

in aliquo ab eo, quod in re invenitur, sed hoc modo exsistimat de re, sicut est; et quia certaexsistimatio habetur de re praecipue per causam rei, ideo tractum est nomen certitudinis ab ordine causae ad effectum, ut dicatur *ordo causae esse ad effectum certus, quando causa infallibiliter effectum producit. Praescientia ergo Dei, quia non importat universaliter habitudinem causae respectu horum quorum est, non consideratur in ea nisi certitudo cognitionis tantum* (1); sed *praedestinatio*, quia praescientiam includit, *et habitudinem causae ad ea, quorum est, addit,* in quantum est directio sive praeparatio quaedam: et sic *potest in ea considerari supra certitudinem cognitionis certitudo ordinis, de qua solum certitudine praedestinationis hic quaerimus*: de certitudine enim cognitionis, ipsa inventa, patere potest ex his, quae dicta sunt, cum de scientia Dei quaereretur.

« Sciendum est autem, quod cum praedestinatio sit quaedam providentiae pars, sicut secundum suam rationem super providentiam addit, sic et certitudo ejus super certitudinem providentiae. *Ordo* enim *providentiae dupliciter certus* invenitur. *Uno modo in particulari quando, scl. res,* quae a divina providentia in finem aliquem ordinantur, *absque defectu ad finem illum particularem deveniunt;* sicut patet in motibus coelestibus et in omnibus, quae necessario eveniunt ( al. aguntur ) in natura. *Alio modo in universali*, et non in particulari; sicut videmus in generabilibus et corruptibilibus, quorum virtutes quandoque deficiunt a propriis effectibus, ad quos sunt ordinatae sicut in proprios fines, sicut virtus formativa deficit quandoque a perfecta consummatione membrorum, sed tamen ipse defectus divinitus ordinatur ad aliquem finem, ut patet ex dictis dum de divina providentia ageretur; et sic *nihil potest deficere a generali fine divinae providentiae, quamvis quandoque deficiat, ab aliquo particulari fine*.

« Sed *ordo praedestinationis est certus non solum respectu universalis finis, sed etiam respectu particularis et determinati,* quia qui est praedestinatus, nunquam deficit a consecutione salutis. *Nec tamen hoc modo certus est ordo praedestinationis sicut ordo providentiae: quia in providentia ordo non erat certus respectu particularis finis, nisi quando causa proxima necessario producebat effectum suum; in praedestinatione autem invenitur certitudo respectu singularis finis: et tamen causa proxima, scl. liberum arbitrium, non producit effectum illum nisi contingenter. Unde difficile videtur concordare infallibilitatem praedestinationis cum* libertate arbitrii. Non enim potest dici, quod praedestinatio supra certitudinem providentiae nihil aliud addit nisi certitudinem praescientiae, ut si dicatur, quod Deus ordinat praedestinatum ad salutem, sicut et quemlibet alium, sed cum hoc de praedestinato scit, quod non deficiet a salute; sic enim dicendo non diceretur praedestinatus differre a non praedestinato ex

(1) Numquid hoc omnino Neo-Thomisticum: « Praescientia Dei non importat universaliter habitudinem causae respectu horum, quorum est » ? Secundum Neo-Thomistas vero, quaecunque futura Deus scit, ideo scit, quia ipse ea causat.

parte ordinis [i. e. ordinationis], sed tantum ex parte praescientiae eventus, et sic praescientia esset causa praedestinationis, nec praedestinatio esset per electionem praedestinantis, quod est contra auctoritatem scripturae et dicta Sanctorum. *Unde praeter certitudinem praescientiae ipse ordo praedestinationis habet infallibilem certitudinem, nec tamen causa proxima salutis ordinatur ad eam necessario, sed contingenter scl. liberum arbitrium.*

« Quod hoc modo potest considerari. Invenimus enim *ordinem compossibilem esse respectu alicujus dupliciter.* Uno modo in quantum *una causa singularis producit effectum suum* ex ordine divinae providentiae ; *alio modo* quando *ex concursu causarum multarum contingentium et deficere possibilium pervenitur ad unum effectum ;* quarum unamquamque Deus ordinat ad consecutionem effectus loco ejus quae deficit, vel ne altera deficiat ; sicut videmus quod omnia singularia unius speciei sunt corruptibilia, et tamen per successionem unius ad alterum potest in eis secundum numerum salvari perpetuitas speciei, divina providentia taliter gubernante, quod non omnia deficiant uno deficiente : et hoc modo est in praedestinatione ; *liberum enim arbitrium deficere potest a salute ; tamen* in eo, quem Deus praedestinat, *tot alia adminicula praeparat*, quod vel non cadat, vel si cadat, quod resurgat, sicut exhortationes et suffragia orationum, donum gratiae et alia hujusmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad salutem. Si ergo consideramus salutem respectu causae proximae, scl. liberi arbitrii, non habet certitudinem, sed contingentiam ; respectu autem causae primae, quae est praedestinatio, habet certitudinem ».

Hanc doctrinam D. Thomae plura continere momenta, quae pugnant cum placitis Thomistarum, conveniant vero, quidquid contradicit R. P. Dummermuth aliique Thomistae, cum sententia nostra, facile intelligitur. Quid enim ? *Recurretne* unquam aliquis Thomista, ut ostendat, quomodo Deus, non obstante hominis libertate, eum ad finem salutis aeternae dirigere infallibiliter possit, *ad multitudinem et varietatem auxiliorum,* quae in thesauro divinae sapientiae continentur ; non vero recurret ad physicas praedeterminationes, quae unae in sententia Thomistarum omnia in hac quaestione explicant, et sine quibus ex eadem sententia in eadem quaestione nihil explicatur ? Praeterea secundum S. Thomam, *quaecunque Deus adhibet* ad effectum salutis in praedestinato efficiendum *adjumenta, ea singula possunt deficere.* Assertioni huic recentior Thomista acquiescere nullo pacto potest. Nam quod secundum ipsum inter omnia eminet adjumentum, quo Deus utitur ubique et semper, quoties certum a creatura actum impetrare vult, et sine quo eum impetrare absolute non potest, praedeterminatio physica, ejusmodi per se naturae est, ut plane repugnet, id unquam deficere. — Qui hic non viget manifesta contradictio apertaque pugna inter magistrum ejusque recentiorem discipulum ? qui non summa consensio inter S. Doctorem et Molinistas ?

Et haec quidem duo momenta satis directe sententiae, quae praedetermi-

nationes physicas tuetur, adversantur. Continetur autem in textu aliud etiam tertium quoddam momentum, quod etsi minus directe, indirecte tamen causam nostram multum juvat.

---

## ART. II

### ELEMENTA DOCTRINAE DE SCIENTIA MEDIA AB IPSO S. THOMA FUISSE PRAEPARATA EX EODEM LOCO ELUCET.

Sciunt omnes, quam arcte inter se cohaereant pugna illa contra physicas praedeterminationes Thomistarum, quas humanae libertati fatales esse opinamur, et doctrina de scientia, quam primus Molina mediam appellavit. Quid igitur ?

Dicemusne, S. Thomam quemadmodum q. 6 « de Veritate » a. 3. virtualiter negavit praedeterminationes physicas, ita hoc loco perspicue tradidisse ipsam scientiam mediam, qua directrice Deus in formandis decretis praedestinantibus atque ipsis exsequendis utatur? Id non dicemus; *contendimus vero, a S. Thoma hoc ipso loco clare praeformatum esse illud systema Molinae de scientia media ejusque quasi elementa et prima fundamenta esse praeparata* (1).

Numquid enim Deum ad instar artificis alicujus incerte tentantis nobis fingemus, qui modo unum applicet instrumentum, deinde postquam conatus non feliciter successit, alterum, tum tertium et ita porro? An fingemus aliud quidpiam, quod usu experti minime sumus, Deum quasi obruere hominem omni genere auxiliorum, ut certum quendam salutis effectum ab eo tandem impetret? Haec et alia hujusmodi fingere, quorum ceteroquin vel sic effectus incertus est, nisi insuper certam in Deo praevisionem de effectu secuturo supponamus et addamus, Deo ejusque majestate plane indignum est. Si vero, prouti oportet, certam *praevisionem* effectus vel effectuum, qui revera adhibitis subsidiis de se indifferentibus consequentur, in Deo esse supponamus; quid facimus aliud nisi Deo scientiam, quam Molina mediam appellavit, adscribimus?

Atque hac ratione scientiam mediam reapse Deo adscribi, jam demonstrandum est. Est igitur scientia media certa cognitio et (quasi) intuitiva praevisio Dei, quid libera creatura actura sit vel electura, *si* in certis ad agendum omnino sufficientibus ponatur conditionibus. Requiruntur igitur, ut scientiae mediae locus sit, tria: *a*) ut agatur de libera causa, *b*) ut conditiones, in quibus libera causa supponitur versari, ita comparatae sint, ut eam perfecte quidem ad agendum potentem et expeditam reddant, attamen simul *c*) eam ad hoc, num agere velit necne, quidque velit agere, simpli-

(1) Idem jam alii PP. et DD. fecerunt, quemadmodum supra notavimus.

citer indifferentem atque indeterminatam relinquant. Jam vero si ea, quae hic S. Thomas generali quadam ratione ad propositae difficultatis solutionem attulit, perficimus et perpolimus, si digna Deo, qui ad effectum certum infallibiliter consequendum adjumenta de se indifferentia et de se incerti effectus adhibeat, cogitare volumus; si id volumus attribuere Deo, quod unum summae ejus majestati consentaneum est: ut etiam quando adhibeat adjumenta de se indifferentia et incerti eventus, ipse tamen, quem eventum revera habitura sint, clarissime et certissime perspiciat, non possumus non adscribere Deo eam notitiam, quam novo nomine, re non novam, Molina scientiam mediam vocavit, quippe quae media quodammodo sit inter illam scientiam, quae in Deo prorsus naturalis et necessaria est nec alio modo se omnino habere potuit, atque alteram, quae ipsius Dei liberis decretis tota innititur, quamque liberam appellant. Haec enim notitia, quoniam de se non decretis divinis, nisi hypotheticis ex parte objecti se tenentibus innititur, ad hanc alteram non potest revocari; nec quia aliter se habere potuit, atque se de facto habet, utpote quae dependeat a libera determinatione creaturae intellectualis in certis conditionibus eventura, ad priorem scientiam perfecte pertinet. Aliqualiter tamen ad hanc quam ad illam propinquius accedit, quia nullo quidem modo liberis Dei decretis regitur, supposita vero objectiva veritate, quod, conditione posita, (*si* conditio ponatur), libera creatura sese reapse ita sit determinatura, ex infinita perfectione divini intellectus necessario in eo invenitur (1).

Itaque putamus recte et prorsus ex mente S. Thomae Molinam disp. 1. ad qst. 23. membr. 11 conclusione secunda haec scripsisse: «Licet *adultus ita praedestinatus certo*, hoc est, absque ulla Dei deceptione *vitam aeternam consequetur, certitudo tamen non est ex parte mediorum effectusque praedestinationis, sed ex parte divinae praescientiae,* qua Deus altitudine illimitataque perfectione sui intellectus, supra id quod natura rei habet, certo cognoscit, praedestinatum taliter pro sua libertate cooperaturum per suum arbitrium, ut iisdem mediis in vitam aeternam, re ipsa debeat pervenire; cum tamen, si velit, possit reipsa ita operari, ut neque ea media [scl. qua efficacia ad salutem] effectusque praedestinationis in rerum natura exsistant, neque ipse in vitam aeternam perveniat».

At haec doctrina adversatur manifestae doctrinae D. Thomae hoc ipso loco «de Veritate» traditae. Ita occurrit P. Dummermuth (2). Nam secundum hunc locum «praedestinatio certa quidem est, inquit R. Pater, certitudine praescientiae, verum de hac certitudine non inquirit S. Thomas. Quaerit ipse, an praedestinatio certa sit certitudine causalitatis seu ordinis causae ad effectum; videlicet an Deus effectum praedestinationis certo et infallibiliter [media causa de se indifferenti] producat et efficiat».

Interposui «media causa de se indifferenti» atque de se fallibili; in hac enim re totam quaestionem et difficultatem D. Thomae hic versari, ex lo-

(1) Cfr ea, quae supra de scientia media disputavimus. p. 57 sq.
(2) p. 383.

co ipso manifestum est. At censui ego, inquies, cum Molina, connexionem infallibilem effectus salutis cum medio de se indifferenti et fallibili repetendam esse a divina praescientia, *cum tamen S. Thomas aperte fateatur et dicat, aliam omnino quaestionem esse, quando quaeratur de certitudine divinae cognitionis atque praescientiae, aliam prorsus, quando quaeratur de certitudine ordinis seu divinae ordinationis*, qua hominem praedestinatum cum infallibili certitudine in finem salutis aeternae transmittit. De una autem hac ordinis certitudine hoc loco quaerit.

Est ita. Puto tamen, R. P. animadvertere potuisse, ut reapse alibi (1), animadvertit, quamnam scientiam a praesenti consideratione exclusam velit S. Thomas. *Omnem profecto scientiam ab ea exclusam velle non potuit.* Cum enim de decretis divinis concipiendis agatur, quibus certissime in finem salutis diriguntur omnes praedestinati, directricem sane scientiam ab hac consideratione excludere non potuit. Nec enim omnino velle nec profecto prudenter velle quisquam rem ullam potest nisi praelucente notitia rerum, circa quas voluntas volitioque versatura est. Necesse autem est, ut haec directrix notitia in Deo, ut cetera omnia, sit perfectissima. Ergo eam S. Thomas certe non exclusam voluit ab hac disputatione, sed eam includit et plane praesupponit (2).

*Scientiam* vero *visionis*, quatenus haec decretis divinis liberis circa creaturas innititur atque adeo ea consequatur, plane *exclusam esse voluit* atque ad alium locum transmittit.

Quod sic esse, ipsis verbis articuli luculenter indicatur: « Non potest dici, inquit S. Doctor, quod praedestinatio *supra certitudinem providentiae nihil aliud addit nisi certitudinem praescientiae,* ut si dicatur, quod Deus ordinat praedestinatum ad salutem sicut et quemlibet alium, sed *cum hoc de praedestinato scit, quod non deficiet a salute ;* sic enim dicendo non diceretur praedestinatus differre a non praedestinato ex parte ordinis, sed tantum *ex parte praescientiae eventus ;* et sic praescientia esset causa praedestinationis, nec praedestinatio esset per electionem praedestinantis ». Haec omnia sane ad scientiam visionis, prouti consequitur divina decreta circa creaturas, manifesto pertinent.

Quod iterum colligi potest ex verbis S. Thomae superioribus : « Et sic potest in praedestinatione considerari supra certitudinem cognitionis certitudo ordinis ; de qua solum certitudine praedestinationis hic quaerimus ; de certitudine enim cognitionis, *ipsa inventa* [scl. ordinis certitudine] patere potest ex his, quae dicta sunt, cum de scientia Dei quaeretur ». Ergo a consideratione ea sola praescientia atque cognitio divina excluditur, quae stabilitam certitudinem ordinis decretaque divina sequitur. Quae profecto est scientia visionis.

Contra Molina de ea sola praescientia locutus est, quae non est scientia visionis circa creaturas, quemadmodum liquet ex prima ejus conclusione ;

(1) Cfr. Dummermuth p. 401.

(2) Cfr. infra p. 176, ubi ostendetur, talem scientiam S. Thomam aperte professum esse.

quae haec fuit : « Ratio ordinis et mediorum, quibus Deus *per scientiam naturalem et mediam* inter liberam et naturalem, *praevidet* creaturam aliquam mente praeditam perventuram ad vitam aeternam, *cum proposito determinationeve divinae voluntatis ex parte sua id executioni mandandi,* est praedestinatio talis creaturae ». Quomodo vero, si quidem haec adeo aperta sunt, R. P. Dummermuth de manifesta pugna inter D. Thomam et P. Molinam loqui potuerit, plane nos fugit, nisi forte R. P. nullo modo attendens ad sententiam, quae subest verbis, sola quadam specie contradictionis in cortice verborum oblata deceptus fuit. —

At nonne fassus est Molina II. in membro 12, se timere, ne a sententia S. Thomae hoc loco discordet? Certe id fassus est, sed de alia prorsus quaestione. Veritus est nimirum, ne hic subindicetur a S. Doctore sententia illa, secundum quam Deus Angelos et homines ad gloriam vitae aeternae ante omnem meritorum praevisionem absolute praedestinaverit; quae profecto quaestio a nostra est prorsus diversa. Lege ipsum.

Hucusque ergo R. Pater attulit nihil, quo S. Thomae doctrinam opponi doctrinae Patris Molinae edocuit. At nondum finita est causa.

Reprehendit jam R. Pater p. 391 sq. alia quaedam in doctrina Molinae. At primo animadvertendum, quae ibi subtilius a Molina disputata sunt, ea parum aut etiam nihil cum causa principali et quam unam agimus cohaerere. Secundo R. P. in exscribendis Molinae verbis non est admodum diligens. Tertio licet ea quaestio in utramque partem disputari forsitan possit, verius tamen et securius, ut opinor, sententia a Molina ibi tradita negatur. Concedo igitur, Molinam non satis recte ibi locutum esse (1).

(1) Addantur haec : S. Thomas lect. 9 in cap. 9 Epist. ad Romanos hoc elocutus est : « Manifestum est, *quod omne Dei beneficium, quod homini confert ad salutem, est praedestinationis effectus.* Divinum autem beneficium non solum extendit se ad infusionem gratiae, qua homo justificatur, sed *etiam ad gratiae usum. . .* » Enuntiavit item 1, q. 23, a. 5 hoc : « Si igitur aliquid aliud ex parte nostra sit ratio praedestinationis, hoc erit praeter effectum praedestinationis. *Non est autem distinctum, quod est ex libero arbitrio et ex praedestinatione*, sicut nec est distinctum, quod est ex causa secunda et causa prima ». Ex his concludit R. Pater : « Igitur juxta S. Thomam, quidquid ex parte liberi arbitrii se tenet, computandum est inter effectus gratiae et praedestinationis ». Recte quidem et vere. At num aeque vere id, quod de Molina jam affirmat? « Oppositum, inquit, tenet Molina in sua Conc. q. 23, a. 4 et 5, disp. 1, Membr. 11, p. 502) : « Examinandum restat, [Molina] inquit, *utrum bonus usus, spectatus ut praecise emanat ab arbitrio ipso, suaque innata ac naturali libertate,* ex quo capite habet, ut usus liberi arbitrii dicatur, tametsi quod supernaturalis sit, aliunde habeat, *dicendus sit effectus praedestinationis.* Nos dicimus, *ex eo capite non habere, quod effectus sit praedestinationis, eoque modo praecise spectatum, computandum non esse inter effectus praedestinationis,* sed esse id, quod se tenet *ex parte praedestinati et quod Deus ab illo exigit,* ut Deo ipso per suam aeternam praedestinationem effectusque omnes temporales illius praecipue cooperante perducenteque illum in vitam aeternam, adultus quoque ipse libere consentiat et cooperetur ». —

Haeccine tantum atque hoc modo docuit Molina ? Audiamus, quomodo et quae II., non membro 11, ut est apud P. Dummermuth, sed membro 9, docuerit. « Ex his omnibus, inquit, illud in primis non obscure deducitur, *totum et singulas partes ejus supernaturalis usus liberi arbitrii,* qui in integro effectu praedestinationis adulti includitur. . . *habere duas causas liberas,* et a qualibet earum tanquam a parte unius integrae causae pendere. Prior *et praecipua* [*i. e. superioris essentialiter ordinis*] *Deus est, qui per sua dona, concursum, auxilia cooperatur totum illum bonum usum et singulas illius partes.* Posterior et minus praecipua [inferioris ordinis], ipsum arbitrium, quod libero suo influxu ad eundem supernaturalem suum usum et singulas ejus partes cooperatur. Quamobrem quemadmodum totus et singulae partes a Deo pendent et efficiuntur, ita etiam a libero arbitrio.

Quae vero R. Pater p. 393 sq. contra Molinam disseruit, ea plane digna sunt, quae a nobis et accurate inspiciantur et diligenter perpendantur. Ait igitur: « Haec [scl. quae Molina de dependentia praedestinationis a scientia media disputavit] omnino aliena esse a doctrina S. Thomae ex dictis satis constat: unum tamen argumentum, quo Molinae sententia funditus evertitur, adjungere placet. Desumitur ex illo eodem articulo 3 quaest. 6 de Ver., in quo videt R. P. Schneemann, S. Thomam cum Molina consentire. Contra propriam sententiam sequenti modo arguit S. Doctor n. 4: « Praedestinationis certitudo ad effectum est cum praesuppositione causae secundae. Sed omnis certitudo, quae est cum suppositione alicujus, non est certitudo absoluta, sed conditionalis; sicut non est certum si sol causet fructum in planta, nisi cum hac conditione, si virtus generativa in planta fuerit bene disposita; propter hoc quod dispositio solis ad effectum praedictum praesupponit virtutem plantae quasi causam secundam. Si igitur certitudo praedestinationis sit cum praesuppositione secundae causae, non est certitudo absoluta sed conditionalis tantum; sicut in me est certitudo, quod Socrates movetur, si currit; et quod iste salvabitur, si praeparabit se ».

« *In systemate Molinae, addit R. P. Dummermuth, praedestinationis certitudo ad effectum est cum praesuppositione causae secundae, voluntatis scl. libere consentientis, a qua dependet: non enim ipsamet praedestinatio ut causa infallibiliter consensum liberae voluntatis producit, sed eum per scientiam mediam praevisum supponit:* « Seclusa certitudine praescientiae, ait Molina, nulla est certitudo in mediis effectuque praedestinationis » etc.

Duo hic nobis praestanda sunt: 1° diligenter indaganda doctrina S. Thomae hoc loco; 2° respondendum ad ea, quae R. Pater ex ea doctrina vult contra nos statuere. Primum illud ut quam accuratissime fiat, objectioni a

« Sicut item si Deus supernaturaliter in eum et in singulas illius partes nollet influere, omnino non essent; ita si arbitrium, ut potest, in singulas partes non cooperaretur, penitus non essent. . . Si ergo bonus usus supernaturalis arbitrii et singulae ejus partes spectentur, ut praedicto modo a Deo tanquam a quadam parte totius causae proficiscuntur, *bonus usus liberi arbitrii includitur in integro effectu praedestinationis adulti tanquam pars quaedam illius.* Si vero spectetur, *ut praecise* ab arbitrio creato emanat tanquam ab altera [non praecipua sed inferiore essentialiter] parte integrae illius causae, habet se ex parte praedestinati, estque id, quod Deus ab eo exigit, ut cooperetur etiam ad salutem dignusque praemio aeterno per propria merita, *quae dona etiam sunt Dei*, efficiatur ».

Hoc oppositum esse ejus, quod S. Thomas supra docuit, non video. Nam etiam Molina vult, usum ipsum gratiae liberique arbitrii praecipue esse a Deo praedestinante; esse vero etiam, sub quodam respectu, ab homine, quatenus praecise a libero arbitrio emanat. In qua distinctione aliquid utique veri continetur; siquidem homo ad opera supernaturalia etiam aliquid de suo confert, non quidem quatenus hoc praecise suum et naturale tantum est, sed prouti subest influxui gratiae, et nobilitatus et elevatus gratia cum gratia simul influit in opus salutare: non enim ipsi soli operamur in operibus supernaturalibus et meritoriis sed gratia Dei nobiscum. Verum autem simpliciter hoc est, indolem liberi atque voluntarii non competere operi salutari et meritorio praecise a gratia et ex gratia nec esse ipsam praecise ut sic effectum praedestinationis, sed eam competere actui a voluntate et a connaturali modo agendi liberi arbitrii. Cfr. Molina « Concord. » ad q. 14 a. 13 disp. 12 § « Illud postremo » disp. 30 § « Dicendum ».

S. Thoma modo prolatae eam, quam subjungit responsionem, statim apponemus. Ait: « Ad quartum dicendum, *quod secunda causa, quam oportet supponere* ad inducendum praedestinationis effectum, *etiam ordini praedestinationis subjacet;* non autem est ita in virtutibus inferioribus respectu alicujus superioris virtutis agentis: *Et ideo ordo divinae praedestinationis, quamvis sit cum suppositione voluntatis humanae, nihilominus tamen absolutam habet certitudinem, etsi in exemplo inducto contrarium appareat* ».

Jam objectionem a S. Thoma factam syllogismo comprehendamus, deinde ei more nostro responsionem D. Thomae per modum distinctionis adjungamus, et sic prorsus clare, quid S. Thomas hoc loco docuerit, elucebit.

Objectio est haec:

*Certitudo* ipsius praedestinationis ad effectum praedestinationis obtinendum *est cum praesuppositione causae secundae* i. e. cum praesuppositione effectus liberi et contingentis a causa secunda libera aliquando ponendi (« si praeparaverit se »). Jam vero certitudo, quae a praesuppositione effectus ejusmodi causae dependet, quae deficere in agendo potest, non absoluta est, sed conditionata. Ergo certitudo praedestinationis est conditionata tantum, non absoluta.

Quomodo jam hanc difficultatem D. Thomas solvit? Respondet, majorem concedendam esse, hoc scilicet sensu, ut quamvis aliquo saltem modo effectus liberae causae certitudini praedestinationis ad effectum suum obtinendum praesupponatur, ipse idem hic effectus nihilominus ex altera parte ordini et dispositioni praedestinationis plane subjaceat. « Ad quartum dicendum, quod *secunda causa, quam oportet supponere ad inducendum praedestinationis effectum, etiam ordini praedestinationis subjacet: et ideo ordo divinae praedestinationis, quamvis sit cum suppositione voluntatis humanae, nihilominus tamen absolutam habet certitudinem* ».

Unde jam minorem hoc modo oportet distinguere: certitudo, a praesuppositione effectus causae, quae absolute in causando deficere potest, dependens non potest esse certitudo absoluta, sed est conditionata tantum: verum id esse conceditur, *si* is, qui aliquo modo ad dispositionem et ordinationem causae superioris praesupponitur effectus inferioris causae et contingentis, *nullo modo omnino subsit* potestati et ordinationi causae illius superioris et ordinantis; non conceditur, id esse verum, si is effectus *alia quadam via vere et proprie in potestate et ordinatione causae illius superioris plene sit constitutus.* Quod posterius cum respectu ejus effectus, quem divina praedestinatio ad effectum proprium consequendum in libera causa supponit, locum habeat, consequens et consequentia neganda sunt. *Licet ergo certitudo praedestinationis praesupponat ad effectum liberum cooperationem causae secundae, quae deficere possit, tamen certitudo haec absoluta est et non solum conditionata.*

Hanc quam attulimus distinctionem sensum responsionis S. Thomae plene reddere, quivis videt, opinor. Nam quod alicui causae praesupponitur, id saltem quatenus praesupponitur ei, ab ea dependere non potest.

Ergo si certitudini praedestinationis, atque ita etiam ipsi praedestinationi actuique praedestinanti praesupponitur operatio salutaris et libera causae secundae liberae, non potest ipsa haec eatenus praecise, quatenus praedestinationi divinae supponitur, ab actu et decreto praedestinanti dependere, sed debet eo aliquo saltem modo prior esse. *Ergo secundum S. Thomam aliqua debet esse via et ratio, sub qua operatio salutaris liberae creaturae prior est decreto praedestinanti ; simul vero eandem operationem secundum eundem S. Thomam oportet ordini sive ordinationi praedestinationis plene subjacere.* Debet ergo esse aliqua via et aliqua ratio, sub qua eadem actio est praedestinatione prior, aliqua, sub qua ea est posterior. Huc fertur revera S. Thomae inquisitio.

Atque nunc jam quaeritur hoc unum, in quonam systemate haec duo simul vera sint, scl. quod eadem operatio liberae creaturae sit una via et una ratione prior decreto Dei praedestinanti et ei supponatur, et altera via et altera ratione sit decreto eodem posterior eique subjaceat? Numquid in systemate Thomistarum an in nostro id obtinet? Porro in systemate Thomistarum salutaris creaturae operatio est omni modo et omni via, fatentibus id cunctis, decreto Dei praedestinanti et praedeterminanti posterior ; in nostro vero systemate, quod scientia Dei media tanquam fundamento utitur, est ea evidenter uno quidem modo et sub una consideratione decreto Dei praedestinanti (etsi non praedeterminanti sensu Thomistico) prior eique praesupponitur ; alio vero modo et sub alia consideratione posterior est eique plene subjacet. Prior etenim est, ut est actio conditionate praevisa a Deo scientia media, posterior est, ut est actio absolute praevisa a Deo scientia visionis. In nostra igitur ratione assertiones D. Thomae veritatem habent ; non habent veritatem, sed aperte contradicunt, in ratione recentiorum Thomistarum.

Differentia inter id, quod D. Thomas hic docuit, et id, quod modo ipsi asseruimus, una hac re continetur : S. Thomas contentus fuit extulisse, eandem salutarem actionem debere esse una via et certa quadam ratione praedestinanti decreto priorem, alia via et alia ratione debere eo esse posteriorem atque in ejus plena potestate constitutam ; nos vero, seu potius Molina, clare jam indicamus, quomodo id locum habere possit : Ergo inter doctrinam D. Thomae et nostram una haec differentia invenitur : quod S. Thomas indeterminate et quasi in genere asseruit, id Molina elaboravit, et clare et plane determinate quasi in specie, quomodo sit, enuntiavit. Hic autem verus progressus est doctrinae, non est S. Thomae doctrinae eversio vel depravatio.

Imo alius quidam apud S. Thomam locus invenitur, ubi ipse, quod Molina postea tradidit, satis clare professus est. Locus exstat in Qdlib. 11, a. 3 in corp. — Cfr 3, q. 1, a. 3 ad 4 ; *ibid.* a. 5 ad 2 ; Qdl. 12, a. 3 ad 2 et alia quae infra disseremus. —

Ait S. Doctor II : « Respondeo dicendum, quod praedestinatio certitudinem habet, et tamen necessitatem non imponit. In praedestinatione enim

tria sunt consideranda : *Quorum duo praesupponit ipsa praedestinatio, scl. praescientiam Dei* [haec est igitur ordine *prima* atque ceteris praesupponitur] et dilectionem i. e. voluntatem, qua vult praedestinatum salvare [decretum praedestinationis], et tertium est ipsa praedestinatio, quae nihil aliud est, quam directio in finem, quem vult Deus rei dilectae.

« Quodlibet autem horum trium certitudinem habet, et tamen necessitatem non imponit. Et quod praescientia divina certitudinem habeat, patet. *Deus enim cognoscit res nobiliori modo quam nos cognoscimus.* Nam cognitio nostra est in tempore, et ideo intuitus noster respicit res secundum rationem temporis, scl. praesentis, praeteriti et futuri, ut scl. cognoscat praeterita, ut praeterita, praesentia ut praesentia, futura ut futura, et certitudinaliter. Cognitio vero divina est supra tempus et mensuratur aeternitate solum ; et ideo non cognoscit res prouti sunt in tempore, *sed prouti sunt in aeternitate scl. prout praesentia*, et hoc tam necessaria quam contingentia : *unde omnia cognoscit tanquam praesentia in sua praesentialitate. Cum ergo intellectus noster certitudinaliter cognoscit praesentia, multo magis Deus omnia sibi praesentia certitudinaliter cognoscit : ex quo nulla necessitas rebus cognitis inducitur* ».

Hic ante omnia nota : In decreto praedestinante concipiendo secundum S. Thomam hunc ordinem esse in Deo, ut prima omnium veniat ceterisque omnibus praedestinationis momentis praesupponatur quaedam actuum liberorum et salutarium per Deum *prae*visio. « In praedestinatione, inquit, tria sunt consideranda, quorum duo praesupponit ipsa praedestinatio : scl. praescientiam Dei et dilectionem... et tertium est ipsa praedestinatio ».

Jam illud explorandum, de quanam hic Dei praevisione sermo esse possit. Atque certe hic non agitur de ea scientia Dei, quae decreta Desupponit, seu de scientia visionis. Nam scientia, de qua agitur, decreta divina antecedit iisque praelucet concipiendis. Nec sermo esse potest de scientia seu cognitione simplicis intelligentiae. Hac enim nullo modo *futura prae*videntur, sed quae ab aeterno necessaria sunt, secundum esse actuale vel possibile, a Deo cognoscuntur. Ergo unum reliquum est, ut dicamus, S. Thomam hic asseruisse, futurorum contingentium quandam praevisionem in Deo, quae, quoniam decretis Dei anterior est iisque praelucet concipiendis, actiones liberas aliquando reapse futuras, ut reapse futuras, pro objecto habere non potest. Habet tamen easdem actiones futuras, at nondum ut *reapse* aliquando futuras, pro objecto. Quodsi ita est, quis potest negare, a S. Thoma hic illam praevisionem futurorum contingentium satis clare indicatam esse, quam postea Molina scientiam mediam appellavit? Haec enim scientia actiones futuras liberas in signo priore attingit, quam decretis divinis ad ordinem *futurorum contingentium* transferuntur.

Quod ut plene intelligatur, attendendum est ad hoc : contingentia libera, quae aliquando reapse futura sunt, et quae propterea *futura contingen-*

*tia* merito vocantur, posse in duplici quasi statu et conditione considerari : in conditione, in qua sunt ante decreta divina realiter concepta, (quibus demum decretis transferuntur a statu merae possibilitatis ad statum exsistentiae realis in aliqua temporis differentia obtinendae) et in conditione, in qua sunt vi decretorum, quibus jam suo modo ad statum exsistentiae translata sunt, et vere ac proprie *futura* contingentia vocantur ; cum ante potius ad ordinem *conditionate* futurorum pertinuerint. In priore igitur statu haec futura contingentia habent exsistentiam tantum hypotheticam, et quae ea in hac conditione attingit scientia Dei, est illa ipsa Dei cognitio, quam Molina postea appellavit scientiam conditionatam vel mediam. In posteriore vero statu versantur, ut habentia aliquando in aliqua temporis differentia exsistentiam realem et actualem : atque ea, quae circa ipsa sic versatur scientia Dei, est scientia visionis. Cum ergo S. Thoma laudato Qdlib. 11 talem scientiam affirmet in Deo esse circa futura contingentia, quae ipsa attingit in statu priore, sane clarissime, quod ad ipsam rem attinet, scientiam mediam Molinae indicavit.

Hoc ergo nobis constet, S. Thomam adeo non adversarium fuisse scientiae mediae, ut ipse eam clare asseruerit vel saltem indicaverit ; ipsum scilicet non omnem certitudinem divinae scientiae circa eventum futurum liberum a decretis divinis derivasse, sed eam sub quodam respectu aliunde proficisci supposuisse ; ipsum proinde se hoc iterum modo recentioris Thomismi adversarium, nostri systematis fautorem praestitisse. Nam apud Thomistas adaequata objectiva ratio, cur Deus futura contingentia certo et determinate cognoscat, sunt decreta praedeterminantia.

Objicies, ex consequentibus apparere, nos falso interpretatos esse locum laudatum S. Thomae. Etenim explicans, quomodo haec praescientia, quamvis certissima sit, causis liberis necessitatem non imponat, de una scientia visionis loquitur. Ait enim : « Et quod praescientia divina certitudinem habeat, patet. Deus enim cognoscit res nobiliori modo quam nos cognoscimus. Nam cognitio nostra est in tempore... Cognitio vero divina est supra tempus et mensuratur aeternitate solum ; et ideo non cognoscit res prout sunt in tempore, sed prout sunt in aeternitate scl. prout praesentia... : unde omnia cognoscit tanquam praesentia in sua praesentialitate ».

Respondemus, manifestum esse, in initio articuli S. Thomam de scientia visionis non esse locutum, sed de alia scientia, quae decreta praedestinantia praecedat et directrix sit in his decretis circa liberas creaturas efformandis. — Quare tota jam difficultas ad hanc quaestionem revocatur, qui ea, quam Deus habet de liberis futuris actibus creaturarum scientiam visionis in aeternitate et in ipsorum singulorum praesentialitate [ « prouti sunt praesentia » ], adhiberi a S. Thoma potuerit ad illustrandam hanc quaestionem : cur illa praescientia decretis anterior, licet sit absolute certa, nihilominus causis liberis necessitatem non imponat.

Ad hanc autem difficultatem responsio facilis est, dummodo unum attendatur : scientiam scilicet visionis de liberis futuris actibus non esse aliud

quidquam nisi ipsam illam priorem scientiam | scientiam mediam |, quatenus decretis divinis in absolutam transiit. Si ergo scientia visionis, quae impletis omnibus ad agendum requisitis conditionibus circa actiones liberas reapse aliquando futuras versatur, licet sit certissima, propter modum tendendi et attingendi suum objectum libertatem ab eo non aufert, sed potius in eo supponit: etiam illa alia scientia | media scl. |, quae nondum impletis illis conditionibus circa idem objectum versatur, licet sit certissima, libertatem a suo objecto auferre non potest. Attingit enim utraque scientia objectum suum, liberam actionem, eodem modo scl. in facto esse — « prouti praesens est » — illa absolute, haec hypothetice, illa in ordine realis existentiae, haec in ordine ideali et possibilitatis. Ab hoc autem modo attingendi objecta utraque scientia habet, ut certa sit neque tamen necessitatem liberis creaturis imponat. De hac quaestione mox plura.

Nunc breviter ad ea, quae ex R. Pater doctrina D. Thomae « de Verit. ». q. 3, a 6 object. 4 contra Molinam inferre vult, respondendum. Allata illa objectione continuo subjungit P. Dummermuth. « In systemate, inquit, Molinae praedestinationis certitudo ad effectum est cum praesuppositione causae secundae, voluntatis scl. libere consentientis, a qua dependet: non enim ipsamet praedestinatio ut causa infallibiliter consensum liberae voluntatis producit, sed cum per scientiam mediam praevisum praesupponit: « Seclusa certitudine praescientiae, ait Molina, nulla est certitudo in mediis effectuque praedestinationis ». Molinae sententia optime exponitur similitudine solis, qua utitur S. Thomas. Sicut certum non est, quod sol causet fructum in planta, nisi cum hac conditione, si virtus generativa plantae fuerit bene disposita; propter hoc quod dispositio solis ad effectum praedictum praesupponit virtutem plantae, quasi causam secundam: ita certum non est, quod praedestinatio ut causa salutem inducat, nisi cum hac conditione, si praevisus fuerit consensus liberi arbitrii; propter hoc quod praedestinatio ad salutem consensum liberi arbitrii praesupponit quasi causam secundam. Et haec est tota ratio ponendi scientiam mediam » (p. 393).

Videtur R. Pater contendere, Molinam — idem affirmat de P. Schneemann ibid. p. 393— ad amussim concordare cum iis, quae S. sibi Doctor in illa quarta objectione ipse opponit. Revera tamen Molina eadem mensura iis consentit, qua S. Thomas iis in responsione ad quartum consenserat. Quid autem consenserat S. Doctor? *Consenserat hoc, quod utique « supponere oportet causam secundam liberam « ejusque liberam actionem »* | Dummermuth p. 394 | ad inducendum praedestinationis effectum », *sed cum addito* id consenserat, scl. oportere causam secundam supponere ita, ut ipsa, « etiam ordini praedestinationis subjaceat ». Quare addit, exemplum de sole respectu causarum ipsi inferiorum ad rem non esse. Eae enim quoad id, quod in iis supponitur, soli nullo modo subjacent, nec ullo modo in potestate solis est, ut illud habeant. Hujus contrarium obtinet relate ad praedestinationem. Potest enim Deus efficere, ut

causae liberae illas actiones actusque habeant, qui ad praedestinationis effectum consequendum in iis praesupponuntur. Unde consequitur ulterius, ut « ordo divinae praedestinationis, quamvis sit cum suppositione voluntatis humanae, absolutam certitudinem habeat, etsi in exemplo allato contrarium appareat ». — Quid quaeso est in hoc responso, cui Molina non tota mente subscribat quod non idem ipse doceat? At R. P. Dummermuth hoc ipso in loco ( p. 394 ) plane contradicit S. Doctori, quando haec scribit : « Deus non exigit materiam vel dispositionem materiae, *quasi praesuppositam ex alterius causae actione* » (1). Contra S. Thomas vult prorsus, praesupponi humanam voluntatem ad effectum praedestinationis obtinendum, quamvis alia via haec ipsa humana voluntas voluntati divinae perfecte subjaceat et divina voluntas infallibiliter effectum in ea producere possit. Quod quomodo esse possit, id exposuisse clare et distincte Molinae meritum est. Atque haec hactenus.

(1) Haec P. Dummermuth subduxit.

## § 2

**Doctrina D. Thomae de scientia, quam Deus habet libere contingentium futurorum, elucidatur.**

### ART. I

DOCET D. THOMAS, FUTURA CONTINGENTIA EADEMQUE LIBERA CARERE SUFFICIENTI COGNOSCIBILITATE ATQUE DETERMINATIONE, UNDE A DEO COGNOSCI POSSINT, DONEC CONSIDERENTUR IN FACTO ESSE.

Venimus jam ad alteram seriem argumentorum, quibus S. Thomas efficaciter doctrinam de physicis praedeterminationibus Thomistarum excludit, etsi id facit tantum indirecte.

Argumenta haec omnia ad unam quaestionem pertinent: « *Utrum scientia Dei sit contingentium* »; quam quidem quaestionem non semel, sed saepissime, eodem tamen semper modo tractavit S. Doctor. Exscribamus locum ex ejus commentariis ad 1 librum sententiarum dist. 38, q. 1, a. 5. non quod hic ceteris omnibus luculentior sit, sed quia occasionem praebet ad aliquid adnotandum, quod convenientiam doctrinae nostrae cum doctrina S. Doctoris nova luce perstringit.

« Restat inquirere, inquit S. Doctor utrum [divinus intellectus] impediatur [a cognitione particularium contingentium] ratione contingentiae.

« *Contingentia* enim videntur duplici ratione effugere divinam cognitionem. Primo *propter ordinem causae ad causatum*. Quia causae necessariae et immutabilis videtur esse effectus necessarius. Unde cum scientia Dei sit causa rerum et sit immutabilis, videtur quod non possit esse contingentium. — Secundo *propter ordinem scientiae ad scitum;* quia cum scientia sit certa cognitio, ex ipsa ratione certitudinis, etiam exclusa causalitate, *requirit certitudinem et determinationem in scito, quam contingentia excludit*, ut patet in scientia nostra, quae non est causa rerum, et in scientia Dei respectu malorum. — Sed neutrum horum removet scientiam contingentium a Deo. — Et de primo quidem satis manifeste potest accipi. Quandocunque enim sunt causae multae ordinatae, effectus ultimus *non sequitur causam primam necessitate et contingentia*, sed causam proximam; *quia virtus causae primae recipitur in causa secunda secundum modum causae secundae. Effectus enim ille non procedit a causa prima, nisi secundum quod virtus causae primae recipitur in secunda causa* (1), ut pa-

(1) Supra in sectione altera duo docuimus: unum, causas secundas particulare, specificare, determinare ex doctrina S. Thomae causam primam ejusque influxum in causas secundas; alterum erat, quomodo hoc intelligendum esset, quoque id fieret modo. Hic jam habemus principiorum tunc positorum insignem applicationem.

tet in floritione arboris, cujus causa remota est motus solis, proxima autem vis generativa plantae. Floritio autem potest impediri per impedimentum virtutis generativae, quamvis motus solis invariabilis sit. Similiter et scientia (Dei) est invariabilis causa omnium, sed effectus producuntur ab ipso per operationes secundarum causarum ; et ideo mediantibus causis secundis necessariis producit effectus necessarios, ut motum solis et ejusmodi ; sed mediantibus causis contingentibus producit effectus contingentes.

Difficultatem sibi movet S. Thomas, quomodo Deus possit scire contingentia futura. Videtur enim Deus non posse ea scire. Nam scientia Dei est causa rerum. Scientia autem Dei necessaria est et immutabilis. Quoniam igitur causa, scientia Dei, flecti in alteram partem non potest, videtur sequi : si scientia Dei ad futura contingentia se extendat, ea esse prorsus necessaria, quod est contra suppositionem naturamque eorum. Videtur igitur reliquum esse, ut notitia contingentium futurorum a Deo tollatur.

Ad hanc quidem difficultatem plura responderi possunt. Placuit tamen D. Thomae et hic et alias v. g, 1, q, 14, a. 13 ad 1 illud responsum dare, quod supra est positum. Et sane hujusmodi est, ut difficultatem penitus tollat.

Respondet igitur S. Doctor, virtutem, energiam primae causae et necessariae recipi in causam contingentem et liberam ad modum causae contingentis et liberae : « secundum quod virtus causae primae recipitur in secunda causa ». Unde nihil refert, qualis sit ipsa prima causa in se, libera an necessaria, mutabilis an immutabilis ; influxus enim ejus exercetur pro modo causae secundae. [Supponitur sane in hoc responso Deum in illa hypothesi quoad cetera omnia scl. externa, se habere, sicuti revera se habet. Neque enim hoc proprie afficit formaliter modum operandi creaturae, aut liberum aut necessarium, qualis *in se* Deus sit, sed qualiter in ipsam Deus influat. ] Quid vero hoc principio, recipi virtutem causae primae ad modum causae secundae, tandem edicitur?Nisi fallimur, edicitur hoc: virtutem, energiam primae causae ita recipi, appropriari a secunda causa contingenti et libera, ut recipi, appropriari etiam ab ea *non* possit. Hic enim proprius modus liberae causae est, ut in omnibus iis, quae ad ipsam, ut talis est, pertineant, aliter se habere vel deficere etiam possit. Quod ut locum habere possit, necessarium sane est, ut Deus offerat his causis concursum, qualem affirmamus indifferentem, non qualem Thomistae affirmant ad unum agendum omnino determinatum et determinantem.

Etenim haec est intima natura praedeterminationis physicae, ut humanam voluntatem, quae in ea recipienda prorsus passive se habet, ineluctabili vi secum rapiat atque in unum actum omni ex parte determinatum transferat. In hac ergo sententia fieri non potest, ut divina virtus vel energia a causa contingenti et libera per modum contingentis et liberae causae recipiatur. In nostra vero sententia, quomodo hoc fieri possit, perspicuum est.

Quare non immerito R. P. Schneemann p. 56 censuit, in his locis doctrinae Molinisticae firmum et insigne praesidium constitutum esse. Cfr etiam de Malo q. 3, a. 2 in corp.

Neque tamen sine explicatione illud admittere et amplecti possumus, quod idem Pater eadem pag. 56 asseruit, motum a Deo *profectum* modificari a naturis creatis. Etenim motus a Deo *profectus, si stricte intelligitur*, non potest esse nisi concursus Dei actu exercitus. Hic vero a creatis causis nec modificatur nec modificari amplius potest, sed est jam modificatus ; omne enim quod est, quatenus jam est, aliter esse non potest. Recte vero hoc dicitur de motu a Deo creaturae *praestando seu de concursu oblato*. Nam haec Dei motio revera modum quendam accipit et mensuram a secunda causa eique attemperatur. — [ Probabitur infra, voci modificandi etiam hanc vim subesse, non solum apud classicos scriptores, sed etiam apud ipsum S. Thomam ; nec aliter videtur verbum intellexisse Cajetanus ad 1, q. 19, a. 8 et ibid q. 14, a. 13. Et cum hoc sensu conveniunt optime loci S. Thomae, quos P. Schneemann pro se affert: 1, dist. 38, q. 1, a 5 in corp. et q. 3 de Malo a. 2 in corp. ] — Hoc enim nihil aliud dicit quam duo illa, quae novimus : concursum Dei oblatum seu decretum Dei de concursu exhibendo 1° determinari, specificari, particulari objective a secundis causis ; 2° ipsum concursum recipi ab ipsis *causis* secundis, pro modo operandi earum ; a causis igitur liberis recipi et adhiberi pro ipsarum propria determinatione et arbitratu.

At vereor, ne minus contentus futurus sit R. P. Dummermuth nostra interpretatione communis hujus axiomatis: « Quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur ». (Cfr Dummermuth p. 379.) Etenim distinguere oportet inter *entitatem* ejus, quod recipitur et ejus *rationem*. Nam ut D. Thomas

« Sed adhuc manet dubitatio major de secundo. Quia causa prima necessaria potest esse simul cum defectu causae secundae, sicut motus solis cum sterilitate arboris; *sed scientia Dei non potest stare cum defectu causae secundae. Non enim potest esse, quod Deus sciat simul hunc cursurum*

auctor est (Q. 24 de Ver. a. 8 ad 6,) quod recipitur in aliquo, « secundum quidem esse suum est in eo, in quo recipitur, per modum recipientis; sed tamen ipsum recipiens trahitur ad suam [recepti] rationem, sicut calor receptus in aqua habet esse in aqua per modum aquae, in quantum scilicet inest aquae ut accidens subjecto, tamen aquam trahit a naturali sua dispositione ad hoc, quod sit calida, et faciat actum caloris. . . Ita gratia secundum esse suum est in libero arbitrio per modum ejus, sicut accidens in subjecto, sed tamen ad rationem suae immutabilitatis liberum arbitrium pertrahit, ipsum Deo conjungens ».

« Itaque in divina motione, ita pergit R. Pater ( p. 379), quae in libero arbitrio recipitur, duo consideranda sunt: ipsius *entitas* et peculiaris ejus *ratio*. Si divina motio ( intellige praedeterminationem physicam ) consideretur, ut *entitas* quaedam est, recipitur ipsa in libero arbitrio ad modum ejus eique conformatur. Si vero consideretur specialis ejus *ratio*, quae nihil aliud est quam participatio quaedam divinae virtutis, sic ipsa liberum arbitrium evehit, efficaciter applicat et *ad rationem suae immutabilitatis pertrahit*. Unde « Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quae deficere non potest; *sed propter naturam voluntatis motae, quae indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas sed manet libertas;* sicut etiam in omnibus providentia divina infallibiliter operatur, et tamen a causis contingentibus proveniunt effectus contingenter, in quantum Deus omnia movet proportionaliter, unumquodque secundum suum modum ». ( Qst. 6 de Malo art. unic. ad 3.) Quid ad hoc respondebimus? Respondebimus hoc modo: ut axioma illud: « Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur », rite in singulis rebus propositis explicetur et applicetur, necesse est, imprimis attendatur, quinam modus recipiendi subjecto, de quo agatur, proprius sit. Hoc videtur esse evidens. Potest porro accidere, ut ad proprium ejus recipiendi modum hoc praecise pertineat, ut tum tantum aliquid in se recipiat, quando ipsum ex propria determinatione illud recipere velit et quatenus illud recipere velit. Aut quaenam in hac assertione repugnantia ostendi potest?

Quinimo hoc non solum possibile est, sed etiam frequentissime usuvenit, in libero arbitrio inquam, si tamen libertas ejus integra in agendo manet (Cfr 1, q. 83, a. 1 ad 5 in fine). Si enim facimus, indere Deum voluntati creatae aliquid tendens in unum actum et in unum objectum particulare ine luctabiliter, ita quidem, ut id voluntatem ex natura sua secum in objectum et in actum determinatum rapiat, sane hoc nec a Deo inditur nec a voluntate recipitur eo modo, qui convenit et proportionatus est libero agenti, sed modo, qui ei, ut tale est, prorsus sit contrarius.

His suppositis convertamur jam ad illum locum ( de Ver. q. 24, a. 8 ad 6 )considerandum. In toto corpore hujus articuli voluntas revera non consideratur ut libera potentia est, sed quatenus est potentia in aliquibus rebus necessaria atque ipso pondere naturae determinata ad amplectendum id, quod omni ex parte bonum et conveniens appareat, qualis est Deus clare visus. Viso enim clare Deo, quem videre utique perfecta et consummata gratia est, mens dupliciter, ut exponit S. Thomas in corpore articuli, in bono firmatur, ut ad malum declinare non possit: radicaliter seu ex parte judiciii, formaliter seu ex parte voluntatis. Nec enim potest beatis aliqualiter bonum et conveniens id videri quod Deo opponatur; nec possunt velle illud, quod ei, quem supra omnia necessario jam volunt et amant, sit ullo modo contrarium. Gratia igitur visionis beatae ( de hac una hoc loco a S. Thoma agitur ) pertrahuntur beati ad immutabilitatem in bono. Haec est doctrina corporis articuli. Quando igitur respondet S. Thomas ad sextum ea, quae R. P. Dummermuth supra commemoravit, agitur de una gratia visionis, quae beatum in bono confirmat « voluntatem ejus conjungens Deo »; sed quae simul libertatem ejus in agendo praevertit et aliquatenus, scl. quoad mala, eam ab ipso etiam tollit. Non erat ergo, cur S. Thomas axioma illud: « Quidquid recipitur in alio, per modum ejus recipitur », hoc loco in omnem partem versaret, sed tantum, quatenus usuveniebat in ea re, ubi de usu libertatis non ageretur, sed potius ageretur de ambitu libertatis circumscribendo.

Si tamen hoc axioma secundum omnem usum, quem in ordine ad liberum voluntatis exercitium habere possit, expendere volumus, debemus illud, quod in alio recipitur, considerare 1° in se quale sit; 2° debemus hoc ipsum considerare in duplici quasi statu; 3° denique relate ad duplicem potentiam recipientem.

Potest illud, quod in alio tanquam in subjecto recipitur 1° ipsum esse determinatio ad unum simpliciter; 2° potest hoc ipsum considerari secundum duplicem quasi conditionem, quam habet: a) secundum conditionem, quam habet, quando primum est recipiendum; b ) secundum conditionem,

*et hic deficiat a cursu. Et hoc est propter certitudinem scientiae et non propter causalitatem ejus. Oportet enim invenire ad hoc, quod sit certa scientia, aliquam certitudinem in scito.*

« Sciendum est igitur, quod antequam res sit, non habet esse nisi in causis suis. Sed causae quaedam sunt, ex quibus necessario sequitur effectus, quae impediri non possunt ; et in istis causis habet causatum esse certum et determinatum, adeo quod potest ibi demonstrative sciri, sicut est ortus solis et eclipsis et hujusmodi. Quaedam autem sunt causae, ex quibus consequuntur effectus, ut in majore parte, sed tamen deficiunt in minore parte ; unde in istis causis effectus futuri non habent certitudinem absolutam, sed quandam, in quantum sunt magis determinatae causae ad unum quam ad aliud. Et ideo per istas causas potest accipi scientia conjecturalis de futuris, quae tanto magis erit certa, quanto causae sunt magis determinatae ad unum, sicut est cognitio medici de sanitate

quam habet, postquam jam est receptum; denique secundum priorem conditionem potest considerari 3° in ordine ad potentiam liberam, quatenus talis est, vel in ordine ad potentiam aliam, quae aut non sit libera, aut eatenus saltem in considerationem non veniat.

Si de aliqua determinatione in subjecto libero, qua tale est, *recipienda* agitur, *quoties haec determinatio natura sua ad unum omnino agendum subjectum determinat, libertas in agendo perimitur : si tamen subjecto aliunde simpliciter obtruditur et non ex ipsius subjecti propria determinatione ac decisione ipsi advenit.* Ergo ut subjectum in ea recipienda sit ac maneat liberum, debet apud ipsum manere decisio, velitne hujusmodi ad unum determinationem in se recipere necne. Si vero de hujusmodi determinatione suscipienda *non ita agitur, ut libertas in agendo integra perseveret, potest sane subjecto simpliciter aliunde imprimi*. Atque haec de natura et receptione ejus quod recipitur.

Ubi primum vero *aliqua determinatio*, quaecunque illa est, *in subjecto jam est recepta*, semper statum habet secundum quidem esse talem, qualis subjecti proprius est, spiritualem aut materialem; ipsa vero determinatio secum trahit subjectum secundum rationem suam propriam. Quod etiam valet in determinatione ad unum *libere* in anima suscepta ; non solum enim ipsa ea determinatio ad unum determinata est, sed etiam subjectum, atque in re proposita anima et potentia per ipsam ad unum determinantur. De hac determinatione in anima jam recepta scl. gratia consummata S. Thomas ll. de Ver. tantummodo loquitur. Patet vero, quam immerito ex *hoc* loco R. P. Dummermuth concluserit, praedeterminationem physicam modum habere libertatis, quia nimirum in libero arbitrio recipiatur. Ait enim : « Si divina motio ( praedeterminatio scl. ) consideratur, ut entitas quaedam est, *recipitur in libero arbitrio ad modum ejus eique conformatur* », et « propter naturam voluntatis motae, quae indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas; sed manet libertas ». Annon 1° hic libertas voluntatis tractatur et repraesentatur ita plane, ac si ipsa sit substantialis voluntatis natura, ipsum esse ejus constituens, non sit dumtaxat certus quidam *se habendi modus voluntatis erga certa et determinata objecta* ?

Quomodo igitur libertas voluntatis, aut si vis, liberum arbitrium, entitatem praedeterminationis physicae ad suam essendi modum trahere potest ? — Quî porro, 2° si haec applicatio doctrinae S. Thomae recta esset, non pertraherentur ipsi motus indeliberati voluntatis, adeoque non liberi, sive naturaliter orientes sive divinitus immissi, *ad modum essendi liberi arbitrii*, atque proinde ex mente R. Patris ad modum liberi ? Illa ipsa denique determinatio, quae ex visione beata in liberum arbitrium seu potius in voluntatem beatorum redundat, et qua beati Deum ex necessitate super omnia amant, numquid etiam ad essendi modum liberi arbitrii et ad modum liberi pertrahitur ? Haec sane nec dici nec concipi possunt.

Constare igitur nobis debent duo : 1° provocationem R. P. Dummermuth ad q. 24 de Ver. a. 8 ad 6. frustra factam esse, ut ostendatur, libertatem sartam tectam servari sub ipsa praedeterminatione physica ; 2° R. P. Schneemann recte provocasse ad illud axioma : « Quidquid recipitur in alio, ad modum recipientis recipitur », quo ostendat, in causis liberis requiri prorsus concursum Dei indifferentem et non determinatum ad unum, si ut liberae agere debeant.

et morte futura; et judicium astrologi de ventis et pluviis futuris.

« *Sed quaedam causae sunt, quae se habent ad utrumque, et in istis causis effectus de futuro nullam habent certitudinem vel determinationem, et ideo contingentia ad utrumlibet in causis suis nullo modo cognosci possunt. Sed quando jam efficiuntur in rerum natura, tunc habent in seipsis esse determinatum, et ideo quando sunt in actu, certitudinaliter cognoscuntur*, ut patet in eo, qui videt, Sortem currere, quia Sortem currere, dum currit, necessarium est et certam cognitionem habere potest.

« *Dico igitur, quod intellectus divinus intuetur ab aeterno unumquodque contingentium non solum prout est in causis suis, sed prout est in esse suo determinato.* Cum enim re exsistente ipsam rem videat, prout in esse suo determinato est, aliter cognosceret rem postquam est, quam antequam fiat; et sic ex eventibus rerum aliquid ejus accresceret cognitioni.

« *Patet etiam quod Deus ab aeterno non solum videt ordinem sui ad rem, ex cujus potestate res erat futura, sed ipsum esse rei intuebatur.*

« Quod qualiter sit, evidenter docet Boetius in fine de Consol. Omnis enim cognitio est secundum modum cognoscentis, ut dictum est. Cum igitur Deus sit aeternus, oportet quod cognitio ejus modum aeternitatis habeat, qui est esse totum simul sine successione. Unde sicut, quamvis tempus sit successivum, tamen aeternitas ejus est praesens omnibus temporibus una et eadem et indivisibilis ut nunc stans: ita et cognitio sua intuetur omnia temporalia, quamvis sibi succedentia, ut praesentia sibi; nec aliquid est futurum respectu ipsius, sed unum respectu alterius. Unde secundum Boetium melius dicitur providentia quam praevidentia, quia non quasi futurum, sed omnia ut praesentia uno intuitu procul videt quasi ab aeternitatis specula. Sed tamen potest dici praescientia, in quantum cognoscit id, quod futurum est nobis non sibi... Cum ergo Deus uno aeterno intuitu, non successivo, omnia tempora videat, *omnia contingentia in temporibus diversis ab aeterno praesentialiter videt, non tantum ut habentia esse in cognitione sua. Non enim Deus ab aeterno cognovit de rebus tantum se cognoscere ea,* quod est esse in cognitione sua, *sed etiam ab aeterno vidit uno intuitu et videbit singula tempora et rem talem esse in hoc tempore et in hoc deficere.* Nec tantum videt hanc rem respectu praecedentis temporis esse futuram et respectu futuri praeteritam, *sed videt istud tempus in quo est praesens, et rem esse praesentem in hoc tempore;* quod tamen in intellectu nostro non potest accidere, cujus actus est successivus secundum diversa tempora. Et ita patet, quod nihil prohibet contingentium ad utrumlibet certam scientiam Deum habere, cum intuitus ejus ad rem contingentem referatur secundum quod praesentialiter in actu est, quando jam esse ejus determinatum est et certitudinaliter cognosci potest ».

Prorsus eadem tradit S. Doctor ubique: qst. 2, de Verit. a. 12, in corp. et ad 1; qst. 16 de Malo a. 7; C^a Gentes c. 67, n. 1 et 2; ibid. c. 66, n.

6; 1, q. 14, a. 13 in corp. et ad 3; 1, q. 57, a. 3. Cfr etiam 1, dist. 40, q. 3; 1, q. 86, a. 4; 2. 2, q. 171, a. 6 ad 1 et 2; ibid. q. 174, a. 1 in corp; qdlib. 11, art 3 et ad 1; eadem etiam continentur in « Epistola S. Thomae ad abbatem Cassinens. » in Codice S. Gregorii Magni, impressa in Periodico Oenipont. « Zeitschrift für Kathol. Theol. » anni 1879, p. 403 sq.

His aliquid evidentius pro sententia Societatis Jesu desiderari posse adversus sententiam Thomistarum non videtur. Quid enim potest vehementius adversari doctrinae de praedeterminationibus physicis causarum liberarum divinisque decretis de hujusmodi praedeterminationibus in tempore dandis quam diserta contentio atque affirmatio, effectus determinationesque liberarum causarum *in suis causis nullo modo* (*certo*) *cognosci posse,* posse autem ea divinitus certo cognosci, quoniam divinus intuitus aeternus attingit ea, prouti in aliqua temporis differentia *efficiuntur in rerum natura,* quia *tunc* (jam) *habent in seipsis esse determinatum?* Porro hoc est ipsum illud, quod Doctores Molinistae contra Thomistas asseverarunt. Si vero cum Thomistis sentias, decretaque praedeterminantia statuas, falsum est, quod et hoc loco S. Thomas ait, et quod brevius dixit qst. 2 de Ver. a. 12 ad 1 : « quod licet contingens [stricte omnino dictum] (1), non sit determinatum, quamdiu futurum est, tamen ex eo, quod productum est in rerum natura, veritatem determinatam habet; et *hoc modo* super illud fertur intuitus divinae cognitionis ». Nam certe etiam, antequam futurum contingens exsistentiam consecutum sit, ergo formaliter ut futurum, ex Thomistarum sententia jam ad unum determinatum est in una saltem, eaque praecipua suarum causarum, in physica scilicet praedeterminatione, seu verius, in decreto aeterno de illa in tempore exhibenda. Nam etsi neges, physicam ipsam praedeterminationem proprie causam eventus contingentis esse, quia cum ipso actu secundo causae creatae confundatur (quod utrum jure dicatur necne, nihil modo attinet disputare); certe negari hoc non poterit, decreta ipsa praedeterminantia veras causas easque physice efficientes esse eventuum contingentium. Qui ergo fieri poterit, ut Deus *non possit* certo cognoscere eventus contingentes *nisi* quia ejus intuitus aeternus fertur super illos, ut praesentes sunt, quando jam efficiuntur, non possit eos ullo modo certe cognoscere in solis causis eorum? Qui, inquam, hoc potest explicari in sententia Thomistarum? et tamen haec constans S. Thomae doctrina est.

(1) Cfr qst. 16 « de Malo » a. 7 in corp., ubi memorat S. Doctor contingens minus stricte dictum, quod vocat « contingens ut in pluribus » et hoc ipso loco supra.

## ART. II

SECUNDUM S. THOMAM A NULLO, NE AB IPSO QUIDEM DEO, ULLA LIBERE FUTURA IN ULLIS EORUM CAUSIS CERTO COGNOSCI POSSUNT.

Sed percipiamus, quomodo R. P. Dummermuth ex hac sese difficultate expediat. Invenietur quidem, quaedam hic satis indistincte ab ipso dici. At causa, quam R. P. defendit, timeo, ne magis in culpa versetur quam ipse. Videtur enim ipsa claram atque distinctam ad difficultatem propositam responsionem non suppeditare neque permittere.

Allato ergo articulo, quem supra integrum descripsimus, hoc modo pag. 411 sui operis pergit R. P. : « Prae oculis habet lector doctrinam S. Thomae, « qua, juxta R. P. Schneemann, everti recentiorem Thomismum necesse sit ». Porro quis tam caecus esse possit, ut non videat S. Doctorem in secunda difficultate, quam proponit, solummodo considerare scientiam divinam, praecise ut scientia est, non autem ut est causa (1) ? Certitudinem tribuit S. Thomas divinae scientiae ex propria ejus ratione, etiam exclusa causalitate : « Cum scientia, inquit, sit *certa cognitio, ex ipsa ratione certitudinis, etiam exclusa causalitate, requirit certitudinem et determinationem in scito* ». *Inquirit ergo S. Doctor, cur esse nequeat, quod Deus sciat simul hunc cursurum, et iste deficiat* a cursu ».

At profecto hoc non inquirit S. Doctor. Secundum clara verba textus ipsius id esse non posse prorsus supponitur. Quid enim ? Negabisne de ratione omnis verae scientiae esse, ex doctrina S. Doctoris hoc ipso loco tradita, ut in objecto suo nunquam erret, ejusque objectum deficere prorsus nequeat ? Fierine potest, ut hoc inquirat Angelicus, cur cum ipsius Dei scientia, quae omnium sane certissima et absolute infallibilis est, deficientia objecti ejus componi nequeat ? —

Et revera non haec difficultas erat illa, quam hic moverat S. Doctor, sed alia, quae vix non est directe opposita, *quomodo duo haec, quae tamen ad Dei scientiam contingentium futurorum simul requiruntur, simul possint stare et componi : vera contingentia objectorum hujus scientiae divinae in tempore, seu vera quaedam deficiendi possibilitas in objectis ejus, et vera quaedam eorundem objectorum ab aeterno determinatio et certitudo sufficiens ad terminandam Dei aeternam simul et certam cognitionem.* Scientia enim illa ut sic, non ipsius causalitate, videtur contingentia non tam tolli a rebus, quam jam esse ablata. *Nam solum de objecto, quod jam ali-*

(1) Profecto nemo adeo caecus est, ut hoc non videat; an quis id non vidit ? Sed in *quo* puncto illa praecise difficultas, quae ex certa scientia Dei ut sic relate ad futura contingentia oritur, *hoc* oportebat clare assignare.

*quo saltem modo certum et ad unum determinatum est, potest haberi certa et determinata scientia* : certa scientia « requirit certitudinem et determinationem in scito ». Invicem hac certitudine in objecto posita videtur ab objecto abesse contingentia.

Haec igitur erat difficultas, quomodo possit aliqua hujusmodi in objecto (actione) contingenti certitudo inveniri, quae *aeternum* intuitum Dei, cumque certissimum possit terminare et simul *contingentiam eventus in tempore* sartam tectam servare, non vero, « cur esse nequeat, quod Deus sciat simul hunc cursurum et iste deficiat a cursu ». Hoc enim, ait S. Doctor, esse simul prorsus nequit, nec ulla id indiget vel explicatione vel inquisitione. « Non enim potest esse, inquit, quod Deus sciat hunc cursurum et iste deficiat a cursu ».

Principium solutionis gravissimae hujus difficultatis enuntiat S. Doctor hac assertione : *quamvis hujusmodi contingentia in causis suis « nullam habent certitudinem vel determinationem », tamen « quando jam efficiuntur in rerum natura, tunc habent in seipsis esse determinatum »*. Nos diximus supra, ea tunc et ita habere cognoscibilitatem absolutam.

Sed quid haec evidens veritas conferre potest ad propositae difficultatis solutionem ? Id quoniam jure ac merito interrogatur, ipsum hoc pro humanae naturae viribus conatur explicare. Primo utitur argumento indirecto. Etenim negari nullo pacto potest, Deum saltem tum, quando res producta est, cognoscere eam in facto esse, et proinde ut determinatam. Ergo ab aeterno ita novit eam ; Dei siquidem cognitio absolute perfecta, immutabilis, semper eadem aeterna est.

Secunda ratio ab aeternitate repetitur. Dei enim aeterna cognitio hunc proprium modum habet, ut « intueatur omnia temporalia, quamvis sibi succedentia, ut praesentia sibi » (1) ; « intuitusque divinus fertur ab aeterno super omnia prouti sunt in sua praesentialitate » (2).

Propterea ergo ab aeterno certo cognosci a Deo possunt futura contingentia secundum sententiam D. Thomae, manente eorum contingentia in tempore, quoniam jam ab aeterno ut termini divinae cognitionis ei praesentia sunt *in facto esse, ut ajunt,* atque omnino ut talia, qualia in tempore in rerum natura aliquando revera sunt eventura scl. contingenter. Ut autem contingentia, ut termini cognitionis divinae, Deo ab aeterno objective ita praesentia esse possint, haecque possit esse *ratio*, cur a Deo cum certitudine cognoscantur, sane requiritur ex principiis D. Thomae his ipsis in locis traditis, ut ipsa habeant in se ab aeterno objectivam et ontologicam quandam veritatem et cognoscibilitatem a divina cognitione independentem, ipsi aliquo modo praesuppositam et praeviam, etsi in rerum natura haec contingentia ab aeterno profecto non exsistunt atque

(1) Ita hoc loco.

(2) 1, q. 14, a. 13 in corpore ; cfr locus ex Qdl. 11, a. 3 supra p. 177 allatus.

adeo, priusquam in tempore fiant, recte inter non entia simpliciter computantur (1). — Haec omnia Molinistica sunt.

At R. P. Dummermuth opponet sine dubio, neque a se negari, futura contingentia ab aeterno habere quandam veritatem atque cognoscibilitatem et propterea ea a Deo cognosci, sed quam veritatem et cognoscibilitatem ab aeterno habent, eam, quatenus futura contingentia sunt, non merae possibilitates, adaequate repetendam esse a decretis divinis praedeterminantibus (2).

Ad hoc ergo punctum omnis hujus loci controversia jam reducta est, sitne *objectiva et ontologica veritas et cognoscibilitas* horum contingentium futurorum *ultima et sola adaequata ratio*, cur a Deo cognoscantur, an potius eam cognoscibilitatem, quam sine dubio futuris eventibus contingentibus tribuit S. Doctor, *repetat ultimatim et adaequate a decretis divinis physice praedeterminantibus*. Nam hoc apud neminem in dubio versatur, eorum veritatem inadaequate, ut praecise sunt *futura*, terminantque formaliter scientiam visionis, etsi non a decretis physice praedeterminantibus, tamen a certis quibusdam divinis decretis donantibus eis existentiam realem originem ducere atque divina decreta aliquo modo supponere (3).

*Dico igitur, a mente S. Thomae plane alienam esse eique repugnare eam doctrinam, quae adaequatam ac per se sufficientem rationem, cur futura contingentia cum certitudine a Deo cognoscantur, collocat in decretis physice praedeterminantibus Dei. Contra, Dei decreto de condendo ordine rerum, ad quem illa futura contingentia pertinent, praesupposito haec ratio potius cum Molinistis et cum ipso S. Thoma collocanda est in eorum veritate ontologica seu in hac re, quod liberae creaturae in ordine, in quo divinitus producuntur, conservantur, auxilio generali vel insuper speciali adjuvantur, ita reapse sint libere acturae.*

Utrumque hoc secundum D. Thomam affirmandum esse, ex sequente disputatione patebit. Atque priorem hujus assertionis partem pro causa, quam agimus, esse gravissimam, a nullo negabitur. Etenim si S. Thomas

(1) Cfr 1, dist. 38, q. unica, a. 4; 1, q. 14, a. q. in corpore ; et Franzelin « De Deo uno » (ed. 2ª p. 258 sqq. Hic : « omnia contingentia in temporibus diversis ab aeterno praesentialiter videt, non tantum ut habentia esse in cognitione sua ».

(2) Cfr quae ex Reginaldo affert P. Dummermuth p. 220 in nota et quae ipse habet p. 411 et 412.

(3) De Gratia. Proleg. II, c. 6, n. 15 et 16 Suarez haec habet : « Sic ergo ad argumentum negamus, absolutam praescientiam futurorum contingentium supponere necessario decretum absolutum [ quale certe est decretum praedeterminans ], in quo solo sufficienter habeatur. Nec S. Thomas in locis in argumento citatis ( 1 dist. 39, q. 1, a. 1, ad 5 ; et a. 2, ad 1 ) id dicit. Aliud est enim, quod *praescientia absoluta futurorum supponat aliquod decretum liberum, aliud vero, quod supponat decretum, in quo solo nitatur*. Primum est verum, quia sine futura efficientia Dei nihil potest esse futurum ; efficientia autem Dei esse non potest, nisi ex libero decreto voluntatis Dei et ideo *absoluta praescientia omnis futuri supponit aliquod decretum voluntatis Dei*, et hoc solum est, quod D. Thomas docet citatis locis. Secundum autem est falsum, nec dicitur a D. Thoma in illis locis, sed solum, quod praescientia supponit aliquam voluntatem, quod universalius est, nam potest supponere *volitionem non omnino absolutam nec praedefinitivam, in qua sola non satis cognoscitur futurum*, ut declaratum est. Et ideo S. Thomas saepe distinguit in Deo ipso certitudinem praescientiae a certitudine praedestinationis seu praedefinitionis, et dicit omnia, quae

possibilitatem cognoscendi futura conditionata in decretis Dei physice praedeterminantibus perspicue negat, sive id fit plane et formaliter, sive implicite et virtualiter, constat prorsus, etiam praedeterminationes physicas in tempore dandas a mente S. Doctoris alienas esse.

Quemadmodum enim hae praedeterminationes ex illis decretis necessario consequuntur et illa decreta praedeterminationes has physicas in tempore necessario producunt, sic sine illis decretis praedeterminantibus hae esse non possunt. Jam vero manifestum est, decreta physice praedeterminantia tanquam rationes objectivas adaequatas et per se sufficientes, unde Deus cognoscat contingentia futura, a mente S. Doctoris prorsus esse alienas.

Et principio quidem, quomodo potest (*a*) difficultas cognitionis certae futurorum contingentium per Deum adeo a S. Thoma exaggerari; quomodo potest deinde (*b*) eorum per Deum scientiam a S. Thoma possibilem esse negari, *nisi* haec sit via, ut Deus ea cognoscat, non quatenus formaliter futura sunt vel in causis, sed quatenus ut producta ei praesentialiter adsunt: quomodo potest, inquam id fieri a S. Doctore, si de praedeterminationibus physicis unquam cogitavit?

Quod jam ad prius attinet, scl. magnam difficultatem hujus cognitionis explicandae, id puto ex locis laudatis satis constare.

Posterius autem ipsis verbis docet qst. 2 « de Verit. » a. 12 in corp. « Contingens, impediri potest antequam sit in esse productum; quia tunc non est nisi in causis suis, quibus potest accidere impedimentum (1), ne perveniant ad effectum; sed postquam jam contingens in esse productum est, jam non potest impediri. Et ideo de contingenti, secundum quod est in praesenti, potest esse judicium illius potentiae vel habitus, in quo nunquam falsitas invenitur; sicut sensus judicat, Socratem sedere quando sedet. *Ex quo patet, contingens, ut futurum* per nullam cognitionem

praesciuntur a Deo, esse certa priori modo, non tamen omnia posteriori modo, ut videre licet 1. q. 23, a. 7 et q. 6; de Verit. a. 3. Et infra ostendemus non omnia praescita a Deo, esse ab eodem praedefinita efficaciter ante praescientiam. — De alio vero decreto libero sufficiente ad agendum ad extra, licet non sit omnino absolutum seu praedefinitivum dicimus versari discrimen inter scientiam absolutam et conditionatam, quia absoluta supponit in Deo aliquod hujusmodi decretum, ut dixi, conditionata vero minime. Et ratio est, quia scientia absoluta terminatur ad realem exsistentiam rei aliquando futurae, et quia talis exsistentia pendet a voluntate Dei vel per se efficiente vel cum causa secunda concurrente, ideo talis voluntas libera supponitur tali praescientiae absolutae. At vero scientia conditionata non dicit habitudinem ad effectum aliquando futurum et ideo ex hac parte non pendet a decreto libero, quod in Deo supponat, sed dicit habitudinem ad effectum sub conditione futurum, ad quod satis est, ut in conditione includatur decretum Dei, non quod jam sit, sed quod, si ex parte Dei ponatur, sufficiet, ut voluntas humana operetur de facto, Deo cum illa concurrente seu cooperante. Quia ergo conditionalis nihil ponit in esse, ideo nec supponit in esse, ut ita dicam, decretum Dei, sed tantum in conditione illud involvit, ac proinde ex his, quae D. Thomas dicit de praescientia absoluta, non recte fit illatio ad conditionatam quoad hanc partem, quia est ratio longe diversa, ut declaravi ». Cfr Vasquez. in 1. part., disp. 65, cp. 4.

(1) Qualia hic S. Doctor impedimenta cogitet in contingentibus liberis, disci potest inter alia ex qst. 6 « de Malo » art. unic. ad 15. Habent ea ortum a libera voluntate ut sic. Cfr etiam Capreolus ad 1 dist. 38, q. 1, a. 2.

sciri, cui falsitas subesse non possit; unde cum divinae scientiae non subsit falsitas, nec subesse possit, impossibile esset, quod de contingentibus futuris scientiam haberet Deus, si cognosceret ea ut futura sunt. . . *Deus* [autem] *infallibiliter videt omnia contingentia,* sive quae nobis sunt praesentia sive quae praeterita sive quae futura, quia sibi non sunt futura, sed ea inspicit *esse tunc, quando sunt* ». —

Et revera sensus loci 1 Dist. 38 a. 5 idem est, ut infra videbimus. — Putasne jam, has doctrinas posse ut veras atque fundatas agnosci ab eo, qui profiteatur physicas praedeterminationes in tempore, atque decreta divina physice praedeterminantia ad unum agendum ab aeterno? Quidquid enim Deus in tempore exsequitur, id omne ab aeterno decrevit. Quamobrem si Deus praedeterminare homines physice ad unum agendum ab aeterno revera decrevit, cur S. Thomas nunquam affert hanc simplicissimam rationem, quando agitur de quaestione, qui fieri possit, ut Deus futura contingentia ab aeterno cum certitudine cognoscat? Sane in istis decretis cerni ea determinate et distinctissime possunt. Quid deinde non affert eandem rationem, quando agitur de quaestione, quomodo scitum contingens habeat sufficientem ab aeterno determinationem, ut possit certam ab aeterno scientiam Dei terminare eique supponi? Haberet enim omne contingens hoc modo ab aeterno determinationem perfectissimam et maximam *in causa,* quatenus decretum de praedeterminatione physica in tempore creaturae conferenda et imprimenda decretum est ad certam omnino et ex omni parte definitam actionem et actum. Quaenam hac potest certior aut major determinatio in scito desiderari? Quomodo tandem recentior Thomista potest assentiri S. Doctori, quando hic docet, futura contingentia non posse *ullo pacto* certo a Deo cognosci *nisi* quia ea inspicit « *prouti jam sunt in suo esse producta* » atque « *tunc quando sunt* »? Qui omnia haec non sunt maxime aliena maleque fundata secundum placita recentioris Thomismi? Ipse omnia haec uno verbo praedeterminationum physicarum decretorumque divinorum de illis in tempore imprimendis solvit ei eleval. Molinistica vero sunt haec S. Thomae omnia.

Constat ergo S. Thomae doctrinam a physicis praedeterminationibus plane alienam fuisse.

Imo a se ipse discreparet, si hic vel alias vellet, posse Deum futura contingentia in decretis suis absolutis et physice praedeterminantibus cognoscere. Quemadmodum enim supra vidimus, negat S. Doctor, nec uno loco nec uno modo, sed constanter, sed multifariam, Deum creaturas liberas praedeterminare physice et absolute in tempore. Quomodo igitur ipse sibi cohaereret, quomodo inter se consentanea loqueretur, si jam admitteret, Deum posse futura contingentia certo cognoscere in decretis aeternis de hujusmodi praedeterminationibus in tempore conferendis, quae secundum suam ipsius manifestam doctrinam et nullae sunt et naturae liberorum agentium atque, quando de actionibus moraliter malis agitur, summae etiam Dei sanctitati insigni modo repugnant?

Manet igitur exploratum, prorsus alienum esse a mente S. Doctoris eique repugnare eam doctrinam, quae sufficientem et adaequatam rationem objectivam cur Deus futura contingentia cum certitudine ab aeterno cognoscere possit atque cognoscat, vult ullo modo constitutam esse in decretis Dei absolutis et futuros eventus physice praedeterminantibus.

---

## ART. III

### EXCEPTIONES QUAEDAM A R. P. DUMMERMUTH FACTAE REFUTANTUR.

At quidquid de argumentis est, hic fortasse humani aliquid accidit S. Doctori, ut reapse secum ipse pugnaret, licet hoc summe improbabile esse videatur. — Et re quidem vera, si R. Patri Dummermuth hoc loco (1) credimus, ita plane dicendum est. Profert enim haec: « Dicit S. Thomas, ideo Deum habere scientiam certam futurorum contingentium ad utrumlibet, quia ea intuetur secundum quod praesentialiter sunt in actu. « Intellectus divinus intuetur ab aeterno unumquodque contingentium prouti est in suo esse determinato ». At quaeritur, ita pergit Rev. Pater, num ex hac doctrina sequatur, S. Doctorem negare, Deum etiam hujusmodi futura contingentia certo cognoscere *prouti sunt in divina causalitate seu omnipotentia? Minime hoc sequitur;* imo hoc aperte repugnat iis quae statim subdit S. Thomas ».

Antequam progrediamur, notemus unum: nisi R. P. verbulum omisisset in prima sententia, omnia quae sequuntur, superflua fuissent. Loco enim ejus quod scripsit: « Dicit S. Thomas ideo Deum habere scientiam » etc. debuit, si tamen doctrinam S. Doctoris exacte reddere voluit, prouti certe voluit, hoc modo scribere: « Dicit S. Thomas ideo *tantum* Deum habere scientiam » etc. An forte haec non dixit S. Doctor? Aut id ab ejus mente vel latum unguem recedit? Videamus. Scripsit 1, dist. 38, a. 5, de quo loco praecipue agimus: « et ideo contingentia ad utrumlibet *in causis suis nullo modo* cognosci possunt. *Sed quando jam efficiuntur in rerum natura, tunc* [non aliter, non prius] habent esse determinatum » Puto, unumquemque videre, hic agi de una cognoscendi talia contingentia possibili via, quae una pervia est et certitudinem praebet. Quid enim aliud significat illud: « *in causis suis nullo modo* cognosci possunt, sed *tunc,* quando jam efficiuntur (non sane in decretis, ut sic dicam, sed quando efficiuntur) *in rerum natura,* ut ait S. Thomas: tunc demum habent id, quod ad eorum cognitionem requiritur atque supponitur, objectivam quandam certitudinem et determinationem. — Quid sibi volunt alia illa verba, quae ex qst. 2 « de Ver. » a. 12 attulimus: « Ex quo patet, *contingens ut futurum est, per nullam cognitionem sciri, cui falsitas subesse non pos-*

(1) p. 411 et 412.

*sit, quia tunc non est nisi in causis suis*, quibus potest accidere impedimentum, sed postquam jam contingens in esse productum est, jam non potest impediri? » Ergo plane interserendum fuit primae illi R. Patris sententiae particula « tantum » vel « dumtaxat ». At sic quaecunque sequuntur in aera abiissent, causa recentiorum Thomistarum prostrata jacuisset.

Quid igitur? Numquid non revera exstant illa ipsa, quae R. P. Dummermuth jam additurus est. Exstant plane ; sed contra satis manifestum verborum sensum atque contextum transferuntur a Thomistis in eam sententiam, quae longissime a vera mente S. Thomae hoc loco abest. Quod ut pateat, opus est verba R. Patris ante oculos habere. Prosequitur igitur R. P. coeptam orationem hoc modo: « Patet, inquit S. Thomas, quod Deus ab aeterno non solum vidit ordinem sui ad rem, ex cujus potestate res est ( « erat » ) futura, sed ipsum esse intuebatur ». « Ecce », hoc jam modo R. P. Dummermuth pergit, « Deo adscribit S. Doctor duplicem cognitionem futurorum contingentium: Deus ea cognoscit in seipso ut in causa , « Deus ab aeterno vidit ordinem sui ad rem » i. e. ordinem suae voluntatis ad rem, « ex cujus potestate » seu omnipotentia « res erat futura » ; et cognoscit ea Deus in seipsis, ut sunt in sua aeternitate praesentia « ipsum esse rei intuetur ».

Videamus, quid verba S. Thomae a R. P. modo laudata suo loco revera significent. Significantne illud, quod R. P. vult iis significari : duplicem in Deo adesse viam adaequate distinctam, qua futura contingentia cognoscere possit? Id separata *fortasse* ea verba significare possunt, ceteris conjuncta minime. Qui igitur contextus totius orationis est? Versatur oratio S. Doctoris in hac quaestione: « Utrum scientia Dei sit contingentium » ; atque primam difficultatem, cur id negandum videri possit, expedivit. In altera eaque majore ac difficiliore enodanda quaestione jam occupatur. Fuit haec : quomodo ejusmodi scitum i. e. eventus in tempore contingens habeat nihilominus sufficientem certitudinem et determinationem objectivam (cognoscibilitatem absolutam eam supra vocavimus), ut possit certam eamque aeternam de eo Dei scientiam terminare? Atque hanc difficultatem hac tandem via rursus expedit, ut respondeat, factum contingens, etsi *nullam prorsus habeat certitudinem et determinationem in causis suis antequam fiat*, postquam tamen jam factum sit, omnino esse in se certum et determinatum. Hoc tanquam *fundamentum* sequentis expositionis et explicationis jacitur; hac veritate una innititur tota moles sequentis, quae a verbis : « Dico igitur » incipit, explicationis. Qui igitur in hac explicatione id affirmari potuit tanquam possibile et verum, quod ipsum in exstruendo fundamento explicationis negatur esse possibile?

At ait tamen S. Doctor omnino etiam hoc: « Patet etiam, quod Deus ab aeterno *non solum videt ordinem sui ad rem, ex cujus potestate* [attende: non dicitur « determinatione »] *res erat futura, sed ipsum esse rei intuebatur* ».

Sed numquid revera tam difficile est cernere, quinam sensus his verbis in contextu subsit? Dicamus ergo; hic est: Patet etiam, Deum cognoscere non solum ordinem sui ad rem, quod etsi necessarium est, ut a Deo cognoscatur (1), per se tamen ad cognoscendum contingens futurum cum certitudine non sufficit secundum ea, quae antea disputata sunt, sed insuper ipsum esse rerum, prouti sibi praesentialiter adsunt, quando consecutae sunt realem in rerum natura exsistentiam, intuebatur. — Hic sane genuinus verborum sensus est ex contextu. Quae res licet adeo manifesta sit, ut probatione proprie non egeat, adscribam tamen, ut veritas expositionis a nobis datae etiam magis pateat, quid S. Doctor ll. ad tertium responderit. « Ad tertium dicendum, quod actus divinae cognitionis transit supra contingens, etiam si futurum est nunc, sicut transit visus noster supra ipsum *dum est*. Et quia esse quod est, quando est, necesse est, quod tamen absolute non est necessarium: *ideo* dicitur, quod in se consideratum est contingens, sed relatum ad Dei cognitionem est necessarium, quia *ad ipsam non refertur nisi secundum quod est in esse actuali*. Et ideo simile est, sicut si videam Socratem praesentialiter currere, quod quidem in se est contingens, sed relate ad visum meum est necessarium. Unde bona est distinctio, quod est necessarium necessitate consequentiae et non consequentis, vel necessitate conditionata, non absoluta ». Jam vero unusquisque facile videt, inane hoc responsum D. Thomae esse, si alia etiam via pateret, scl. per causam, ad cognoscenda futura contingentia, seu quod re idem est, si alia etiam via esset ad cognoscenda ea praeterquam in eorum actualitate, seu secundum quod esse actuale in se habent, seu postquam jam producta sunt. Nam vis responsionis a D. Thoma datae est in hac re, quod ea, quae cum omni certitudine nexa est necessitas, in casu sit necessitas consequens dumtaxat, non necessitas antecedens. Ubi autem certitudo et necessitas alicujus rei jam in ejus causa praecontinetur et cernitur, necessitas habetur non mere consequens, sed antecedens, atque res ipsa non est tantum necessaria necessitate consequentiae sed consequentis, nec tantum adest necessitas conditionata sed absoluta et simpliciter (2)! Atque in re aperta haec profecto sufficiunt.

(1) Ratio hujus necessitatis haec est, quoniam haec contingentia, nisi a Deo ut causa penderent, nihil ad ipsum pertinerent, nec esset quidquam, quo cum objecto formali et principe divinae cognitionis, cum divina essentia, cohaererent; proinde nec sub divinam cognitionem cadere possent.

(2) Ad illustrandum locum modo excussum prodesse potest id, quod S. Thomas 2, 2, q. 171 a. 6 ad 2 habet: « Ad secundum dicendum, quod *divina praescientia* respicit futura secundum duo, scilicet secundum quod sunt in seipsis, inquantum scilicet ipsa praesentialiter intuetur, et secundum quod sunt in suis causis, inquantum scilicet videt ordinem causarum ad effectus. Et quamvis contingentia futura, prout sunt in seipsis, sint determinata in seipsis, tamen *prout sunt in suis causis, non sunt determinata, quin possint aliter evenire*. Et quamvis ista cognitio semper in intellectu divino conjungatur, non tamen conjungitur semper in revelatione prophetica ». Duplex hic Deo adscribitur notitia futurorum contingentium, una, qua determinate cognoscuntur, et haec est illa eorum cognitio, qua Deus cognoscit ea in seipsis; altera est eorum cognitio in causis, et haec ad ea omnino determinate cognoscenda non sufficit, nisi priore suppleatur. Cfr de hoc loco S. Thomae Suarez de Gratia Proleg. II, cp. 7, n. 19.

Quamobrem ut a veritate aliena etiam illa rejicienda sunt, quae R. P. addidit: scl. quando in textu superius laudato (1, dist. 38, q. 1, a. 5). S. Doctor neget, futura contingentia posse in suis causis ullo modo cognosci, id intelligendum esse *de solis causis secundis et proximis,* non de causa prima; item loqui S. Doctorem *de causis secundis per se acceptis,* non secundum quod stent sub determinatione primae causae (1). Nam hujus acceptionis et restrictionis apud D. Thomam signum nullum. Imo haec restricta acceptio vocis causarum aperte contra dicta S. Thomae pugnat. Qui enim S. Thomas affirmare potuit, futura contingentia non posse vel ab ipso Deo in ipsorum causis ullo modo cognosci, si existimavit, posse ea a Deo in suis decretis praecognosci, quae maxime eorum causae sunt? Qui potuit dicere, Deum ea cognoscere *non posse nisi* in eorum actualitate, quando jam in rerum natura producuntur, quando sunt; si ea cognoscere potest, etiam antequam sunt, etiam quando nondum producuntur, et quando nondum actu in se, sed virtualiter tantum in prima causa esse habent?

Porro si illud opinatus esset Angelicus, futura contingentia determinatam veritatem etiam in decretis divinae voluntatis et omnipotentiae ut sic habere: sane ut ostenderet, ipsa instructa esse sufficienti certitudine et determinatione objectiva et ontologica ad certam Dei cognitionem aeternam terminandam, non recurrisset unquam, multo minus semper et constanter ad illam viam de se certe obscuram et difficilem, quam revera semper iniit: nanscisci contingentia futura determinationem tum demum, quando in rerum natura producta sint, atque ut talia terminare aeternam Dei cognitionem infallibilem, sed recurrisset sane ad decreta illa aeterna liberas voluntates in tempore physice praedeterminantia (2).

At cur, si res ita est, meminit S. Doctor omnino illius esse, quod contingentia futura in Deo [in causa] habent? Responsio videtur esse facilis. 1° ut *cognitio alicujus rei et causae absolute et omni modo perfecta et vere comprehensiva* sit, requiritur, ut non solum ipsa res et causa secundum se absolute considerata, sed ut *secundum omnem cognoscibilitatem,* quam habet, cognoscatur. Jam vero, etsi futura contingentia in Deo ut in ratione objectiva et adeaquata cognosci secundum futuram ipsorum actualitatem et determinationem simpliciter minime possunt, secundum tamen potentiam, ut ait S. Thomas q. 16 de Malo a. 7 in corp., in prima causa continentur. Ergo ad hoc ipsum ut Deus seipsum absolute perfecto modo cognoscat, imo ut ista contingentia absolute perfecto modo cognoscat, requiritur, ut etiam futura contingentia, quantum in ipso ut in causa sunt, cognoscat; 2° ut *causa* aliqua, *quae reapse causat,* omni modo absolute perfecte cognoscatur, necesse est cognoscatur *et secundum ea, quae continen-*

(1) Vide supra dicta et locum, quem infra ex Hispalensi afferimus, qui hoc ut menti D. Thomae adversum explicite improbrat.

(2) Supplementum doctrinae hic traditae habes supra p. 178 sq.

*tur in ejus potentia, et secundum omnes effectus, qui revera aliquando ab ipsa sive immediate sive mediate processuri sunt,* idque imprimis valet, quando causa comprehendit sub se effectus, qui ipsi formali libertate utantur (1).

Ergo ut divina cognitio de se, ut est prima rerum causa actu causans, absolute perfecta sit, debet futura contingentia et in seipso et in seipsis cognoscere. Atque hanc perfectam sui, absolute considerati et ut est prima rerum causa, cognitionem Deum habere, S. Thomas indicare voluit, quando scripsit : « Patet etiam, quod Deus ab aeterno non solum vidit ordinem sui ad rem ( quod quidem ad absolute perfectam sui rerumque cognitionem requiritur, ad cognitionem tamen contingentis *futuri* simpliciter non sufficit ), sed ipsum esse rei intuebatur », quo intuitu et sui ut primae causae et certa futuri contingentis cognitio completur et absolvitur. Denique sic 3° S. Thomas *formalem* etiam *rationem* indicavit, sub qua et ob quam Deus omnia quaecunque cognoscit, cognoscat atque intelligat. Etenim omnia intelligit ratione sui et suae causalitatis. Quemadmodum igitur omnia, quaecunque cum hac formali ratione aliquo modo connectuntur, a Deo necessario cognoscuntur, ita si quid ab hac formali ratione prorsus exularet, a Deo cognosci nullo pacto posset. Monet igitur his verbis S. Doctor, futura contingentia, etsi cum prima causa nec necessario nec determinato nexu connectantur, vero tamen eoque multiplici nexu cum ea colligari, scl. ut cum causa exemplari atque efficienti. Unde objectum divinae cognitionis esse possunt atque etiam debent. De qua re conferantur 1, q. 14, a. 6 et cont. Gent. l. 1, c. 66 in fine ; et Franzelin « de Deo Uno » (ed. 2.) p. 385 sq.

---

## ART. IV

### EXPENDITUR SENTENTIA S. THOMAE « DE VER. » Q. 8. A. 12.

Accumulat jam a p. 413 R. P. Dummermuth ex operibus D. Thomae testimonia multa, quibus opinatur, confirmari suam, infirmari Molinistarum doctrinam. Inspiciamus nonnulla accuratius.

Primum affert q. 8 de Ver. a. 12, idque frequenter laudat : praeter hunc locum etiam p. 155 ; p. 407, p. 421, p. 245. Videtur ergo esse illius judicio magni momenti et ponderis.

Quaestio est : « Utrum Angeli cognoscant futura ». Respondet S. Doctor in corpore : « dicendum, quod unumquodque hoc modo cognoscitur in aliquo, quo est in eo. Quaedam igitur futura *in causis suis proximis determinata sunt* (1) hoc modo, ut ex eis necessario contingant, sicut solem

(1) Cfr cont. Gent l. 1, c. 68, n. 2.

oriri cras; et tales effectus futuri in suis causis cognosci possunt. — Quidam vero futuri effectus *in causis suis non sunt determinati,* ut aliter evenire non possint; sed *tamen eorum causae se magis habent ad unum quam ad alterum* (II), et ista contingentia sunt, quae ut in pluribus vel paucioribus accidunt; et hujusmodi effectus in causis suis non possunt cognosci infallibiliter, sed cum quadam certitudine conjecturae. — Quidam autem effectus futuri sunt, quorum *causae indifferenter se habent ad utrumque*, haec autem vocantur contingentia ad utrumlibet (III), ut sunt illa, quae praecipue dependent a libero arbitrio. Sed quia ex causa ad utrumlibet, cum sit quasi in potentia, non progreditur aliquis effectus, nisi per aliquam aliam causam determinetur magis ad unum quam ad aliud, ut probat Commentator in 2. Phys. (com. 12); ideo hujusmodi effectus in causis quidem ad utrumlibet nullo modo cognosci possunt per se acceptis, sed si adjungantur causae illae, quae causas ad utrumlibet inclinant magis ad unum quam ad aliud, potest aliqua certitudo conjecturalis de effectibus praedictis haberi; sicut de his, quae ex libero arbitrio dependent, aliqua futura conjicimus ex consuetudinibus et complexionibus hominum, quibus inclinantur ad unum.

« *Omnes* autem hujusmodi effectus, *qualescunque sint eorum causae proximae* (I, II, III), tamen in causa prima sunt determinati, quae sua praesentia omnia intuetur, et sua providentia omnibus modum imponit. — Angeli autem et divinam essentiam intuentur, et per formas innatas cognitionem omnium rerum et causarum naturalium habent. Cognitione igitur naturali illa tantum per formas innatas futura praescire possunt, quae in causis naturalibus sunt determinata, vel in una tantum causa vel in collectione plurium; quia aliquid est contingens respectu causae unius, quod respectu concursus plurium causarum est necessarium. Angeli autem omnes causas naturales cognoscunt; unde quaedam, quae contingentia videntur, aliquibus causis eorum pensatis, Angeli ut necessaria cognoscunt, dum omnes causas ipsorum cognoscunt. Si autem divinam providentiam comprehenderent, omnes futuros eventus certitudinaliter scirent. Sed quia quidam perfectius aliis divinam providentiam intuentur, quamvis nullus eorum perfecte comprehendat; ideo quidam in Verbo plura futura etiam de contingentibus ad utrumlibet sciunt ».

Hic ergo locus est, quo R. P. putat suam causam vehementer juvari.

Nihilominus existimamus, R. Patri in hoc loco praesidium nullum esse constitutum. Verba, quae in controversiam veniunt primo loco, haec sunt: « Sed quia *ex causa ad utrumlibet, cum sit quasi in potentia, non progreditur aliquis effectus, nisi per aliquam aliam causam determinetur magis ad unum quam ad aliud;* ideo hujusmodi effectus in causis ad utrumlibet nullo modo cognosci possunt per se acceptis, sed si adjungantur causae illae, quae causas ad utrumlibet inclinant magis in unum quam in aliud, potest aliqua certitudo conjecturalis de effectibus praedictis haberi ».

Primum adnoto, conclusionem ultimam ab omnibus Molinistis admitti.

Et quî possunt id negare de Angelis, — de his enim per se sermo est in articulo S. Thomae — quod verum est vel de ipsis hominibus? Etiam nos conjecturalem saepe certitudinem habemus, quid *quidam* homo sit acturus, quando certa momenta in voluntatem ejus influere novimus, ut recte animadvertit D. Thomas.

At quis est sensus prioris illius sententiae: ex causa ad utrumlibet non progreditur effectus, « *nisi* per aliquam *aliam* causam *determinetur magis ad unum quam ad aliud* ». Numquid his verbis statuitur, aliquam aliam causam, scl. Deum, debere omnes causas ad utrumlibet simpliciter determinare i. e. praedeterminare ad unum simpliciter et ad ipsam actionem, ut reapse agere possint? Si hic est sensus loci, certe prodest Thomistis. Neque tamen ita videtur. —

Sunt sane causae ad utrumlibet, quae simpliciter praedeterminandae sunt per aliam causam, ut agere reapse possint, v. g. sensus externi, interni, intellectus etc. Dicuntur autem hae similesque potentiae causae ad utrumlibet, quia *naturaliter sive sua natura* non sunt ad infimam quamdam speciem actuum contractae et restrictae, sed de se ad varia se habent. At si de praecipua maximeque vera causa ad utrumlibet, i. e. de libera voluntate agitur, nequaquam mens D. Thomae est, adstruere, eam etiam simpliciter determinari ad actum per alium debere, ut reipsa agere possit. Contra tum ex aliis locis, ut vidimus, tum ex hoc ipso loco satis constat, voluntati, ut agere reipsa possit, aliunde nihil aliud tribuendum esse, quam determinationem secundum quid, vel quoad specificationem actus, seu ex parte objecti, quae omnia sunt idem.

Et quod quidem ad alios locos attinet, inter alios videndi sunt: « de Malo » q. 3, a. 3 ad 5, et quem infra adscribam « de Verit. » q. 24, a. 14 quocum conferendus est l. 1 c$^{a}$ G. c. 82 § « Quamvis ». — Hoc ipso autem loco idem indicatur 1$^{o}$ per ipsum modum loquendi D. Thomae. Neque enim ait: « ex causa ad utrumlibet non progreditur aliquis effectus, *nisi determinetur ad unum vel nisi determinetur ad agendum* », sed ait: « nisi per aliquam aliam causam determinetur *magis ad unum quam ad aliud* ». Hic modus loquendi autem magis videtur pertinere ad determinationem actus secundum quid, quam ad determinationem ejus simpliciter; i. e. quoties de causa, quae maxime et verissime ad utrumlibet est, agitur, i. e. de libera voluntate, videtur magis pertinere ad determinationem actus quoad specificationem et ex parte objecti quam ad determinationem actus quoad exercitium, quae est determinatio actus simpliciter. Nam in determinationem ad agendum simpliciter magis et minus cadere non possunt; determinatio vero ex parte objecti majorem vel minorem sollicitationem admittit. Idem indicatur 2$^{o}$ quando mox S. Thomas pro voce determinandi usurpat vocem « *inclinandi* ad unum magis quam ad aliud ». Haec enim certe vox designat potius determinationem secundum quid, quam determinationem simpliciter, qua nimirum insuperabiliter, indeclinabiliter subjectum trahitur ad unum agendum. 3$^{o}$ *variae* hic causae commemoran-

tur, quae voluntatem inclinant et (quasi) determinant, cum etiam ex Thomistarum sententia una dumtaxat causa sit, quae eam ad agendum simpliciter determinet: scl. Deus.

Si tamen ulla dubitatio superest, rectene simus interpretati haec verba S. Thomae, scl. quoties de voluntate agitur, imprimis de determinatione ejus quoad specificationem actus et ex parte objecti, deinde vero de aliis etiam momentis moraliter in voluntatem ejusque decisionem influentibus agi, exclusa semper et rejecta praedeterminatione physica, ipse S. Thomas aufert eam, quae vix possibilis est, dubitationem. Etenim 4° in iisdem quaestionibus « de Verit. » q. 24, a 14 locus exstat huic prorsus parallelus, *parallelismo et verbali et reali*. Ibi autem clare explicat ipse S. Doctor, *quomodo et qua re* indeterminatio atque illud « quasi esse in potentia » a causa stricte ad utrumlibet, quae est voluntas libera, tollatur. « *Voluntas hominis,* inquit, non est determinata ad aliquam unam operationem [est causa ad utrumlibet], sed se habet indifferenter ad multas et sic *quodammodo est in potentia*, nisi mota per aliquid activum vel *quod ei exterius repraesentatur, sicut est bonum apprehensum* [en! communis determinatio quoad specificationem], vel quod *in ea interius operatur,* sicut est ipse Deus, ut ait Augustinus in Lib. de gratia et libero arbitrio (c. 21), ostendens Deum *multipliciter* operari in cordibus hominum [en! varia momenta, quae functionem determinationis quoad specificationem, quae cognitione *boni* habetur, supplere suo modo possunt] ». Haec supra vidimus p. 153 sq.

Constat igitur, agi hoc loco primo quidem, quoties de voluntate sermo est, de determinatione ejus quoad specificationem et ex parte objecti, deinde vero de aliis etiam momentis, quae in voluntatem ejusque liberam decisionem moralem quandam vim exercent, ut sunt voluntatis motus indeliberati, nullo vero modo agi de determinatione ejus ad unum simpliciter seu ad exercitium actus.

Hinc jam constat, *quomodo voces « causae ad utrumlibet per se acceptae » hoc loco intelligendae sint. Significant causas ad utrumlibet nude per se spectatas demptis omnibus momentis, quae in eas praevie ad earum actionem perfectam, quae simpliciter actio dicitur, influunt, easque ad eam eliciendam aliquo modo disponunt.* Et de his sane causis verum est id, quod S. Thomas docet: effectus « in causis ad utrumlibet *nullo modo* cognosci possunt *per se acceptis* » *ne conjecturali quidem certitudine,* ut ex consequentibus patet; « sed si adjungantur causae illae, quae causas *ad utrumlibet inclinant magis ad unum* quam ad aliud, potest [non quidem perfecta, attamen] aliqua certitudo *conjecturalis* de effectibus praedictis haberi », quod non haberet locum, si de determinatione simpliciter ageretur, haec enim certam, non conjecturalem tantum certitudinem effectus praebet.

Hucusque certe nihil occurrit, quod causae nostrae detrimentum afferre possit ullum.

At quando hic asseritur a S. Thoma, non posse contingentia futura in causis secundis et proximis per se acceptis ullo modo, ne conjecturaliter quidem, cognosci, quando alias docet, non posse ea *in causis ipsorum* videri, nonne merito jam restringimus *has ipsorum causas* ad unas causas secundas proximas per se acceptas, exclusa semper causa prima? Ita faciendum esse clare indicat R. P. Dummermuth p. 421 et alias. Ll. ait: « Quantum ad tertiam discrepantiam, falsum est, S. Thomam, dum dicit liberas actiones nullo modo e causis cognosci posse, intelligere causas a Deo motas. Intelligit S. Doctor causas secundas *per se acceptas*, ut patet ex dictis ». Et p. 407 in nota: « Ad certitudinem cognitionis effectuum voluntatis utique non sufficit cognitio causarum, si sermo sit de causis proximis *per se acceptis*; si autem sermo sit de causa prima, vel de causis proximis quatenus subjiciuntur determinationi et dispositioni divinae scientiae et voluntatis, quae est causa prima, . . . cognitio causarum certo sufficit ».

Haec explicatio, opinor, nunquam a R. Patre scripta fuisset, si attente perpendisset, quid tandem S. Thomas vocibus « causarum proximarum per se acceptarum » hic intelligat. Sed plane gratis demus ei hoc, vocibus his intelligi a S. Doctore causas secundas non prorsus nudas secundum se spectatas, sed cum omnibus iis momentis ad actionem praeviis, quae ipsas ad unum magis quam ad aliud *inclinant*, exclusa sola actuali motione Dei: ne ita quidem haec ab ipso adhibita restrictio et explicatio textus quoad *alios* locos admitti potest. Etenim S. Thomas hic de *Angelis* agit atque asserit, Angelos non posse contingentia futura in causis liberis proximis per se acceptis ullo modo certo cognoscere, sed « si adjungantur causae illae, quae causas ad utrumlibet inclinent magis in unum quam in aliud, tunc posse aliquam certitudinem conjecturalem de his effectibus haberi. In aliis vero locis de ipsius *Dei* cognitione agitur, et *negatur, posse Deum contingentia futura certo cognoscere* (certitudine scl. absoluta et stricte dicta) *ullo modo in ipsorum causis, sed tantum in esse ipsorum actuali*. Profecto hae causae, quando de Deo agitur, non recte intelliguntur causae proximae, quocunque tandem modo acceptae, exclusa causa increata et prima, quoniam haec et inter causas effectuum contingentium futurorum primaria et plane princeps causa primoque loco intelligenda est, si de causis rerum simpliciter agitur, et quoniam ipsa intime cum Deo cohaeret, imo ipse Deus est. Falsum denique esset, contingentia futura tantum cognosci posse in esse ipsorum actuali. Vide paullo supra de notione « causarum ».

Quaeritur fortasse, cur de cognitione angelica agens S. Doctor de unis causis proximis et creatis liberorum futurorum hic loquatur, negetque his posse futura contingentia certo ab Angelis cognosci. Quia intendit hic principia naturalis cognitionis Angelorum ponere; naturalis autem cognitio Angelorum ultra causas creatas non excurrit, nec ad cognitionem Dei, uti in se est, pertingit, quemadmodum ipse S. Doctor hic adnotat. « Cogni-

tione igitur naturali, inquit, (Angeli) illa tantum per formas innatas futura praescire possunt, quae in causis *naturalibus* sunt determinata, vel in una tantum causa vel in collectione plurium ». Relate ergo ad Angelos eorumque naturalem cognitionem oportebat sane restringere ordinem causarum ad unas proximas et creatas eventuum futurorum causas, non oportebat primam causam oratione comprehendere. At quando de causa prima ejusque cognitione agitur, res plane alia est. Haec enim seipsam pro objecto formali et principe cognitionis habet; qui ergo admitti potest, S. Thomam, quando agit de cognitione contingentium per Deum inque ipsorum causis, Deum eorum causam principem in ambitu causarum non comprehendisse, sed ab eo exclusisse ?

Omnis igitur parallelismus inter locum hunc, qui de Angelis est, et alios locos S. Doctoris, qui de Deo sunt, de quibus supra egimus, abest: parallelismus verbalis, nam verba non sunt eadem; realis quoniam sunt diversa prorsus subjecta. Hic igitur locus ad illos illustrandos et explicandos inservire prorsus non potest.

*Altera* tamen *in hoc loco de Ver. q. 8, a. 12 sententia* occurrit, quae recentiori Thomismo vehementer videtur prodesse. Est haec: « *Omnes* autem hujusmodi effectus scl. futuri, *qualescunque sint eorum causae proximae* [ sive hae ad unum determinatae sunt natura sua sive indifferenter se habent ad utrumlibet ], *tamen in causa prima omnes sunt determinati,* quae sua praesentia [ praesentia scl. ipsius causae primae, addit non sine emphasi R. P. Dummermuth p. 413 ] omnia intuetur et sua providentia omnibus modum imponit. Angeli autem et divinam essentiam intuentur » etc.

At quidquid R. P. pag. 157 contrarium opinatur — verba ejus mox afferemus — neque in hac sententia quidquam est, quod Thomismo recenti faveat. Inspiciatur contextus, et rem sic esse, manifestum erit. Ex contextu enim his verbis *unus* sensus subesse potest: patere beatis Angelis ad futura omnia, etiam quae stricte contingentia sunt, cognoscenda praeclaram aliquam viam, in ipsa nimirum divina notitia de iis et in divinae providentiae decretis circa illa. Non quod beati Angeli omnia prorsus futura in divina providentia intueantur, sed alii aliis plura vel pauciora eorum norunt pro modo atque mensura, qua participes sunt visionis beatae. Hunc esse sensum verborum, et ex fine articuli et ex responsione ad secundum cognoscitur. Verba extremi articuli haec sunt: « Si autem (Angeli) divinam providentiam comprehenderent, omnes futuros eventus certitudinaliter scirent. Sed quia quidam perfectius aliis divinam providentiam intuentur, quamvis nullus eorum perfecte comprehendat, ideo quidam in Verbo plura futura, etiam de contingentibus ad utrumlibet, sciunt ». Similia, ut dixi, inveniuntur ad secundum.

Numquid igitur his demonstratum est, locum nihil favere praedeterminationibus physicis ? Quod intuendo causam primam in ea certo cognosci potest, id in ea necesse est certo et determinato modo contineri. Atque

ipsum hoc S. Doctor diserte hic tradit. « Omnes hujusmodi effectus futuri, qualescunque sunt eorum causae proximae, tamen in causa prima omnes sunt determinati ». Hoc totum conceditur. Quaestio est, quomodo futura, praesertim contingentia, in Deo determinato modo contineantur? An decretis physice praedeterminantibus, ut vult R. P. p. 157 sq., an quia Deus « sua praesentia omnia intuetur et sua providentia omnibus modum imponit » i. e. omnia moderatur et gubernat, ut vult S. Thomas?

Ideo igitur secundum S. Thomam beatis spiritibus adest possibilitas et vera facultas videndi omnia futura (disjunctive) in Verbo, quia Deus de omnibus futuris certam, et proinde determinatam notitiam habet, et quia divina providentia omnia moderatur. At Deum hanc futurorum notitiam habere decretis physice praedeterminantibus, item providentiam divinam omnia moderari ac gubernare iisdem decretis, id quidem a R. P. sumitur, a S. vero Thoma non adstruitur, sed adstruitur hoc dumtaxat, omnia haec in Deo determinata inesse, quia « sua praesentia omnia intuetur et sua providentia omnibus modum imponit ». Qua ratione etiam Molinistae illud explicant.

Nec illud quemquam movere debet, a R. Patre hic p. 158 afferri definitionem modi realis: scl. *modum* (realem) *esse* secundum S. Thomam (de Propositionibus modalibus. Opusculum 36. Edit. Rom. 40) *determinationem adjacentem rei*. Non agitur hic de modo reali omnibus rebus per providentiam divinam addendo, sed de illa *moderatione* agitur, qua Deus omnia inter certos terminos continet, et omnia et singula pro decretis suae sapientiae ad fines suos dirigit atque gubernat. Quis autem ostendet aut prudenter credet, hoc fieri non posse nisi denuo inditis omnibus rebus modis realibus? Ergo extra causam est illa « modi » definitio.

Imo addimus, videri locum nobis magis quam Thomistis favere. Etenim si revera omnia futura Dei decretis absolutis et physice praedeterminantibus agerentur: quid tunc opus erat meminisse, Deum sua praesentia intueri omnia? Nonne decreta illa commemoranda erant, utpote quae vere ultimam, propriam, adaequatam rationem continerent, cur omnia futura, etiam contingentia, in Deo determinate inessent. Cur ergo illa omisit, scientiam nominavit? Sua autem praesentia omnia intueri nihil aliud esse, quam omnia clare et nude, qualia in seipsis sunt, et quasi praesentia intueri, perspicuum est. Cfr 1, q. 8, a. 3 in corp.

Interrogabitur fortasse, cur S. Thomam, postquam in principio utrumque nominavit, scientiam et providentiam, in conclusione de una providentia dicat. Ait enim: « Si autem (Angeli) divinam providentiam comprehenderent » etc. Respondetur breviter: quia in providentia scientia aliquo tandem modo continetur.

Constat igitur, R. P. immerito ad hunc locum provocasse, quasi contineat doctrinam praedeterminationis physicae. Sed ipsum audiamus. Scribit pag. 157 haec: « Ultimum assertum, nempe omnes effectus futuros, etiam

actus liberi arbitrii, certitudinaliter cognosci, *si adjungatur causa prima,* sic demonstrat Angelicus : « Omnes (autem) hujusmodi effectus, qualescunque sint eorum causae proximae, *tamen* (1), in causa prima omnes sunt determinati, quae sua praesentia omnia intuetur et sua providentia omnibus modum imponit ». Ponderentur haec verba. Omnes effectus, qualescunque sint eorum causae proximae, id est, sive eorum causae sint liberae, sive non, determinati sunt in Deo *ut in prima causa* (2). Quod actus determinatus a libero arbitrio procedat, hoc est a Deo tanquam a *prima causa* et a libero arbitrio tanquam *a causa secunda et proxima.* Causa prima sui ipsius praesentia omnia intuetur. Non videt Deus determinata futura contingentia et libera in propriis causis supercomprehensis, vel in eorum veritate objectiva, sed ea intuetur, *ut in causa, in qua et a qua omnia determinantur.* Sua providentia enim, Deus, prima causa, omnibus *imponit modum*, id est, determinationem . « Oportet scire, inquit S. Thomas, quid sit modus. Est autem determinatio adjacens rei ».

Circa hanc expositionem R. Patris adnoto : 1° Nexus inter duas sententias statuitur, quae nullum nexum habent, scl. inter sententiam : « Omnes (autem) hujusmodi effectus » etc. et eam, quae superius occurrit : « sed si adjungantur causae illae » etc. Etenim ab hoc enuntiato : « Omnes autem » etc. omnino novum apud S. Thomam incipit argumentum. Hucusque enim S. Thomas principia cognitionis *naturalis* Angelorum circa futura exposuerat ; jam incipit, exponere fundamentum, cur beati Angeli futura, etiam stricte contingentia, *visione beata* certo cognoscere possint. Oppositionem inter haec et praecedentia indicaverat S. Doctor *particula* « *tamen* », quam R. Pater omisit. Ergo prima causa inter eas causas, de quibus scripserat : « sed si adjungantur causae illae » etc. comprehendenda non erat. 2° Enuntiatum R. Patris : « Quod actus determinatus a libero arbitrio procedat, hoc est a Deo, tanquam a causa prima, et a libero arbitrio, tanquam a causa secunda et proxima », respicit sine dubio haec verba S. Thomae : « Sed quia ex causa ad utrumlibet . . . non progreditur effectus, nisi per aliquam aliam causam determinatur magis ad unum quam ad aliud ». Enuntiatum autem R. Patris innuit, hic locutum esse S. Thomam *de causa prima,* atque ipsi determinationem ad *actum* adscripsisse ; quod vidimus plane falsum esse. 3° Quando R. P. hic scribit : « Non videt Deus determinata futura contingentia et libera in propriis causis supercomprehensis, vel in eorum veritate objectiva », aliquid dicit, pro quo in textu S. Thomae fundamentum nullum est. 4° Quando porro hoc modo pergit : « sed ea intuetur in seipso, ut in causa, in qua et a qua omnia determinantur », iisdem fere vocabulis adhibitis, quae sunt in textu S. Thomae, sensum immutat. Dixerat S. Thomas : « Omnes autem hujusmodi effectus, qualescunque sint eorum causae proximae, tamen in causa prima sunt de-

(1) Hanc particulam omisit R. Pater.
(2) Quo jure addidit hic R. P. particulam « ut », quae facit sensum formalem ?

terminati, quae sua praesentia omnia intuetur, et sua providentia omnibus modum imponit ». Haec verba certe non significant : ideo omnia illa in causa prima esse modo determinato, quia in causa prima et a causa prima determinantur, (intellige : physice praedeterminantur), sed ideo omnia illa in causa prima habere determinationem, quia causa prima ea omnia determinate cognoscit et omnibus determinate providet, quod plane est aliud. Quae denique additur 5° definitio modi realis a R. Patre, non est ad rem, quemadmodum vidimus. Cfr ejusdem R. Patris conclusio ex eodem loco S. Thomae pag. 413 : « Deum omnia futura contingentia cognoscere in seipso ut in causa, in qua et a qua omnia futura contingentia sunt determinata ». Haec hactenus.

---

## ART. V

### ALII QUIDAM LOCI A R. P. DUMMERMUTH CONTRA DOCTRINAM SUPRA EXPOSITAM EX OPERIBUS S. THOMAE EXCITATI EXPENDUNTUR. (C[a] GENT. L. I, C. C. 66-68).

Transimus ad alios locos a R. Patre laudatos ( pag. 413 sqq ). Desumpti sunt *ex libro primo contra Gentes a cap. 66-68.*

Ex cap. 66 laudatur n. 5. Locus est hic : « Effectus aliquis in sua causa praecognosci potest, etiam antequam sit ; sicut cognoscit astrologus eclypsim futuram ex consideratione cœlestium motuum. Sed cognitio Dei est de rebus omnibus per causam ; se enim cognoscendo, qui est omnium causa, alia quasi suos effectus cognoscit. Nihil ergo prohibet, quin ea etiam, quae nondum sunt, cognoscat ».

Hoc argumentum unum est ex illis, quae S. Doctor contra positionem adversariorum cp. 63, n. 2 allatam adhibet. Negabant hi universaliter, non entia i. e. non exsistentia ( « quae nondum sunt » ) posse a Deo cognosci. Conclusio S. Doctoris contra hos adversarios in hoc argumento est haec : prohibere nihil, quin (Deus) ea etiam, quae nondum sint, cognoscat ; potuisset concludere, *esse gravissimam rationem* et necessariam, cur diceremus, Deum plura saltem ex iis, quae nondum sunt, cognoscere. Et hic sane sensus est conclusionis, quam negative et modeste expressit.

Ut clare cernatur, hanc vim conclusionis esse nec quidquam in argumento inveniri, quod causam Thomistarum promoveat, argumentationem a S. Thoma institutam immutatis paululum verbis exhibeamus. Obversari autem hic ob oculos debet, « *cognitionem Dei de omnibus rebus* per causam », de qua cognitione in minore S. Thomas loquitur, restringendam esse in argumento ad res, quae actu iam sunt, seu quae exsistunt ; aliter enim peteretur principium et contra adversarios nihil concluderetur. Hac animadversione praemissa argumentatio a S. Thoma facta pro nostro mo-

do concipiendi clarius sic potest exhiberi: « Deus res omnes, quae actu jam sunt, cognoscit *ratione causalitatis suae circa illas seu: ratione causalis nexus, quem cum iis habet. Attende enim S. Thomam non dixisse, Deum cognoscere eas omnes « in causa » sed, « per causam » i. e. ratione suae causalitatis seu propter causalem nexum,* quem cum iis habet. Jam vero causalis nexus in rebus, quae jam sunt, saepe manifestat effectus, qui nondum sunt (« non entia »), ut usu vitae constat, scl. saltem omnis is effectus in causa et proinde etiam per causam praecognosci potest, qui in causa determinate inest. Ergo nihil prohibet, quin Deus saltem quaedam non entia cognoscat, imo hoc dicere necessarium est pro eximia excellentia divini intellectus. Consequentia probatur: Causalis nexus est manifestativum ejus quod nondum est, in eo, quod jam est; atqui causalis nexus praecise est ratio, sub qua divinus intellectus circa res versatur, easque attingit; ergo dicere nullo modo licet, Deum, qui summe perspicax est, effectus nondum exsistentes non attingere i. e. non cognoscere.

Universalis vero conclusio esse non potest, quia una praemissa particularis fuit; ex particulari praemissa autem nunquam sequitur conclusio universalis: « Effectus aliquis » etc. apud S. Thomam.

Patet jam, in toto hoc argumento nihil inveniri, quod Thomistis faveat. Et re quidem vera, ut vel serio aliquo modo quaestio institui possit, num forte huic loco aliquid insit, quod juvet Thomistas, constare deberet, idem esse « cognoscere per causam » et « cognoscere *in* se ut in causa » (determinata ad effectum). Quomodo hoc demonstrabitur? Nonne quam supra dedimus hujus expressionis « per causam cognoscere », explicationem, plane consentanea est toti contextui? Insuper cur S. Thomas orationem variavit nec dixit, ut dicere coeperat: « effectus aliquis *in* sua causa praecognosci potest », ita: « cognitio Dei de omnibus rebus est in causa » sed « per causam »? Sed addidit: « se enim cognoscendo, qui est omnium causa, alia quasi suos effectus cognoscit ». Ita est. At ne se quidem, ut primam omnium rerum causam satis cognosceret Deus, nisi alia a se jam effecta nosset. Neque agitur hoc loco de contingentibus, *de quibus est* c. 67 C[a] Gent. l. I. Ratio ergo his verbis redditur, *cur* Deus alia a se sub causalitatis ratione nosse debeat, non indicatur, in qua re proprie et quomodo alia a se cognoscat. Vide supra pag. 195 sq.

His consonans celeberrimus Summae contra Gentes interpres Franciscus Ferrariensis scripsit ad hunc n. 5 haec: « Adverte, quod hoc loco *non investigatur modus cognitionis* non entium, *sed absolute eorum cognitio:* ideo praecedentes rationes absolute probant, Deum non entia cognoscere, sive illa in seipsis videat sive in causa, ratio vero quae sequitur (sexta) probat, quod ea videt et cognoscit etiam, ut in seipsis sunt ». Vides, quam longe abfuerit Ferrariensis ab opinione, quasi S. Thomas hac ratione quinta probare voluerit, Deum cognoscere omnem eventum futurum certo in seipso ut in causa determinata et alia determinante, quod R. P. sentit. Hoc enim pertinet omnino ad modum cognitionis futurorum, non ad eorum cognitionem absolute.

Adjungit ll. R. P. quintae rationi verba, quae post sextam demum rationem occurrunt; cujus sextae rationis propositum, ut modo audivimus, secundum Ferrariensem est hoc, ostendere, Deum futura omnia *etiam* in seipsis videre atque cognoscere, non quod Ferrariensis opinetur, Deum omnia futura, etiam contingentia, posse etiam adaequate et certo in sola eorum causa, quatenus causat, cognoscere, sed quia sentit, quod doctrinae S. Doctoris omnino consonum est, quidquid Deus certo et determinate in rei actualitate videt, id etiam *aliquo modo* in se ut rei causa videri et cerni (1).

Nunc adscribam verba, quae R. P. ex conclusione cp. 66 post sextam rationem affert: « Ea, quae sunt praesentia, praeterita vel futura nobis, cognoscit Deus secundum quod sunt *in potentia sua, et in propriis causis, et in seipsis :* et horum cognitio dicitur *notitia visionis.* Non enim Deus rerum, quae apud nos nondum sunt, videt solum esse, quod habent in suis causis, sed etiam illud, quod habent in seipsis, in quantum sua aeternitas est praesens sua indivisibilitate omni tempori ». Concedimus totum ; quid autem hoc faciat ad causam Thomistarum vel leviter promovendam, id non adeo facile aliquis assequetur, si tamen doctrinam S. Thomae alias traditam ante oculos habeat. — Pergit R. P. Dummermuth: « *Eodem libro cap. 67* [n. 3]. S. Thomas haec habet : « Sicut ex causa necessaria sequitur effectus certitudinaliter, *ita ex causa contingente completa, si non impediatur.* Sed cum Deus cognoscat omnia, scit non solum causas contingentium, sed etiam ea, quibus possunt impediri. Scit igitur per certitudinem, an contingentia sint vel non sint ».

Prima praemissa hujus argumenti *fortasse* doctrinae Thomistarum *in aliquo puncto secundario aliquatenus faveret, si constaret, agi in ea de causis magis proprie contingentibus deque effectibus per se primo libere elicitis.* Etenim si sic se res haberet, posset dici, S. Thomam satis clare affirmare in priore praemissa, contineri in causa contingenti simpliciter completa hujusmodi effectum contingentem simili prorsus modo, quo effectus necessarius in causa necessaria continetur. Singularis ea quidem et doctrinae S. Doctoris omni alio loco adversans sententia, attamen apparenti aliquo modo in ea praemissa contenta, atque talis, ex qua jure inferretur, Deum etiam praecognoscere simili prorsus modo eventus contingentes in causis liberis simpliciter completis, quo cognoscit effectus necessarios in ipsorum causis. Quod quidem Thomistae fere asserunt, est autem contrarium iis, quae S. Thomas non uno loco alias asserit.

Ceterum ne sic quidem ulterius clare et necessario illud alterum sequeretur, quod ratio est, cur locum hunc omnino attingamus: hac scl. sententia doctrinaque S. Thomae implicari ipsam de physicis praedeterminationibus doctrinam, nisi alia duo insuper supponeremus, quorum unum est, causam contingentem simpliciter completam *in actu primo proximo includere ipsam praedeterminationem physicam, tanquam essentiale quod-*

(1) Vide locum modo excussum. 1 dist. 38, a. 5.

*dum ad actum primum proximum pertinens momentum.* Hoc autem ipsi recentissimi Thomistae negant ob rationes, quas supra tetigimus; contra ad actum secundum eam revocare conantur (1). — Alterum autem supponendum esset hoc: aliunde constare, *compleri omnino ex doctrina S. Thomae causas creatas, etiam liberas hujusmodi praedeterminationibus physicis.* Hoc autem nequaquam constat, quemadmodum jam ex superioribus disputationibus manifesto elucet, elucebit etiam ulterius iis, quae afferemus. Nisi enim etiam hoc supponitur, quomodo sciri potest, S. Thomam petere complementum ultimum causarum contingentium, etiam liberarum, in actu primo a physicis praedeterminationibus?

Sed quam conclusionem R. Patri supra largiti sumus, praeter alia illud imprimis arbitrarie, ut mox videbimus, supponentes, agi hic de causis magis proprie contingentibus deque effectibus per se liberis, ea aliunde etiam valde incerta evadit, quia scl. valde incertum est, *de quonam genere impedimentorum* aut apponendorum aut non apponendorum in textu agatur. Agitur fortasse de id genus impedimentis, quae prorsus sunt in potestate et arbitrio liberae voluntatis constituta, de quibus S. Thomas agit « de Malo » q. 6, art. unico ad 15., quaeque libertatem substantialiter intactam relinquunt, siquidem num ea sint necne sint, apponantur necne apponantur, in potestate nostra liberoque arbitrio perfecte manet. Quodsi de talibus impedimentis revera ageretur, patet, etiam cognita causa contingenti simpliciter completa, et suppositione facta, ex ea, nisi impediatur, effectum naturaliter dimanare, solum hypothetica certitudine eaque admodum lata posse in causa ita completa effectum futurum praecognosci, nisi etiam in se praecognoscatur, hujusmodi impedimentum appositum non iri. Ita vero effectus futurus minime in sola causa cognosceretur (2).

Itaque dicimus jam ulterius, si in hac tertia ratione D. Thomae omnino agitur de effectibus liberarum causarum ut tales sunt, quod, ut significavi in nota ultima, non immerito dubitatur; saltem non agitur de effecti-

(1) Cfr Limbourg, Zeitschrift für Kath. Theol. Jahrg. 1877 pag. 190 sqq. — Cfr etiam ibidem p. 165 — quique ibi ex scriptoribus Thomisticis plurimi afferuntur loci.

(2) « Ad decimum quintum dicendum, inquit S. Doctor ll., quod non omnis causa ex necessitate inducit effectum, *etiamsi sit causa sufficiens*—ita scilicet Avicenna statuerat—eo quod causa potest impediri, ut quandoque effectus non consequantur; sicut causae naturales, quae non ex necessitate producunt suos effectus, sed ut in pluribus, quia in paucioribus impediuntur. Sic ergo illa causa, quae facit voluntatem aliquid velle, non oportet quod ex necessitate hoc faciat, *quia per ipsam voluntatem potest impedimentum praestari*, vel removendo talem considerationem, quae inducit eam ad volendum vel considerando oppositum, scl. quod hoc, quod proponitur ut bonum, secundum aliquid non est bonum ».

Equidem non est hic modus defendendi libertatem arbitrii adaequatus et ex omni parte plane sufficiens, attamen salvat substantiam libertatis adversariumque, Avicennam, confundit.— Porro ut hoc loco S. Thomas respicit in responso imprimis adversarium Avicennam, ita locus, de quo in textu agimus, desumptus est ex opere, quod est totum contra adversarios fidei christianae atque catholicae compositum. — Ceterum quamquam haec explicatio probabilis est, non multum ei inhaeremus; quam enim probabiliorem censemus explicationem hujus numeri tertii cap 67, eam jam addituri sumus in

bus harum causarum per se et formaliter liberis et hoc sensu magis proprie contingentibus, nec de causa libera, quatenus est ad effectus per se et formaliter liberos producendos praecise completa, sed de actibus et effectibus externis *mera denominatione liberis* agitur, et de causa libera, quatenus praecise in ordine ad hos actus producendos actu libero imperante completa est.

Quod ut ita esse demonstremus, progredimur longius et dicimus, ut de causa libera in ordine ad effectus formaliter et per se liberos ageretur, oporteret de ea hic agi 1° *in ordine ad actus a voluntate libere elicitos vel potius eliciendos,* qui soli per se et formaliter liberi sunt. 2° vero quod ad causam ipsam attinet, debet causa evidenter hac ratione completa esse, ut includeret in sententia Thomistarum etiam praedeterminationem physicam, in nostra vero sententia concursum Dei oblatum. Id evidens est, quoniam, si esset aliter, causa ad reapse agendum nec simpliciter expedita nec simpliciter instructa et completa dici posset. Sed ita jam causae hujusmodi liberae et contingenti in ordine ad ipsum talem effectum *nullum impedimentum apponi ullo modo potest* (quod tamen ut possit fieri, textus omnino exigit). Quid ita? Quoniam animi motus (volitiones) sup-

textu. — Probabilem tamen ideo censemus eam explicationem esse, quoniam hoc aliquo modo indicatur in litera D. Thomae agi de impedimentis certae indolis et determinatae. Si enim de communibus et externis impedimentis omnino ageretur, quare omisit S. Thomas eorum mentionem in priore membro? Quare scripsit: « Sicut ex causa necessaria sequitur effectus certitudinaliter », non scripsit : « Sicut ex causa necessaria *non impedita* sequitur effectus certitudinaliter » ? Nam causis etiam suapte natura necessariis possunt externa impedimenta incidere. Merito tamen apposuimus clausulam restringentem dicentes : « aliquo modo » indicatur. Nam potest esse, ut S. Thomas hic intellexerit causam strictissimo sensu necessariam, de qua q. 8 de Ver. a. 12 primo loco egit. Vide locum supra p. 196 sq.

Suggerit tamen ille ex qst. 6 « de Malo » locus aliam solutionem difficultatis. Valde probabiliter toto loco ne agitur quidem de causa libera, sed « *de causis naturalibus*, quae non ex necessitate producunt effectus, *sed ut in pluribus*, quia in paucioribus impediuntur ». Opponerentur ergo inter se causae naturales prorsus necessariae et causae naturales non prorsus necessariae, quae a circumstantiis pendent. In illis, utpote quae omni impedimento contingenti superiores sint, secundum se consideratis potest effectus secuturus certitudinaliter praevideri; in his potest etiam certitudinaliter effectus praevideri, dummodo cognoscatur, impedimentum contingens, quod potest omnino adesse, de facto non adfuturum. Nihil video, quod possit plane certum contra hanc explicationem afferri. Nam primo hujusmodi causae naturales, quae ut in pluribus producunt effectus, deficiunt vero in paucioribus propter externum impedimentum, recte dicuntur contingentes (ex natura sua), maxime si opponuntur ad illas naturales causas, quae tales sunt, ut nunquam deficiant. Posse autem eas in effectu producendo impediri ex ipsarum definitione patet. Quod porro effectus earum potest in ipsis certitudinaliter praecognosci, quando cognoscitur, revera eas non impeditum iri, evidens est. Sunt enim intrinsecus et natura sua determinatae ad unum. Est igitur haec etiam interpretatio loci, de quo agitur, probabilis. Accedit *Ferrariensis* auctoritas, apud quem in hunc locum haec exstant: « Adverte, ut dictum est ad primam rationem ad objectionem Durandi, quod ista cognitio, qua cognoscuntur causae contingentes et quod non impedientur vel quod impedientur, non est cognitio contingentis, ut contingens est, sed ut habet necessitatem, *et intelligitur de effectu causarum naturalium*, quia fortasse de effectibus voluntatis cognitio causarum et impedimentorum non sufficit ad certitudinem cognitionis, nisi cognoscatur ipsa causa, *ut actu ultimate operans* non impedita, quod est *cognoscere effectum, ut jam est in suo esse*, non autem solum ut est in causa ». Vides, hic primo asseverari, locum esse de causis naturalibus intelligendum, quod pertinet ad difficultatem praesentem. Ad integram vero causam pertinet, quod Ferrariensis addit, dubium sibi esse, possitne liber actus omnino in causa praecognosci; quod fieri posse, hodiernis Thomistis est indubium. *Priores ergo Thomistae aliter quam hi posteriores sentiebant.*

positis supponendis i. e. omnibus ad agendum i. e. volendum necessariis praeterquam a Deo a nulla externa causa impediri possunt. Jam vero in re proposita Deus eas non impedit, quinimo secundum Thomistas etiam eas praedeterminat, secundum nostram vero sententiam paratus est Deus ad concurrendum cum iis. — Quamobrem textus de causa libera et contingenti ita omnino completa, ut effectum actumve proprie et formaliter liberum et contingentem elicere omnino possit, minus recte intelligitur.

Sed si ita est, quomodo jam intelligendus est textus? Opinamur, eum intelligendum esse de actibus et effectibus, qui vere contingentes sunt, attamen *denominative dumtaxat liberi, seu de actibus effectibusque externis libere a voluntate imperatis;* his enim impedimentum revera opponi potest. Unde doctrina S. Thomae hoc loco tradita secundum nostram sententiam haec est: *posse in actu libero imperante et a voluntate libere elicito praecognosci a Deo certitudinaliter ipsum externum effectum contingentem actumque externum imperatum, qui reapse eventurus est, nisi obveniat quoddam externum impedimentum; quod ipsum tamem, num obventurum sit, certe a Deo etiam praecognoscitur.* Causae igitur contingentes et liberae hoc sensu completae non sunt liberae voluntates secundum se spectatae nec etiam spectatae cum omnibus iis, quae ipsas constituunt in actu primo proximo ad actum liberum voluntate eliciendum, sed sunt liberae voluntates prouti libera determinatione imperante ultimum internum complementum potentiae liberae in ordine ad actum contingentem externum et imperatum consecutae sunt. — Hunc putamus probabiliorem sensum hujus tertiae rationis S. Thomae esse. Primo quia ita ponitur aliquid Deo proprium, cui soli omnia consilia cordium, adeoque omnes etiam actus liberi imperantes in seipsis patent. Deinde quia ita optime intelligitur parallelismus, quem S. Doctor inter hujusmodi causam contingentem completam et causam necessariam statuit. Nam utraque jam est determinata ad unum, quamvis una naturaliter, altera libere et contingenter; utriusque autem determinationem Deus in seipsa videt. Tertio hac interpretatione admissa, doctrina in hac ratione contenta apprime congruit cum doctrina quam tum aliis locis tum in ipsis prima et altera rationibus hujus capitis Sanctus tradidit: contingentes effectus in causis suis certo praecognosci nullo pacto posse. Agebatur enim illis in rationibus de effectibus et actibus per se contingentibus *et formaliter liberis.*

Porro doctrina de contingentibus et liberis effectibus hoc modo apte continuatur. Transitur, postquam in 1ª et 2ª ratione de effectibus per se liberis et contingentibus, actum est, ad alios actus et effectus, vere quidem contingentes, attamen denominative tantum liberos.

Denique haec interpretatio sensu verborum proprio et naturali prorsus inhaeret. Cernitur jam clare, et quomodo effectus, de quo agitur, possit omnino impediri, quod suppositis supponendis de actibus et effectibus per se liberis et contingentibus, seu de formaliter liberis volitionibus intelligi prorsus nequit, quemadmodum vidimus. Cernitur etiam, cur has

causas *completas* esse debere S. Thomas enuntiaverit; quod si de simplici actu primo proximo ad omnino agendum simpliciter necessario ageretur, supervacaneum fuisset, nec id alias unquam S. Doctor effert. Ut autem effectum externum contingentem et denominative dumtaxat liberum producat, causam liberam oportet non solum sufficienter instructam esse ad agendum i. e. eligendum simpliciter, sed ita debet esse instructa et completa, ut aliquod novum complementum voluntati *internum* in ea re suscipere jam non possit. Debet enim esse instructa actu libere elicito et imperante. Hae sunt rationes nostrae.

Patet autem hac ratione, nihil prorsus in textu denotari, quo doceatur, Deum posse futura formaliter libera in causis eorum ut sic adaequate et certo cognoscere.

Quod R. P. ex eodem capite porro adscribit, id ipsi damus. Post ea, quae exposuimus, ne speciem quidem difficultatis retinet (1).

Vidimus quae R. Pater pro Thomistarum sententia ex cpp. 66 et 67 l. 1 contra Gent. petivit argumenta. Videamus ea, quae ex cp. 68 ab eo laudantur.

Ipsum capitis exordium videtur R. Patri quoddam pro causa sua non spernendum argumentum esse. « Oportet, inquit S. Thomas, ostendere quod Deus cogitationes mentium et voluntates [i. e. volitiones] cordium cognoscat *in virtute causae*, cum ipse sit *universale essendi principium* » (2).

Contineturne in his verbis revera argumentum pro sententia Thomistarum? Continetur profecto, si S. Thomas hic docet, cognoscere Deum cogitationes mentium et voluntates cordium, quae jam sunt, *propterea*, quia in seipso *ut in earum causa efficienti et cuncta determinanti rationem objectivam, sufficientem et adaequatam* possidet ad eas cognoscendas. Examinemus, num S. Thomas hoc doceat.

Atque ut ab hac re exordiar : est fortasse nonnemo, qui opinabitur, S. Thomam, quando haec scripserit, saltem non minus cogitasse de Deo ut est *causa exemplaris* quam de Deo, ut est causa efficiens. Et hoc propter duo : *a*) propter ea, quae praemiserat; *b*) propter argumenta, quae sequuntur.

In fine enim cp. 66 exstant haec : « Non Deus rerum, quae apud nos nondumsunt, videt solum *esse*, *quod habent in suis causis, sed etiam quod habent in se ipsis*, inquantum ejus aeternitas est praesens sua indivisibilitate omni tempori; *et tamen omne esse cujuscunque rei cognoscit per essentiam suam* [scl. ut per rationem formalem et sub qua]. Nam sua essentia est *repraesentabilis secundum multa, quae non sunt nec erunt nec fuerunt ;*

(1) Est hoc : « Deus, quum sit cognitor *totius esse, cujus est principium*, cognoscit unumquemque effectum non solum in se, sed etiam *in ordine ad quaslibet suas causas proximas*. Ordo autem contingentium ad causas suas proximas est, ut contingenter proveniant; cognoscit igitur Deus aliqua evenire et contingenter evenire. Sic igitur divinae scientiae certitudo et veritas rerum contingentiam non tollit ». n. 6.

(2) Dummermuth p. 414.

[*exhibetur essentia divina ut exemplar omnium pure possibilium*]; ipsa etiam est *similitudo virtutis cujuslibet causae*, secundum quam praeexsistunt effectus in causis [*eadem ut exemplar ordinis causae ad effectum proponitur*]; *esse etiam cujuslibet rei, quod habet in seipsa, est ab ea exemplariter deductum* [*habes jam divinam essentiam esse etiam exemplar omnis exsistentiae*]». Ergo est etiam causa exemplaris omnis cogitationis, omnis volitionis exsistentis humanae.

Ad argumenta autem cp. 68 quod attinet, *praeter argumentum secundum nullum respicit Deum ut causam efficientem : primum et tertium repetitur* a Deo *ut est causa exemplaris* omnis esse, omnis intelligere et velle, quemadmodum Ferrariensis quoque clare indicat (1) ; quartum et quintum vero repetitur suppositis supponendis a quadam paritate et analogia.

Quae cum ita sint, jure interpretamur locum sic, ut in hoc capite doceatur, Deum cognoscere cogitationes mentium et voluntates cordium ideo, quod est universale principium essendi omnium, quae sunt, et exemplariter et etiam efficienter. Quoniam enim omnes cogitationes mentium, omnes quoque affectiones animorum a Deo ut a causa exemplari et efficienti aliquo tandem modo derivantur, nisi hi status mentium Deo certe cogniti essent, ipsa virtus divinae causalitatis a Deo non perfectissimo omnino modo, non usque ad ultimum suum effectum, cognosceretur. Vide pag. 195. — Ergo eae etiam cogitationes et affectiones cognoscuntur a Deo debentque cognosci. Unde jam *non* agitur in hoc exordio totoque capite, *de significando medio, in quo Deus ut in adaequate sufficienti ratione objectiva hominum cogitationes affectionesque exsistentes cognoscat, sed de ratione, propter quam seu cur Deus hominum cogitationes affectionesque omnes cognoscere debeat seu cur ne haec quidem scientia a Deo possit abesse.* Aliud est enim scire, in Deo oportere esse talem notitiam, aliud, unde et quomodo sit, perspicue docere.

Et re quidem vera, si in hoc exordio indicaretur, Deum cognoscere cogitationes affectionesque animorum in se ut in causa efficienti et hominum mentes et voluntates ad unum per se physice determinante tanquam in ratione objectiva adaequate sufficienti ad eas cognoscendas, discordia esset inter hunc locum S. Thomae et inter alios ejusdem. Affectiones enim voluntatum liberae maxime omnium sunt effectus contingentes. De his autem effectibus alias frequenter D. Doctor tradidit, nisi in seipsis, prouti in sua actualitate divinae intuitioni subsint, eas nullo modo certo cognosci posse.

Insuper si hoc exordio indicare ullo modo voluisset S. Doctor, Deum cognoscere affectiones cordium cogitationesque mentium in seipso, ut in medio quodam objectivo et de se sufficienti, seu quod re idem est, cog-

(1) Cfr Ferrariensis ad hunc locum post argumentum tertium § « Adverte », ubi effert : quemadmodum primum argumentum respiciat Deum ut causam exemplarem (« non proprie effectivam ») omnis esse, sic tertium ab eo ut a causa exemplari omnis intelligere et velle derivari.

noscere Deum eas in se posse, ut in causa singulos hos actus non solum efficiente, (quod nos etiam dicimus, nec id tamen ad earum certam et definitam cognitionem sufficit), sed etiam ut in causa eos singulos physice praedeterminante (quod quidem ad eorum perfectam cognitionem sufficeret, qualem tamen causam Deum esse, negamus), quomodo secundum argumentum hac forma protulisset? « Sic Deus, inquit, cognoscendo suam essentiam alia cognoscit, sicut per cognitionem causae cognoscuntur effectus. Omnia igitur Deus cognoscit, suam essentiam cognoscendo, *ad quae sua causalitas extenditur*. Extenditur autem ad operationes intellectus et voluntatis; *nam cum quaelibet res operetur per suam formam*, a qua est aliquod esse rei, *oportet fontale principium totius esse, a quo est etiam omnis forma, omnis operationis principium esse;* cum effectus causarum secundarum in causas primas principalius *reducantur*. Cognoscit igitur Deus cogitationes et affectiones mentis ».

Hoc est unicum hujus capitis argumentum, quo Deo adscribitur cognitio cogitationum et affectionum humanae mentis ratione « causalitatis » maxime propriae i. e. efficientiae. Qualis autem haec efficiens causalitas est? Non est immediata horum effectuum causalitas, *sed mediata tantum*, quae Deo hoc loco tribuitur; non quod circa hos effectus immediata causalitate prorsus careat, sed ea hoc loco non adstruitur. Vindicatur igitur Deo causalitas causati (motus animorum) ratione formarum, quas ipse condidit. Ergo quia est causa causantis, causatum ad ipsum tanquam causam revocatur vel, ut S. Thomas ait, « reducitur ». Quodsi revera hoc capite ostendere voluisset S. Doctor, Deum esse sibi ipsi ob suam causalitatem efficientem et cuncta per se ad unum determinantem rationem sufficientem objectivam ad cognoscendos omnes affectus animi et cogitationes mentis: qui contentus esse potuisset una hac *mediata* efficientia horum effectuum proposita? Aliquid quod cum singulis his effectibus magis et proprius connexum esset, *singulosque determinate* respiceret, sine dubio commemorasset.

Possumus igitur etiam hoc caput relinquere, si prius unum paucis explicaverimus: quid accurate significetur enuntiato illo primo, quo S. Doctor secundum argumentum auspicatus est: « Sic Deus cognoscendo suam essentiam alia cognoscit, sicut per cognitionem causae cognoscuntur effectus ». Nam quarta ratio, quam ex S. Thoma pro se etiam laudat R. P., manifesto pro ipso nihil probat; conclusio autem capitis contra ipsum et pro nobis est.

Respondetur igitur, hoc enuntiato significari nihil aliud nisi unum hoc: Causalem nexum, quem Deus seu divina essentia cum aliqua re habet, esse rationem, cur Deus eam rem cognoscere et possit et *debeat*, prouti id supra iam explicavimus pag. 195.

Concludit autem S. Thomas caput hoc modo: « *Dominium autem quod habet voluntas supra suos actus,* per quod in ejus est potestate vel velle vel non velle, *excludit determinationem virtutis ad unum* et violentiam

causae exterius agentis ; non autem excludit *influentiam* (1) superioris causae, a qua est ei esse et operari. Et sic remanet causalitas in causa prima, quae Deus est, respectu motuum voluntatis, ut sic Deus, seipsum cognoscendo, hujusmodi cognoscere possit ». Haec pro nobis esse, unusquisque videt ; glossa omnis evidentiam loci obscuraret (2).

---

## ART. VI

OBJECTIO R. PATRIS EX L. 3. CONT. GENT. C. 56, N. 4 PETITA EXPENDITUR; QUA OCCASIONE S. THOMAE DOCTRINA DE DEI CAUSALITATE CIRCA MALAS ACTIONES EXPONITUR, ATQUE PRAEDETERMINATIONIBUS PHYSICIS FATALIS ESSE DEMONSTRATUR.

Ad librum tertium cont. Gent. cap. 54, n. 4 transfertur a R. P. p. 414 oratio. Quod ibi causae suae patrocinari opinatur, hoc est : « Deus, inquit S. Thomas, voluntates ( volitiones ) nostras sicut et alios suos effectus, *cognoscit per hoc, quod est nobis causa volendi*». Oportebat afferre contextum, ut tota vis hujus loci eluceret. Nam hic locus revera magis, quam plures hucusque laudati loci, ad causam, de qua agimus, videtur pertinere. Etenim hic, ut videtur, *non agitur* de causa vel de ratione, *cur divina notitia debeat etiam usque ad volitiones humanarum mentium porrigi* easque complecti, sed videtur prorsus agi *de objectiva aliqua ratione, in qua vel potius per quam hae volitiones possint adeoque etiam debeant a Deo cognosci.*

Tractatur toto hoc capite quaestio, cur intellectus creatus, quamvis intuitive videat Deum, non tamen videat omnia, quaecunque per divinam essentiam, quocunque tandem modo, cognosci possunt ; ostenditque S. Doctor in hoc quarto numero in specie, cur viso etiam intuitiva visione Deo, non sit necessarium, ut Dei liberae volitiones simul cernantur. Concludit vero numerum his verbis, quae doctrinam *universalem* enuntiant : « Non potest igitur aliquis intellectus cognoscere, quid volens ( libere ) velit, nisi forte per aliquos effectus, sicut cum videmus aliquem voluntarie operantem, scimus, quid voluerit ; *aut per causam, sicut Deus voluntates ( volitiones ) nostras, sicut et alios suos effectus, cognoscit per hoc, quod est nobis causa volendi ;* aut per hoc quod aliquis alteri suam voluntatem insinuat, ut cum aliquis alteri suum affectum loquendo exprimit ».

(1) Influentia profecto non est necessario physica praedeterminatio ad unum ; concursu simultaneo, aliisque influendi modis vox recte et abunde explicatur ; attende maxime verba : « excludit determinationem virtutis ad unum ».

(2) Cfr tamen P. Dummermuth p. 340 sq. in nota.

Exsistimo, qui est contextus, dubium esse non posse, quin de objectiva quadam ratione agatur, in qua seu potius per quam Deus cognoscere possit nostras volitiones. Tale enim objectivum « medium, per quod » exhibetur in exemplo primo et tertio, ergo etiam in secundo ; idque reliqua etiam verborum series exigit. De hac igitur re inter R. Patrem et nos discordia, ut puto, nulla.

Maximus autem dissensus exoritur, quando definiendum est ulterius, quomodo in hac re, quod Deus sit nobis causa volendi, contineatur objectiva quaedam ratio sufficiens ad cognoscendas liberas nostras volitiones. Hoc quomodo in doctrina Thomistarum verum sit, nullam habet difficultatem, modo ipsa eorum doctrina de praedeterminationibus physicis vera sit. In nostra sententia quomodo verum sit, est explicandum.

Hac occasione exponam duo, quae ad illustrandam quaestionem, quam toto hoc opere tractamus, conferent plurimum, et quibus explicatis quaestio posita plenam habebit responsionem.

*Unum est, quo ambitu et quo sensu ex principiis S. Thomae illud verum sit, quod ipse l. 3. cont. Gent. c. 54, n. 4 dixit, Deum esse nobis causam volendi ; alterum, quomodo, et qua suppositione facta, etiam in nostro systemate ea, quae circa volitiones nostras Deo a S. Thoma tribuitur causalitas efficiens, proprie vel improprie* (1) *talis, objectiva et sufficiens quaedam ratio ei exsistat ad volitiones nostras cognoscendas.*

Circa primam quaestionem haec notamus: Primo quidem *verum est stricto sensu* atque doctrinae S. Thomae (2) prorsus est consentaneum, quidquid *boni* operemur vel velimus, id omne adaequate reduci in Deum, ut in veram et propriam ejus causam, volentem id et intendentem, « et interius operando in ipsa voluntate et exterius occasiones et auxilia praebendo ad bene agendum etc. ». *Nequaquam tamen id proprie et omnino de malis nostris actionibus, quatenus tales sunt, dici potest ;* nec S. Doctor unquam id fassus est vel innuit, frequenter autem id plane atque universe negavit (3).

Nec quando alias docet, actum peccati, quod attinet ad essentiam actus,

(1) Ita dicitur propter actiones moraliter malas.

(2) Cfr v. g. Qst. 24 de Ver. a 14 ; 2 dist. 28 q. 1, a. 1 ad 1 et 3 etc.

(3) Cfr v. g. 2, dist. 37, q. 2, a 1 in corp. et ad 1 ; q. 3 de Malo a. 1 in corp. et ad 1 ; 1. 2, q. 79, a. 1 per totum. Hunc ultimum locum placet hic jam exscribere, alios in processu disputationis afferemus: « Respondeo dicendum quod homo dupliciter est causa peccati sui vel alterius : uno modo directe, inclinando scl. voluntatem suam vel alterius ad peccatum ; alio modo indirecte, dum scl. non retrahit aliquos a peccato. *Deus autem non potest esse directe causa peccati* vel sui vel alterius ; quia omne peccatum est per recessum ab ordine, qui est in Deum sicut in finem. Deus autem omnia inclina et convertit in seipsum sicut in ultimum finem. *Similiter etiam non indirecte.* Contingit enim quod Deus aliquibus non praebet auxilium ad evitanda peccata ; quodsi praeberet, non peccarent. Sed hoc totum facit secundum ordinem suae sapientiae et justitiae, cum ipse sit sapientia et justitia : unde non imputatur ei, quod alius peccet, sicut causae peccati ; sicut gubernator non dicitur causa submersionis navis ex hoc quod non gubernat navem, nisi quando subtrahit gubernationem potens et debens gubernare ».

esse a Deo, ut sane saepissime et verissime docet (1), priorem doctrinam aut revocavit aut emendavit. Quod jam ex hac re patet, quia priorem doctrinam haec altera fere immediate excipit. — Magis etiam id patebit, quando consideraverimus, duo haec praeclare inter se convenire.

Quando enim traditur, actum actionemque malam esse a Deo eatenus, quatenus actio et ens reale est, nihil per se et vi verborum asseritur, nisi hoc: quem agens creatum malum actum ponat, eum procedere, *quando ponatur et quatenus praecise ens sit et actio*, simul a prima causa causae secundae in actus positione physice cooperante; quando vero affirmaretur, Deum esse nobis causam volendi malum, assereretur, si proprie loquimur, Deum efficere, ut causa creata, voluntas scl. ex parte sua vitaliter et voluntarie in objectum malum tenderet idque vitaliter amplecteretur. Haec autem a priore omnino diversa assertio est. Nam prior solum denotat aliquid quod *influentiam activam secundae causae in actum vel effectum* concomitatur eique simultaneum est, et quod immediate atque formaliter ad hanc influentiam terminatur, imo idem est; contra posterior assertio praecise effert aliquid, quod operationem vitalem et voluntariam creaturae saltem natura et ordine antecedit, quodque immediate et formaliter ad ipsam causam secundam, voluntatem ut sic, terminatur, eamque ad eliciendum actum vitalem malum, aliquo tandem modo, propellit, pertrahit.

*Doctrina itaque S. Thomae quoad hoc punctum certo et manifesto est haec: esse quidem Deum nobis vero et stricto sensu causam volendi bonum eliciendaeque bonae actionis; non esse vere et proprie nobis causam volendi malum malaeque actionis eliciendae.*

Hic porro animadvertendum est, quam non cum hac S. Doctoris et veritatis doctrina conveniat doctrina fere communis apud recentiores Thomistas de praemotione et praedeterminatione physica ad *omnem* prorsus actionem necessaria. Profecto si ita, ut volunt, res esset, quomodo tunc jam non omnia adessent, quae essent necessaria, ut secundum Aquinatem Deus vere et proprie diceretur nobis esse causa malae actionis, i. e. malae volitionis ut sic, eliciendae?

Quam manca porro, ne dicam falsa, esset doctrina S. Thomae, quam 2, dist. 37, q. 1, a. 1 ad 1. tradidit: « Ad primum », inquit, « dicendum, quod Deus non eodem modo inclinat voluntatem in bonum et malum. Inclinat siquidem voluntatem in bonum administrando virtutem agendi et directe movendo ad bonum; sed ad malum dicitur inclinare inquantum gratiam non praebet, per quam quis a malo retraheretur; et non quod directe voluntatem in malum ordinet ».

Hic a S. Doctore circa malas actiones Deique cooperationem duo sta-

(1) Cfr 2, dist. 37, q. 2, a. 2 per totum; q. 3 de Malo a. 2; 1, 2, q. 79, a 2; Contra Gentes l. 3 c. 162, n. 4 etc.

tuuntur: unum, inclinationem voluntatis per Deum in malum esse improprie talem, esse prorsus in aliquo negativo positam: quod non largiatur gratiam, qua vitaretur malum ; alterum, Deum non ordinare voluntatem in malum directe. Horum neutrum in sententia Thomistarum est verum. Etenim in sententia Thomistarum falsum est, non inclinari voluntatem a Deo in malum nisi una hac re, quod Deus non largiatur gratiam, qua homo vinceret tentationem. Secundum enim ipsos amplius aliquid Deus ad malum actum confert : praemovet, imo praedeterminat physice voluntatem ad malum actum materialiter sumptum, ut ajunt, eliciendum. Hic autem plane positivus et antecedens modus est influendi in actionem, quae homini necessario sit mala et peccaminosa.

Porro in sententia Thomistarum habetur etiam ordinatio voluntatis creatae, qua magis directa vix cogitari potest in malum. Nam directe ordinare voluntatem in malum is dicitur, qui inclinat ipsam voluntatem in malum (cfr 1, 2, q. 79, a. 1 ). Hoc autem in praemotione ac praedeterminatione physica voluntatis, quando de mala actione elicienda agitur, evidenter locum habet. Quamquam directa voluntatis ordinatio in malum cum formali ejus ordinatione in malum confundi non debet. Haec longe alia res est. Namque ne nos quidem formaliter in malum tendimus, quando aliquod malum ob aliquam rationem boni in eo deprehensam appetimus ; appetimus tamen directe malum. Formaliter appeteremus malum, si ob hoc ipsum appeteremus, *quia est malum* (1).

Nec in sententia Thomistarum veriora sunt illa, quae S. Doctor respondet in 1, 2, q. 79, a 1 ad 1. Est responsio ad objectionem petitam ex verbis Apostoli ad Rom. 1, 18 : « Tradidit eos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quae non conveniant » et ex glossa S. Augustini ad hunc locum. Sunt autem haec :

« Ad primum ergo dicendum, quod quantum ad verba Apostoli, ex ipso textu patet solutio. *Si* enim Deus *tradit aliquos in reprobum sensum, jam* ergo reprobum sensum *habent* ad facienda ea, quae non conveniunt. Dicitur ergo tradere eos *in reprobum sensum, in quantum non prohibet eos*, quin suum sensum reprobum sequantur, sicut dicimur exponere illos, quos non tuemur. — Quod autem Augustinus dicit Lib. de grat. et lib. arb. (cap. 21), unde sumpta est glossa, quod « *Deus inclinat voluntates hominum in bonum et malum* », sic intelligendum est, quod in bonum quidem directe inclinat voluntatem, *in malum autem, in quantum non prohibet,* sicut dictum est (in corp. artic. ) ».

Hic jam sciscitor ex prudenti lectore unum hoc, num talis mere negativa, valde impropria causalitas antecedens, quæ consistit in mera non largitione ejus, quo prohiberetur peccatum, cum doctrina recentioris Thomismi conveniat. Hic sane ampliorem multoque veriorem causalitatem antecedentem in pro-

(1) Cfr ea, quae in 2e sectione § 1. Art. I. late de hac re disputavimus p. 22 sq.

ducendis volendisque actionibus peccaminosis Deo tribuit; quamvis sine dubio neget, Deum ob eam positivam simulque antecedentem causalitatem, *quae praedeterminatione physica immediate ab ipso procedit*, evadere vere et proprie causam peccati ut tale est, quoniam nimirum illud non sub formali respectu mali causet. Quod quam vere dicatur, vidimus.

Constat jam, S. Thomam negare physicam praedeterminationem vel etiam solam physicam ad illos praemotionem Dei in actibus peccaminosis. Praeclusa est igitur Thomistis illa via, quae principio maxime pervia videri potuit, ad illud ejusdem S. Doctoris assertum explicandum, Deum cognoscere voluntates nostras, quia nobis sit causa volendi. Nam etsi restringeretur dictum ad bonas actiones, quod opinor cum contextu minime pugnare, tamen tota difficultas remaneret. Sublatis enim praedeterminationibus physicis ab uno libero actu (malo), ab omnibus saltem naturalibus actibus eas auferre necesse est, ob indolem nimirum metaphysicam omnium argumentorum, quibus necessariae esse probantur.

Quaerenda est ergo alia explicatio illius dicti, missa doctrina de praemotione et prædeterminatione physica.

Quaeritur igitur, quomodo possit illa causalitas efficiens, proprie vel improprie talis, quam S. Thomas Deo circa volitiones nostras tribuit, huic sufficiens objectiva ratio esse ad volitiones nostras cognoscendas. Haec altera quaestio fuit, quam supra suscepimus enodandam.

Ad cujus quaestionis solutionem suppono, etsi bonarum dumtaxat actionum Deus formalis et perfecta causa dici potest, posse tamen Deum etiam malarum actionum aliquo sensu extenuato et minus proprio causam dici, idque non solum ideo, quia in malis actionibus Deus non largitur id, quo malum prohiberetur, quod solum jam aliquo modo sufficit, ut Deus causa mali negativa vocari possit, [ cfr q. 3 de Malo a. 6; 1. 2, q. 76, a. 1; et loci paulo ante laudati ], sed etiam, quia non sine ejus positiva causalitate eae circumstantiae adducuntur, quae evadunt homini causa vel occasio lapsus. Haec autem Dei causalitas circa actiones nostras hoc lato modo intellecta quomodo Deo ratio objectiva et sufficiens exsistat ad nostras volitiones cognoscendas, in nostro systemate facile explicatur.

Etenim quemadmodum PP. Societatis unanimi consensu profitentur, Deus cognoscit ab aeterno, quid quaeque natura libera, si in quocunque actu primo proximo et ad agendum sufficienti unquam constituatur, ex propria et libera determinatione sit actura vel electura. Si ergo Deus aliquem hujusmodi actum primum proximum sua vel immediata vel mediata causalitate vel ipse proprie adducit vel sinit adduci, (quod tamen nisi ipso cooperante fieri nequit): profecto haec actualis momentorum et internorum et externorum a Deo aliquo modo causata congeries Deo ob scientiam mediam, eaque supposita, objectivum quoddam medium est, per quod (1) certissime cernere potest, quid libera causa sit reapse actura.

(1) Usus sum semper in hoc loco explanando particula « per », non particula « in » quemadmodum

Supposita ergo scientia media verissime dicitur, libera absolute futura a Deo in decreto, quod pertinet ad actum primum proximum agentis liberi constituendum, certissime cognosci. Atque ita theologi nostri communissime docent. Cf. Molina Concord. q. 14, a. 13, disp. 50; Lessius, opusc. de Gratia Efficaci c. 19, n. 19; Suarez opsc. de Scientia, etc. l. 1, c. 8, n. 12; l. 2, c. 7, n. 15, etc.

Si dixeris, scientiam mediam utpote falsam abjiciendam esse: respondetur, modo hoc non agi, scientia media verane sit necne, sed num in systemate Molinae illud dictum S. Thomae l. 3 cont. Gent. c. 56, n. 4. « Deus voluntates nostras. . . . . cognocit per hoc, quod est nobis causa volendi », veritatem habeat; atqui habere ostensum est; et id quidem sic ostensum et explicatum est, ut in nullam doctrinam D. Thomae alias ab ipso manifeste traditam nostra explicatione offendamus; quod minime cadit in eos, qui ad dictum illud S. Doctoris explicandum praedeterminationes physicas in medium proferunt. Hi enim offendunt inter alia contra illam doctrinam Angelici, secundum quam libera agentia non determinantur ab alio, ne a Deo quidem, sed ipsa se suis electionibus determinant; offendunt etiam contra doctrinam, quam de malis actionibus S. Doctor manifeste tradit, etc.

At cur tandem exemplum cognitionis « per causam » non affertur a S. Thoma aliud, sed hoc ipsum de liberis volitionibus ? Quia de solis liberis volitionibus illo loco quaestio est, nec aliud exemplum *poterat* afferri. Intellectus enim creatus liberam volitionem per causam certo cognoscere nunquam potest, Deus autem potest, atque non solum in bonis volitionibus, sed eo, quo dictum est modo, etiam in malis volitionibus. Jam de his satis.

---

## ART. VII

### DE RELIQUIS ORJECTIONIBUS R. PATRIS CONTRA DOCTRINAM IN SUPERIORIBUS PROPOSITAM.

Restant alia quaedam testimonia, quibus R. P. suam sententiam fulcit. At fere talia sunt, ut eorum solutio facillime inveniatur. Nihilominus ea

ipse S. Thomas in loco, quem tractamus, non particula « in » sed particula « per » usus est: « Non potest aliquis intellectus cognoscere, quid volens velit nisi forte, *per* causam». Neque enim prorsus idem est, una an altera utamur. Nam in causa cognoscere effectum, per se dicit in determinatione antecedente ipsius causae ut sic, effectum cognoscere; per causam cognoscere effectum multo latius patet, nec per se plus dicit quam propter connexionem aliquam, quam effectus cum causa habet, ad cognitionem effectus pertingere. Vide quae supra ad n. 5 cp. 66 l. 1 cont. Gent. disputavimus.

omnia adnotabo, ne quid videar lectorem celare; de duobus tantum ultimis aliquid brevissime addam. Sunt igitur haec: qst 2 de Ver. a. 12; ibid. q. 3, a. 6, 7, 8; 1, q. 14, a. 13, *ibid. q. 16, a. 7; Qdlib. 12, a. 6.*

Verba D. Thomae loco paenultimo laudato haec sunt: « Ad tertium dicendum, quod *nunc est*, ex eo futurum fuit, antequam esset, *quia in causa sua erat, ut fieret. Unde, sublata causa non esset futurum illud fieri. Sola autem prima causa est aeterna.* Unde ex hoc non sequitur quod ea, quae sunt, semper fuerit verum ea esse futura, *nisi quatenus in causa sempiterna fuit, ut essent futura, quae quidem causa solus Deus est* ».

*Futuritiones* omnium eorum, quae nondum sunt, erunt tamen aliquando, pendere ex prima et aeterna rerum causa, ipsiusque decretis, fatemur ad unum omnes. Haec non est quaestio. Sed quaestio est, *quomodo* Deus liberorum futurorum causa suis liberis decretis ab aeterno exsistat, et quomodo consequenter in ipso sit, *ut haec futura* sint revera futura ; sitne igitur eorum causa Deus per decreta prorsus absoluta et ab una scientia purae intelligentiae dependentia, an futurionis decretum habeat Deus in liberis creaturarum actibus dependenter etiam a scientia media. Ut igitur aliquid contra nos auctoritate Aquinatis in hac quaestione efficeretur, deberet ostendi, S. Thomam non quomodocunque tandem docere, futuritionem eventuum reapse aliquando futurorum semper veram fuisse tantum in causa sempiterna, sed veritatem hanc in ea causa niti decretis divinis plane absolutis et independenter prorsus a scientia media conceptis, quod ex loco supra laudato effici profecto nullo pacto potest. Est igitur etiam hic locus ad propositum inutilis.

Tandem in Quodlibeto 12, a. 6 exstant haec: « Quod est in veritate causae alicujus, non potest cognosci nisi *a causa, quae nata est movere illam; voluntatem autem movet solus Deus.* Cum ergo omnes cogitationes dependeant a voluntate sicut a sua causa, *solus Deus eas cognoscit* ».

Videt facile unusquisque, hoc loco contra Molinistas nihil posse effici. Nam quae in eo continentur omnia, quatenus omnino sunt vera, etiam in Molinae sententia vera sunt. Nam quisnam, nisi solus Deus, potest in doctrina Molinae efficaciter et certitudinaliter voluntatem movere? Nemo omnino; siquidem unus Deus est, qui possit movere et inclinare voluntatem intrinsecus, hujusque inclinationis effectum praecognoscere; item unus Deus est, qui momentorum objectivorum, quae extrinsecus movent, exitus omnes praevidet, et ipsis his momentis sua providentia modum imponere potest atque imponit. Dei igitur unius provincia est, ut ita dicam, cogitationes humanarum mentium, quae quidem imperio voluntatis subsunt, etiam occultas, certo cognoscere. — Num vero id universe accipiendum sit, quod hic S. Thomas ait, « *omnes* cogitationes dependere *a voluntate sicuti a sua causa* », an de deliberatis cogitationibus tantum, facile patet. Nam cogitatio naturalis et prima de aliqua re ideo naturalis appellatur, quia omnem voluntatis motum praecurrit. Ceterum supponere oportet, S. Doctorem eo sensu locutum esse, quo sententia est vera.

Nihil igitur a R. P. Dummermuth allatum est, quod id, quod S. Thomas plurimis locis et asseruit et demonstravit, *futura contingentia nullo prorsus modo in suis causis posse certitudinaliter praecognosci,* vel levissime elevaret. *Hoc autem non ita esset,* quemadmodum etiam vidimus, *si Deus libera agentia physice in tempore ad agendum praedeterminaret, adeoque ab aeterno, ut ita praedeterminaret, apud se decrevisset.*

Constat igitur omnino et exploratum est, studium esse apud Thomistas, idque strenuum et vehemens, ut sua in hac quaestione placita ipsius Aquinatis placita esse demonstrent, effectu tamen carere hoc studium, idque ideo, quoniam S. Doctor suam doctrinam ipsorum doctrinae plane contrariam nimis luculenter variis modis et locis tradidit. Ex mente igitur D. Aquinatis decreta physice praedeterminantia causas secundas liberas in suis liberis operationibus nulla sunt apud Deum; nec possunt omnino esse, quoniam physicis praedeterminationibus statutis conclamatum esset de libertate omnium liberarum operationum in omnibus libere agentibus, Deusque insuper causa malarum actionum sensu proprio exsisteret.

Quando supra p. 189 affirmavimus, secundum D. Thomam futura contingentia in decretis Dei physice praedeterminantibus humanas voluntates cum certitudine cognosci non posse, addidimus secundo loco, rationem objectivam, cur ea Deus cognoscat, esse potius hanc, quia liberae creaturae suppositis supponendis sint ita reapse acturae; seu, quod verbis quidem differt, re autem idem est, Deum cognoscere libere futura in eorum veritate, seu ideo, quia vera sunt. Atque ad hunc cognoscendi modum, utut mirabilis videri potest, S. Doctorem perpetuo recurrere, ex testimoniis laudatis et ubertim explicatis plane constat.

Hoc unum velim iterum obiter adnotare, debere modum, quo Deus futura contingentia affectionesque liberas cordium cognoscit, prorsus admirabilem proponi atque defendi ab omni, qui in hac re vera sentit, quia si secus faceret, discordaret a veritate SS. Litterarum, quae Dei hanc scientiam ut aliquid admirabile prorsus, stupendum atque plane divinum, pluries celebrant. Cf. v. g. Psl. 138, 1 sqq (1); Is. 41, 22 sq; 42, 16, etc. Et profecto, est tandem in *omni* attributo divino aliquid, quod nos oporteat stupentes admirari.

(1) Psl. 138: « Domine probasti me et cognovisti me, tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam. Intellexisti cogitationes meas a longe, semitam meam et funiculum meum investigasti. Et omnes vias meas praevidisti, quia non est sermo in lingua mea. Ecce Domine, tu cognovisti omnia, novissima et antiqua: tu formasti me et posuisti super me manum tuam. Mirabilis facta est scientia tua a me, confortata est et non potero ad eam. Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? »

# SECTIO QUINTA

## SANCTUS THOMAS NULLO UNQUAM LOCO PRAEDETERMINATIONEM PHYSICAM LIBERORUM AGENTIUM DOCUIT.

### § 1

### De iis locis, qui a Thomistis quasi classici et primi ordinis pro praedeterminationibus physicis laudantur, et potissimum de illo ex quaestione 3 « de Potentia » articulo 7.

Hic ex quaestionibus disputatis « de Potentia » locus veluti Achilles est systematis Thomistici (1). Dimidium igitur tantum negotium egissemus, si contenti positiva demonstratione, utut luculenta, S. Thomam semper a doctrina physicarum praedeterminationum alienissimum fuisse, non illud etiam ostenderemus: quicunque a Thomistis ex operibus D. Doctoris excitentur loci ad suam stabiliendam confirmandamque sententiam, eos ad unum omnes, si accuratius inspiciantur, ad propositum evincendum minus aptos inveniri. Atque ille quidem Homericus Achilles praeterquam in calce vulnerari non poterat; videamus, num hic Thomisticus uno solum loco vulneri pateat. Afferamus primum more nostro textum articuli 7 qst 3 « de Pot. », quem deinde R. P. Dummermuth suo modo explicabit, nos pro opportunitate ostendere conabimur, R. Patris expositionem infirmis niti fundamentis, falsamque esse omnino.

---

### ART. 1

#### IPSA VERBA S. THOMAE QUAEST. 3. DE POTENTIA. A. 7.

« Septimo quaeritur utrum Deus operetur in operatione naturae. Videtur quod non. 1. Natura enim neque deficit in necessariis, neque abundat in superfluis.

1) Ab hoc R. P. Dummermuth pugnam contra nos auspicatus est, in hac re imitans P. Massoulié in opere « D. Thomas sui interpres », aliosque Thomistas.

Sed ad actionem naturalem sufficit virtus activa ex parte agentis, et passiva ex parte recipientis. Ergo non requiritur virtus divina in rebus operans.

2. Sed dices, quod virtus activa naturæ dependet in sua operatione ab operatione divina. — Sed contra, sicut operatio naturæ creatæ dependet ab operatione divina, ita operatio corporis elementaris dependet ab operatione corporis cœlestis : nam corpus cœleste comparatur ad corpus elementare sicut causa prima ad secundam. Non autem dicitur, quod corpus cœleste operetur in quolibet corpore elementari agente. Ergo non est dicendum, quod Deus operetur in qualibet operatione naturæ.

3. Præterea, si Deus operatur in qualibet operatione naturæ, aut una et eadem operatione operatur Deus et natura, aut diversis. Sed non una et eadem : unitas enim operationis attestatur unitati naturæ ; unde quia in Christo sunt duæ naturæ, sunt etiam ibi duæ operationes : creaturæ autem et Dei constat non esse unam naturam. Similiter nec est possibile quod sint operationes diversæ ; nam diversæ operationes non videntur ad idem factum terminari ; cum motus et operationes penes terminos distinguantur. Ergo nullo modo est possibile quod Deus in natura operetur.

4. Sed dices, quod duæ operationes possunt terminari ad idem, quæ se habent secundum prius et posterius. — Sed contra, ea quæ immediate se habent ad aliquid unum, non habent ad invicem ordinem. Sed tam Deus quam natura immediate operatur effectum naturalem. Ergo operatio Dei et operatio naturæ non se habent secundum prius et posterius.

5. Præterea, quandocumque Deus aliquam naturam instituit, ex hoc ipso dat ei omnia illa, quæ sunt de ratione illius naturæ ; sicut ex hoc ipso quod facit hominem, dat ei animam rationalem. Sed de ratione virtutis est quod sit principium agendi, cum virtus sit ultimum potentiæ, quæ est principium agendi in alio secundum quod est aliud, ut dicitur in 5 Metaph. (text. 17). Ergo ex hoc ipso quod virtutes naturales rebus indidit, dedit eis quod operationes naturales perficerent. Non ergo oportet quod ulterius in rebus naturalibus operetur.

6. Sed dices, quod virtutes naturales non possent durare, sicut nec alia entia, nisi virtute divina continerentur. — Sed contra, non est idem operari ad rem et operari in re. Sed operatio Dei, qua virtutem naturalem vel facit vel in esse conservat, est operatio ad illam virtutem constituendam vel conservandam. Non ergo propter hoc potest dici, quod Deus in virtute naturali operante operetur.

7. Præterea, si Deus in natura operante operatur, oportet quod operando aliquid rei naturali tribuat : nam agens, agendo, aliquid actu facit. Aut ergo illud sufficit ad hoc quod natura possit per se operari, aut non. Si sufficit, cum etiam virtutem naturalem Deus naturæ tribuerit, eadem ratione potest dici quod et virtus naturalis sufficiebat ad agendum : nec oportebit quod Deus, postquam virtutem naturæ contulit, ulterius ad ejus operationem aliquid operetur. Si autem non sufficit, oportet quod ibi aliquid aliud iterum faciat ; et si illud non sufficit, iterum aliud, et sic in infinitum; quod est impossibile. Nam unus effectus non potest dependere ab actionibus infinitis : quia cum infinita non sit pertransire, nunquam compleretur. Ergo standum est in primo, dicendo quod virtus naturalis sufficit ad actionem naturalem, sine hoc quod Deus in ea ulterius operetur.

8. Præterea, posita causa ex necessitate naturæ agente, sequitur ejus actio nisi per accidens impediatur, eo quod natura est determinata ad unum. Si ergo calor

ignis agit ex necessitate naturæ ; ergo posito calore, sequitur calefactio, nec requiritur aliqua virtus superior agens in ipso.

9. Præterea, ea quæ sunt omnino disparata, possunt ab invicem separari. Sed actio Dei et actio naturæ sunt omnino disparatæ ; cum Deus agat per voluntatem, natura vero per necessitatem. Ergo actio Dei potest separari ab actione naturæ ; et ita non oportet quod Deus in natura agente operetur.

10. Præterea, creatura in se considerata, Dei similitudinem habet, inquantum actu est, et actu agit ; et secundum hoc est divinæ bonitatis particeps. Hoc autem non esset, si virtus sua ad agendum non sufficeret. Sufficit ergo creatura ad agendum sine hoc quod Deus in ea operetur.

11. Præterea, duo angeli in uno loco esse non possunt, ut a quibusdam dicitur, ne operationum confusio sequatur ; quia angelus ubi est, ibi operatur. Plus autem distat Deus a natura quam unus Angelus ab alio. Ergo Deus non potest simul in eodem cum natura operari.

12. Præterea, Eccli. 15, 14, dicitur, quod *Deus fecit hominem, et reliquit eum in manu consilii sui*. Non autem reliquisset, si semper in voluntate operaretur. Ergo non operatur in voluntate operante.

13. Præterea, voluntas est domina sui actus. Hoc autem non esset, si agere non posset nisi Deo in ipsa operante ; cum voluntas nostra non sit domina divinæ operationis. Ergo Deus non operatur in voluntate nostra operante.

14. Præterea, liberum est, quod causa sui est, ut dicitur in 1 Metaphys. ( cap. 2). Quod ergo non potest agere nisi causa in ipso agente non est liberum in agendo. Sed voluntas nostra est libera in agendo. Ergo potest agere, nulla alia causa in ipsa operante : et sic idem quod prius.

15. Præterea, causa prima plus est influens in causatum quam causa secunda. Si ergo Deus operetur in voluntate et natura, sicut causa prima in secunda ; sequeretur quod defectus, qui accidunt in operatione voluntatis et naturæ, magis Deo quam naturæ vel voluntati attribuerentur ; quod est inconveniens.

16. Præterea, posita causa sufficienter operante, superfluum est alterius causæ operationem ponere. Sed constat, si Deus operetur in natura et voluntate, quod sufficienter operatur ( *Dei enim perfecta sunt opera*. Deut. 22, 4 ). Ergo superflueret omnis operatio naturæ et voluntatis. Cum ergo in natura nihil sit superfluum ; nec natura nec voluntas aliquid operaretur, sed solus Deus. Hoc autem est inconveniens. Ergo et primum, scilicet quod Deus in natura et voluntate operetur.

Sed contra est quod dicitur Isa. 26, 12 : *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine.*

Praeterea, sicut ars praesupponit naturam, ita natura praesupponit Deum. Sed in operatione artis operatur natura; non enim sine operatione naturae, artis operatio efficitur, sicut igne emollitur ferrum ut percussione fabri extendatur. Ergo et Deus in operatione naturae operatur.

Praeterea, secundum Philosophum (in 2 Phys., text. 26), homo generat hominem et sol. Sed sicut operatio hominis in generatione dependet ab actione solis, ita et multo amplius actio naturae dependet ab actione Dei. Ergo quidquid operatur natura, etiam Deus operatur.

Praeterea, nihil potest operari nisi sit ens. Sed natura non potest esse nisi Deo operante; in nihilum enim decideret nisi divinae potentiae actione conservaretur in esse, ut patet per Augustinum super Genes. ad litteram (c.12). Ergo natura non potest agere nisi Deo agente.

Praeterea, virtus Dei est in qualibet re naturali, quia Deus in omnibus rebus esse dicitur per essentiam et potentiam et praesentiam. Sed non est dicendum quod virtus divina, secundum quod est in rebus, sit otiosa. Ergo secundum quod est in natura, operatur. Nec potest dici quod aliud quam ipsa natura operetur, cum non appareat ibi nisi una operatio. Ergo in qualibet naturae operatione Deus operatur.

Respondeo dicendum, quod simpliciter concedendum est, Deum operari in natura et voluntate operantibus.

Sed quidam hoc non intelligentes, in errorem inciderunt ; attribuentes Deo hoc modo omnem naturae operationem, quod res penitus naturalis nihil ageret per virtutem propriam; et ad hoc quidem ponendum sunt diversis rationibus moti.

Quidam enim loquentes in lege Maurorum, ut Rabbi Moysès narrat, dixerunt, omnes hujusmodi naturales formas accidentia esse: et cum accidens in aliud subjectum transire non possit, impossibile reputabant quod res naturalis per formam suam aliquo modo induceret similem formam in illo subjecto; unde dicebant, quod ignis non calefacit, sed Deus creat calorem in re calefacta. Sed si objiceretur contra eos, quod ex applicatione ignis ad calefactibile, semper sequatur calefactio, nisi per accidens esset aliquod impedimentum igni, quod ostendit, ignem esse causam caloris per se; dicebant, quod Deus ita statuit, ut iste cursus servaretur in rebus, quod nunquam ipse calorem causaret nisi apposito igne; non quod ignis appositus aliquid ad calefactionem faceret.

Haec autem positio est manifeste repugnans sensui: nam cum sensus non sentiat nisi per hoc quod a sensibili patitur (quod etsi in visu sit dubium, propter eos qui visum extra mittendo fieri dicunt, in tactu et in aliis sensibus est manifestum), sequitur quod homo non sentiat calorem ignis, si per ignem agentem non sit similitudo caloris ignis in organo sentiendi. Si enim illa species caloris in organo ab alio agente fieret, tactus etsi sentiret calorem, non tamen sentiret calorem ignis nec sentiret ignem esse calidum, cum tamen hoc judicet sensus, cujus judicium in proprio sensibili non errat.

Repugnat etiam rationi, per quam ostenditur, in rebus naturalibus nihil esse frustra. Nisi autem res naturales aliquid agerent, frustra essent eis formae et virtutes naturales collatae; sicut si cultellus non incideret, frustra haberet acumen. Frustra etiam requireretur appositio ignis ad ligna, si Deus absque igne ligna combureret.

Repugnat etiam divinae bonitati, quae sui communicativa est; ex quo factum est quod res Deo similes fierent non solum in esse, sed etiam in agere.

Ratio vero quam pro se inducunt, est omnino frivola. Nam cum dicitur accidens de subjecto in subjectum aliud non transire, intelligitur de accidente eodem secundum numerum, non quia simile accidens secundum speciem possit induci in aliud subjectum virtute accidentis quod alicui subjecto naturali inest. Et hoc est necesse in omni actione naturali contingere. Falsum etiam est quod supponunt, omnes formas esse accidentia: quia sic nullum esset in rebus naturalibus esse substantiale, cujus principium forma accidentalis esse non potest, sed substantialis tantum. Periret etiam generatio et corruptio, et multa alia inconvenientia sequerentur.

Avicebron etiam in libro Fontis vitæ dicit, quod nulla substantia corporalis agit, sed vis spiritualis penetrans per omnia corpora agit in eis, et tanto corpus aliquod

est magis activum quanto est purius et subtilius, et per consequens a virtute spirituali penetrabilius.

Et ad hoc inducit tres rationes: quarum prima est, quod omne agens post Deum requirit subjectam materiam in quam agat; corporali autem substantiæ non subjicitur aliqua materia, et sic videtur quod agere non possit.

Secunda est, quia quantitas impedit actionem et motum: cujus signum ponit, quia multitudo quantitatis retardat motum et addit corpori gravitatem; et ita substantia corporalis quæ est implicita quantitati, agere non potest.

Tertia ratio est, quod substantia corporalis est remotissima a primo agente, quod est agens tantum et non patiens; substantiæ autem mediæ sunt agentes et patientes; unde oportet substantiam corporalem, quae est ultima, esse patientem tantum et non agentem.

Sed in hoc est manifesta deceptio ex hoc quod accipitur tota substantia corporalis quasi una et eadem numero substantia, ac si non esset secundum esse substantiale distincta, sed solo accidente. Si enim diversæ substantiae corporales substantialiter distinctæ accipiantur, tunc non quælibet substantia corporalis erit ultima entium et remotissima a primo agente, sed una erit alia superior et primo agenti propinquior, et sic una in aliam agere poterit.

Item in prædictis consideratur substantia corporalis tantum secundum rationem materiæ, et non ratione suæ formæ, cum tamen ex utroque sit composita. Substantiæ enim corporali competit esse ultimum entium, et non habere inferius subjectum, ratione materiæ, non autem ratione formae; quia ratione formæ est inferius subjectum omnis substantia in cujus materia est in potentia forma illa quam, haec res designata habet in actu. Et inde sequitur quod est mutua actio in substantiis corporalibus, cum in materia unius sit in potentia forma alterius, et e converso. Si autem ipsa forma non est sufficiens ad agendum, eadem ratione nec vis substantiæ spiritualis, quam corporalis substantia per modum suum necesse est quod recipiat. Quantitas etiam non tollit motum et actionem, cum nihil moveatur nisi quantum, ut in 6 Physic. (text. 23 et 31) probatur. Nec est verum quod quantitas sit causa gravitatis. Hoc enim reprobatur in 4 Cœl. et mundi (text. com. 40 et 41). Unde et quantitas addit in velocitatem motus naturalis; nam corpus grave quanto est majus, tanto velocius deorsum fertur, et similiter leve sursum. Licet etiam quantitas secundum se non sit actionis principium, non tamen potest assignari ratio quare actionem impediat, cum magis sit quoddam instrumentum qualitatis activæ, nisi quatenus formæ activæ in materia subjecta quantitati receptæ, esse quoddam limitatum recipiunt et individuatum ad materiam illam, ut sic per actionem in aliam materiam non se extendant. Sed quamvis esse individuatum in materia consequantur, rationem tamen speciei non amittunt, ex qua simile sibi in specie producere possunt, licet ipsæmet in alio subjecto esse non possint.

Non ergo sic est intelligendum quod Deus in omni re naturali operetur, quasi res naturalis nihil operatur: sed quia in ipsa natura vel voluntate operante Deus operatur: quod quidem qualiter intelligi possit, ostendendum est.

Sciendum namque est, quod actionis alicujus rei res alia potest dici causa multipliciter.

Uno modo quia tribuit ei virtutem operandi; sicut dicitur in 8 Physic. (text. 23 & 32), quod generans movet grave et leve, in quantum dat virtutem, per quam consequitur talis motus: et hoc modo Deus agit omnes actiones naturæ, quia dedit rebus naturalibus virtutes per quas agere possunt, non solum sicut generans

virtutem tribuit gravi et levi, et eam ulterius non conservat, sed sicut continue tenens virtutem in esse, quia est causa virtutis collatæ non solum quantum ad fieri sicut generans, sed etiam quantum ad esse, ut sic possit dici Deus causa actionis in quantum causat et conservat virtutem naturalem in esse. Nam etiam alio modo conservans virtutem dicitur facere actionem, sicut dicitur quod medicinæ conservantes visum, faciunt videre.

Sed quia nulla res per seipsam movet vel agit nisi sit movens non motum; tertio modo dicitur una res esse causa actionis alterius in quantum movet eam ad agendum; in quo non intelligitur collatio aut conservatio virtutis activæ, sed applicatio virtutis ad actionem; sicut homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso quod applicat acumen cultelli ad incidendum movendo ipsum. Et quia natura inferior agens non agit nisi mota, eo quod hujusmodi corpora inferiora sunt alterantia alterata; cœlum autem est alterans non alteratum, et tamen non est movens nisi motum, et hoc non cessat quousque perveniatur ad Deum: sequitur de necessitate quod Deus sit causa actionis cujuslibet rei naturalis ut movens et applicans virtutem ad agendum.

Sed ulterius invenimus, secundum ordinem causarum, esse ordinem effectuum, quod necesse est propter similitudinem effectus et causæ. Nec causa secunda potest in effectum causæ primæ per virtutem propriam, quamvis sit instrumentum causæ primæ respectu illius effectus. Instrumentum enim est causa quodammodo effectus principalis causæ, non per formam vel virtutem propriam, sed in quantum participat aliquid de virtute principalis causæ per motum ejus, sicut dolabra non est causa rei artificiatæ per formam vel virtutem propriam, sed per virtutem artificis a quo movetur et eam quoquomodo participat.

Unde quarto modo unum est causa actionis alterius, sicut principale agens est causa actionis instrumenti: et hoc modo etiam oportet dicere, quod Deus est causa omnis actionis rei naturalis. Quanto enim aliqua causa est altior, tanto est communior et efficacior, et quanto est efficacior, tanto profundius ingreditur in effectum, et de remotiori potentia ipsum reducit in actum. In qualibet autem re naturali invenimus quod est ens et quod est res naturalis, et quod est talis vel talis naturæ. Quorum primum est commune omnibus entibus; secundum omnibus rebus naturalibus; tertium in una specie; et quartum, si addamus accidentia, est proprium huic individuo. Hoc ergo individuum agendo non potest constituere aliud in simili specie, nisi prout est instrumentum illius causæ, quæ respicit totam speciem et ulterius totum esse naturæ inferioris. Et propter hoc nihil agit in speciem in istis inferioribus nisi per virtutem corporis cœlestis, nec aliquid agit ad esse nisi per virtutem Dei. Ipsum enim esse est communissimus effectus, primus et intimior omnibus aliis effectibus; et ideo soli Deo competit secundum virtutem propriam talis effectus: unde etiam, ut dicitur in lib. de Causis ( propos. 9), intelligentia non dat esse, nisi prout est in ea virtus divina. Sic ergo Deus est causa omnis actionis, prout quodlibet agens est instrumentum divinæ virtutis operantis.

Sic ergo si consideremus supposita agentia, quodlibet agens particulare est immediatum ad suum effectum. Si autem consideremus virtutem qua fit actio, sic virtus superioris causæ erit immediatior effectui quam virtus inferioris; nam virtus inferior non conjungitur effectui nisi per virtutem superioris; unde dicitur in lib. de Caus. ( prop. I), quod virtus causæ primæ prius agit in causatum, et vehementius ingreditur in ipsum. Sic ergo oportet virtutem divinam ades-

se cuilibet rei agenti, sicut virtutem corporis cœlestis oportet adesse cuilibet corpori elementari agenti. Sed in hoc differt; quia ubicumque est virtus divina, est essentia divina; non autem essentia corporis cœlestis est, ubicumque est sua virtus: et iterum Deus est sua virtus, non autem corpus cœleste. Et ideo potest dici quod Deus in qualibet re operatur in quantum ejus virtute quælibet res indiget ad agendum: non autem potest proprie dici quod cœlum semper agat in corpore elementari, licet ejus virtute corpus elementare agat.

Sic ergo Deus est causa actionis cujuslibet in quantum dat virtutem agendi, et in quantum conservat eam, et in quantum applicat actioni, et in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit. Et cum conjunxerimus his, quod Deus sit sua virtus, et quod sit intra rem quamlibet non sicut pars essentiæ, sed sicut tenens rem in esse, sequetur quod ipse in quolibet operante immediate operetur, non exclusa operatione voluntatis et naturæ.

Ad primum ergo dicendum, quod virtus activa et passiva rei naturalis sufficiunt ad agendum in ordine suo; requiritur tamen virtus divina, ratione jam dicta, in corp. art.

Ad secundum dicendum, quod operatio virtutis naturalis ad Deum et corporis elementaris ad corpus cœleste sunt quantum ad aliquid similes, non autem quantum ad omnia.

Ad tertium dicendum, quod in operatione qua Deus operatur movendo naturam, non operatur natura; sed ipsa naturæ operatio est etiam operatio virtutis divinæ; sicut operatio instrumenti est per virtutem agentis principalis. Nec impeditur quin natura et Deus ad idem operentur, propter ordinem qui est inter Deum et naturam.

Ad quartum dicendum, quod tam Deus quam natura immediate operantur; licet ordinentur secundum prius et posterius, ut ex dictis patet.

Ad quintum dicendum, quod de ratione virtutis inferioris est, quod sit aliquo modo operationis principium in suo ordine, id est, ut agat ut instrumentum superioris virtutis: unde, exclusa superiori virtute, inferior virtus operationem non habet.

Ad sextum dicendum, quod Deus non solum est causa operationis naturæ ut conservans virtutem naturalem in esse, sed aliis modis, ut dictum est.

Ad septimum dicendum, quod virtus naturalis quæ est rebus naturalibus in sua institutione collata, inest eis ut quædam forma habens esse ratum et firmum in natura. Sed id quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est ut intentio sola, habens esse quoddam incompletum, per modum quo colores sunt in aere, et virtus artis in instrumento artificis. Sicut ergo securi per artem dari potuit acumen, ut esset forma in ea permanens, non autem dari ei potuit quod vis artis esset in ea quasi quædam forma permanens, nisi haberet intellectum; ita rei naturali potuit conferri virtus propria, ut forma in ipsa permanens, non autem vis qua agit ad esse ut instrumentum primæ causæ; nisi daretur ei quod esset universale essendi principium: nec iterum virtuti naturali conferri potuit ut moveret seipsam, nec ut conservaret se in esse: unde sicut patet quod instrumento artificis conferri non oportuit quod operaretur absque motu artis; ita rei naturali conferri non potuit quod operaretur absque operatione divina.

Ad octavum dicendum, quod necessitas naturæ, per quam calor agit, constituitur ex ordine omnium causarum præcedentium; unde non excluditur virtus causæ primæ.

Ad nonum dicendum, quod licet natura et voluntas sint secundum esse disparata, tamen in agendo habent aliquem ordinem. Nam sicut actio naturæ præcedit actionem voluntatis nostræ, ratione cujus in operibus artis, quæ a voluntate sunt, naturæ operatione indiget ; ita voluntas Dei, quæ est origo omnis naturalis motus, præcedit operationem naturæ ; unde et ejus operatio in omni operatione naturæ requiritur.

Ad decimum dicendum, quod creatura habet aliquam Dei similitudinem participando bonitatem ipsius, in quantum est et agit, non tamen ita quod per similitudinis perfectionem ad æqualitatem perveniat ; et ideo sicut imperfectum indiget perfecto, ita virtus naturæ in agendo indiget operatione divina.

Ad undecimum dicendum, quod duo Angeli minus distant secundum gradum naturæ quam Deus et natura creata ; tamen in ordine causæ et effectus, Deus et natura conveniunt, non autem duo Angeli ; unde Deus in natura operatur, non autem unus Angelus in alio.

Ad duodecimum dicendum, quod Deus non dicitur hominem dereliquisse in manu consilii sui, quin in voluntate operetur ; sed quia voluntati hominis dedit dominium sui actus, ut non esset obligata ad alteram partem contradictionis : quod quidem dominium naturæ non dedit, cum per suam formam sit determinata ad unum.

Ad decimumtertium dicendum, quod voluntas dicitur habere dominium sui actus non per exclusionem causæ primæ, sed quia causa prima non ita agit in voluntate ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam ; et ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis et voluntatis.

Ad decimumquartum dicendum, quod non quælibet causa excludit libertatem, sed solum causa cogens : sic autem Deus non est causa operationis nostræ.

Ad decimumquintum dicendum, quod quia causa prima magis influit in effectum quam secunda, ideo quidquid perfectionis est in effectu, principaliter reducitur ad primam causam ; quod autem est de defectu, reducendum est in causam secundam, quæ non ita efficaciter operatur sicut causa prima.

Ad decimumsextum dicendum, quod Deus perfecte operatur ut causa prima ; requiritur tamen operatio naturæ ut causæ secundæ. Posset tamen Deus effectum naturæ etiam sine natura facere : vult tamen facere mediante natura, ut servetur ordo in rebus.

---

## ART. II

### COMMENTATIO HUJUS ARTICULI PER R. P. DUMMERMUTH, NOSTRAEQUE ANIMADVERSIONES.

Sequitur Articuli Commentarius a R. Patre factus (p. 35 sq.) « Duas, inquit, partes continet articulus S. Thomae ». Prior est contra quosdam adversarios, qui omnem operationem rerum naturalium ita Deo vel virtuti cuidam spirituali tribuebant, quod ipsae res naturales nihil omnino agerent per virtutem propriam. In secunda parte autem quaestionem propo-

sitam sequenti propositione solvit : « Non ergo sic est intelligendum, quod Deus in omni re naturali operetur, quasi res naturalis nihil operetur ; sed quia in ipsa natura vel voluntate operante Deus operatur ». Deinde addit R. Pater, quadrupliciter Deum esse causam actionis cujuslibet agentis secundi, secundum hunc articulum, quod ita esse ex textu patet.

Jam varias ponit R. Pater assertiones. *Tres primae sunt haec :*

*1.* « *Deus est causa omnium actionum causarum secundarum, quia dat illis virtutes, per quas agere possunt* ».

*2.* « *Deus est causa actionis cujuslibet agentis creati, quia virtutem ei collatam in esse conservat* ».

*3.* « *Deus est causa actionis causarum secundarum, ut movens et applicans virtutem earum ad agendum* ». Cum hae tres assertiones fere ad verbum ex ipso articulo desumantur, nec sensus ullo modo mutetur, non est, quod circa has quidquam adnotemus (1). At circa quartam propositionem jam non omnino ita res se habet. *Est porro haec :*

*4.* « *Deus est causa omnis actionis agentis creati, inquantum ejus virtute omnis alia virtus agit* » ; *vel,* « *est causa omnis actionis, prout quodlibet agens est instrumentum divinae virtutis operantis* ».

Additur ratio : « Causa secunda non potest in effectum causae primae per virtutem propriam ; sed quatenus, ut instrumentum, participat aliquid de virtute causae primae per motum ejus (scl. per motum a prima causa proficiscentem). Atqui omne agens secundum, dum agit, attingit effectum, qui soli Deo competit secundum propriam virtutem, scl. rationem entis. Ergo omne agens secundum, quando operatur, necesse est, quod agat, ut instrumentum divinae virtutis operantis, participando aliquid de hac virtute per motum ejus » (2).

Velim hic statim hoc observetur, S. Thomam non omnino indefinite et simpliciter pronuntiare « causam secundam in agendo esse instrumentum causae primae », sed solum addendo « respectu effectus illius », qui est proprius effectus causae primae (in corp. art. « Sed ulterius »), qui quidem effectus positus est in esse ut sic, non vero in esse tale.

Unde consequitur, ut « nihil agat *ad esse*, inquit S. Doctor, nisi per virtutem Dei ». Quo quidem enuntiato continetur, non omni prorsus modo rationem instrumenti secundae causae relate ad primam causam competere, sed sub quodam respectu. Quod idem indicat S. Thomas q. 24 de Ver. a. 1, ad 4 : « Dicendum, inquit, quod causa prima dicitur esse principalis simpliciter loquendo, propter hoc quod magis influit in effectum ; sed causa secunda secundum quid (alii dicunt et ipse S. Thomas hic « de Pot. » ad 5 « in suo ordine ») principalis est, inquantum effectus ei magis conformatur ».

(1) Oportet nihilominus advertere, ne causa praejudicetur ab initio : de modo, quo Deus applicando virtutem causarum ad agendum eas moveat, infra esse accuratius disceptandum. Nam nihil certe minus clarum in textu quam hoc, *quomodo* et quatenus hic applicationis motus a solo immediate Deo procedat.

(2) Dummermuth p. 36.

Quinimo, *quoniam effectus productus specificam perfectionem causae secundae generatim non excedit, consequitur ex doctrina S. Thomae, quam alias perspicue tradit, secundae causae relate ad primam causam instrumenti rationem per se minus proprie convenire.* Etenim 4, dist. 1, q. 1, a. 4 qst. 1 in corp. haec exstant: « *Semper* (causa instrumentalis) *pertingit ultra id, quod competit sibi secundum naturam,* sive illud sit ultima forma sive dispositio [scl. ad ultimam formam]; *alias non ageret ut instrumentum* ». Cfr 3, q. 77, a. 3, ad 3. Et iterum ibidem 4, dist. 19, q. 1, a. 2, qst 1 in corp. « Respondeo dicendum quod agens per se et agens instrumentale in hoc differunt, quod *agens instrumentale non inducit in effectum similitudinem suam, sed similitudinem principalis agentis;* principale autem agens inducit similitudinem suam ». En ea, quae S. Thomas in effectu causae instrumentalis desiderat, ut vera et propria instrumenti ratio habeatur: Quemadmodum effectus ex una parte specificam perfectionem instrumenti debet excedere, ita ex altera parte instrumentum sui similitudinem non debet cum effectu communicare, aliter jam habet rationem causae principalis. Numquid haec in effectibus propriis secundarum causarum obtinent? Exceduntne effectus communiter perfectione causas suas secundas? et invicem numquid diversa a secunda causa similitudo effectui causae secundae communicatur, annon potius eadem? (1)

Quae cum ita sint, *merito censemus, quando S. Thomas secundas causas instrumenta appellavit primae causae relate ad effectus proprios, id non factum esse secundum rationem omnino propriam et verissimam instrumenti, sed secundum rationem quandam communem* — quemadmodum ipse q. 24 de Ver. a. 1, ad 5 ait — secundum quam rationem omnis jam ea causa instrumentalis dicitur et est, quae et alteri causae subordinatur ejusque finibus aliquo modo subservit, et quae effectum suum non producit nisi adjuvatur aliquo tandem modo a superiore causa; vel, si id magis placet, nisi in virtute hujus superioris causae effectum producit (2).

Jam vero si constat, instrumenti rationem relate ad primam causam non omnino proprie et stricte in secundis causis, praesertim liberis, inveniri, quoties de propriis illarum effectibus agitur, certe minime licet similitudinem inter instrumenta artis eorumque motorem artificem, quae nimirum maxime proprie instrumenta sunt, et inter causas secundas relate ad primam causam, in quibus ratio causae instrumentalis nequaquam est

(1) Velim etiam hoc consideretur: num ullo modo vere dici possit, causam secundam in propriis actionibus producere aliquid sibi *proprium*, scl. si comparetur illud, quod accipit producitque per Deum et ejus virtutem? Tale aliquid proprium sane secundae causae ejusque operationi vindicari minime potest, quoniam effectus proprius secundae causae semper secundum propriam suam rationem intime imbibitum habet effectum proprium primae causae, scl. rationem entis, quinimo sine hoc proprio primae causae effectu, effectus proprius secundae causae nihil prorsus est. Nihilominus etiam hoc secundum S. Thomam de essentia causae vere instrumentalis est, ut aliquid sibi proprium, quod non sit causae principalis producat. Vide 1, q. 45, a. 5 in corp. et quae ex Cajetano afferentur infra.

(2) Ad praecedentem doctrinam D. Thomae etiam conferri possunt 3, q. 62, a. 1 in corp. et a. 4; 3 cont. Gent. c. 112; 1, 2, q. 112 a. 1, ad 1 et 2, etc. Cfr Ruiz, « de Voluntate Dei » disp. 48, s. 1. et 2.

perfecta et omnimoda, nimium urgere; sed prudens adhibenda erit moderatio, ne faciamus S. Doctorem ea docentem, quae affirmare nunquam cogitavit.

At ubi primum doctrinam de physica praemotione atque praedeterminatione causarum secundarum, prouti eam intelligunt Thomistae, paululum diligentius inspicimus, statim elucet, ea admissa, doctrinam S. Thomae hoc loco traditam de instrumentalitate secundarum causarum multo ulterius quam sit intentio S. Doctoris protendi. Voluit S. Doctor primam causam sibi subjectam habere secundam causam, ut instrumentalem causam non sub omni ratione, quam late omnino patet causae secundae causalitas et influxus, specificus etiam, in effectum, sed relate ad eum solum effectum vel potius ad eam solam rationem in omni prorsus effectu parteque effectus, quae proprie convenit causae primae (1), prouti id etiam P. Dummermuth p. 36 fatetur. Quomodo autem causa secunda in ordine ad effectum non sub omni ratione, non simpliciter, ut ajunt, causa instrumentalis dumtaxat censenda est, si reapse Deus, ut Thomistae volunt, mediante physica praemotione ac praedeterminatione totam, quae in secunda causa invenitur, virtutem agendi atque causandi immediate ipsam in se ad agendum movet, applicat, determinat? Tractatur jam causa secundum quid et minus proprie instrumentalis quasi sit instrumentalis simpliciter et omnino proprie.

Quamobrem, quando S. Thomas in loco, de quo agimus, causas secundas dolabrae comparat, recogitandum est, similitudinem eam esse, non aequalitatem. Nam si dolabra effectum non producit, nisi faber prius in ipsam aliquid reale, motum, impressit, non statim consequens est: ergo etiam Deus in ipsam causam secundam ut sic prius aliquid imprimere debet, eamque ut sic in se movere, ut aliquid omnino agat. Atque eo minus prompti esse debemus ad hujusmodi illationem, quoniam vel in cau-

(1) Scilicet omne ens per participationem pendet in esse et in fieri idque immediate et physice ab esse et actu per essentiam. Hoc quoad entia prima, quae creatione producuntur, satis per se evidens est. Quoad alia vero entia item facile patet, quoniam nullum ens potest cum altero communicare esse modo essentialiter superiore, quam ipsum illud habet. Jam vero praeter unum ens primum seu Deum aliud omne ens habet esse cum interna et essentiali, immediata et physica dependentia a primo esse seu a Deo. Ergo etiam cum *tali* tantum dependentia esse in effectum suum traducere potest. Quia porro quidquid non ad actum primum alicujus causae pertinet, sed a causa, ut jam in actu primo complete constituta est, procedit, id omne aliquo tandem modo rationem effectus hujus causae participat, sive id dixeris actionem sive effectum, ideo *nihil* prorsus a causa secunda procedere entitativum potest, quod non simul essentialiter et intrinsecus, immediate et physice procedat etiam a Deo, ab eoque essentialiter, intrinsecus, immediate, physice dependeat esseque recipiat. Quando igitur S. Doctor ait, effectum secundae causae quoad esse et fieri dependere a Deo, non sane vult dicere, quidquid in effectu entis rationem habeat, id a Deo esse, cetera vero, quae carent ratione entis, ea demum ex propria virtute secundae causae derivari: ita enim nihil prorsus reale ex virtute propria secundae causae derivaretur, quod dicere absonum est et contra ipsam doctrinam S. Thomae, sed vult docere unum hoc: quidquid in aliquo ente creato veri entis rationem habet, sive per modum viae et actionis sive per modum termini et effectus proprie dicti, jam praecise ob hoc ipsum, quia est ens, hoc suum esse, quo ens est, nec primum accipere posse, nec postquam accepit, posse retinere sine influxu immediato et physico, essentiali et intimo primae causae vel Dei (utut ceteroquin suum esse vere *etiam* a virtute secundae causae accipiat vel acceperit), quia Deus est totius esse principium non solum mediatum sed etiam per influxum immediatum et physicum in singula entia creata.

sis vere et proprie instrumentalibus, qualis est v. g. secundum veteres calor animalis ad producendam carnem, non semper opus est a principali causa aliquid imprimi (1). Aut quid tandem imprimitur ab anima in calorem animalem? Utitur sane eo ad suum effectum producendum, sed aliquid prius in ipsum imprimi, plane fictitium est. Atque tanto minus debemus inclinare in hanc sententiam (ut interim de aliis locis D. Thomae taceam), quod S. Doctor, quando jam procedente explicatione hunc divinae causalitatis modum in ipso hoc articulo uberius explicat, haec habet: « Quanto aliqua causa est altior, tanto est communior et efficacior, et quanto est efficacior, tanto profundius ingreditur *in effectum* et de remotiore potentia ipsum reducit in actum » et quae sequuntur. Ubi vides influxum causae altioris referri et ordinari *in ipsum immediate effectum*, atque in specie in ipsum fieri et esse effectus, non in causam ipsam ut sic. Quare etiam infra ait: « Ipsum enim esse est communissimus *effectus, primus et intimior omnibus aliis effectibus,* et ideo *soli Deo competit* secundum virtutem propriam talis effectus ».

At numquid non S. Thomas, quando supra causam instrumentalem definivit, in ejus definitione hoc ipsum posuit, quod principalis causa debeat aliquid instrumento imprimere, prius movere ipsum instrumentum ut sic? Fortasse primo intuitu ita potuit videri, si quod S. Doctor addidit exemplum nimis materialiter trahitur ad ipsam definitionem. Nunc igitur postquam legenti plene persuasum est, ut opinor, *perfectam* paritatem nullam stabiliri inter utrumque instrumentum secundum S. Thomam posse, vel jam ob unam hanc rationem, quia in exemplo agitur de instrumento sensu maxime proprio, in causa vero secunda de instrumento lato dumtaxat sensu et minus proprie; cui deinde accedunt alia duo omnino gravia momenta, unum, quod ipse S. Doctor satis clare et plane indicat, se statuere nullo modo velle influxum divinum in ipsam causam ut sic, sed *in actionem et effectum tantum;* alterum, quod expositione Thomistica textus admissa, oportet S. Thomae talia adscribere, quae ultra limites eorum, quae ab ipso de instrumentalitate secundae causae ut sic diserte hic adstruuntur, longe excurrunt: nunc, quaeso, illa definitio relegatur. Definitio fuit haec: « Instrumentum est causa quodammodo effectus principalis causae, *non per formam et virtutem propriam, sed in quantum participat aliquid de virtute principalis causae per motum ejus* » i. e. principalis causae. Ubinam hic aliquid directe vel etiam implicite de motu prius imprimendo in causam?

Existimo igitur, sensum hujus definitionis, quatenus in praesente quaestione usuvenit, hoc modo recte circumscribi, ut *instrumentalis causa sit causa, quae una realiter activitate, unoque physico influxu, qui ab ipsa simul et a principali causa procedit, effectui communicet proprium simul et causae principalis effectum atque similitudinem; hunc vero posteriorem,*

(1) Cfr S. Thom. 1, q. 115, a. 1 ad 5; et « de Pot. » q. 3, a. 4 in corp. Cfr etiam Ruiz « de Voluntate Dei » d. 48, s. 5.

*quemadmodum patet, non quod ad eum producendum sufficientem virtutem ut propriam in se ipsa possideat, sed eatenus, quatenus, saltem ut formaliter in effectum influit actuque eum causat, aliquid de virtute principalis causae per ipsius activitatem ( « per motum ejus » ) participat.* Quod si ita est, nullo jam modo S. Thomas hoc loco asserit, oportere motum ( activitatis exercitium ) principalis causae *prius recipi* in ipsum instrumentum, ut deinceps hoc agat eumque ad effectum transmittat, sed unum hoc asseritur, oportere instrumentalem causam *aliquo tandem modo* participare aliquid de virtute causae principalis : *aut* aliquid prius recipiendo in seipsam per motum ejus *aut* saltem aliquid habendo *in motu et ratione illius motus*, qui a se et a causa principali simul procedit, atque adeo ad se quoque ut suae causalitatis exercitium actuale vere pertinet. Illud solum probatur instrumenti explicatione et cum dolabra comparatione, quod ante propositum est : « Non potest causa secunda in effectum causae primae per virtutem propriam », id, quod omnes Molinistae fatentur. Hanc censeo pro subjecta materia et qui est S. Doctoris hoc loco modus loquendi veram ejus sententiam esse, nec ullo modo hic affirmatum esse a S. Doctore, pertinere ad essentiam omnis causae instrumentalis, etiam quando haec lato tantum et communi sensu talis est, ut non agat, nisi prius aliquam impressionem a causa principali in se ipsa subierit. Non dubito, quin me R. Pater aliique lectores ad responsum D. Doctoris, quod habet ad septimum, continuo revocaturi sint, sed de hac responsione tractabo, quando ad 5^am^ assertionem R. Patris pervenero.

*Itaque assertionem quartam R. Patris : « Deus est causa omnis actionis, prout quodlibet agens est instrumentum divinae virtutis operantis », non eo sensu admittimus, ut ea asseratur, causam omnem creatam relate ad primam causam simpliciter et proprie instrumenti rationem habere, sed eo sensu admittimus, ut particula « prout » restrictivum et diminutum sensum importet : scl. « pro eo modo, quo » vel « sub ea ratione, qua » est instrumentum, vel etiam rectius : prout ( quatenus ) nullum instrumentum potest in effectum principalis causae per virtutem propriam.*

*Progrediamur ad quintam assertionem, qua R. P. articulum S. Thomae conatur illustrare et explicare. « Tam Deus, inquit R. P., quam natura immediate operantur, licet ordinentur secundum prius et posterius ».* — « Dupliciter aliquid dicitur operari immediate, ita pergit, immediatione scl. suppositi, et immediatione virtutis : nam in quolibet agente haec duo sunt consideranda, res ipsa seu suppositum agens, et virtus, qua agens agit ». — « Immediate operari immediatione virtutis contingit, quando virtus agentis jungitur effectui non mendicando talem conjunctionem ab aliqua alia virtute (1). Immediate autem operari immediatione suppositi est, quando inter suppositum agens et effectum, nullum *medial* suppositum coa-

(1) Hoc secundum D. Thomam I, q. 36, a. 3 ad 4 — cfr I, dist. 37, q. 1, a. 1 ad 4 — sic intelligendum est, ut illud suppositum dicatur agere immediatione virtutis, *quod alteri supposito tribuit*, ut ejus actio consequatur effectum. *Illud igitur suppositum, quod ita in effectum influit, ut ipsius in-*

gens (1). Quo virtus est superior [et universalior], eo immediatius agit immediatione virtutis [sensu in nota penultima ex S. Thoma declarato]; *quo vero suppositum agens est superius, eo minus immediate immediatione supposiți operatur* ».

*Hoc ultimum sine distinctione prolatum plane verum non est* ob ea, quae in nota 1ª infra subjecimus. Nam nullo modo liquet, cur suppositum superius non dicatur vere et proprie immediatione supposiți agere in effectum, quando ipsum immediate effectum per se et ea virtute attingit, quam in seipso habet, non ea *solum* virtute, quae est ab ipsa alteri supposito agenti prius communicata. In causa principali relate ad causam instrumentalem, quae saepenumero suppositum distinctum a principali causa est, frequenter utique usuvenit, ut effectum non attingat agens principale nisi virtute communicata prius instrumento, atque sic immediatione supposiți non agit. Exemplum supra laudatum dolabrae in memoriam revoca. At hoc semper necessarium non est; neque hoc in prima causa relate ad secundam causam sine falsitate contendi potest.

Pergit R. Pater Dummermuth : « His suppositis dicendum est primo, agentia secunda operari immediate immediatione supposiți ». Evidens est.

« Dicendum est secundo, Deum immediate agere immediatione virtutis ». Secundum superiora et in sensu S. Thomae item est evidens.

« Hinc tertio colligendum est, causas secundas non ita immediate operari immediatione virtutis ». Evidens.

« Dicendum est quarto, Deum non operari immediatione supposiți in illo effectu, quem operatur mediante causa secunda ». Hoc assertum distinctione opus habet, ut dictum est. Deus non operaretur immediatione supposiți in illo effectu, quem operatur mediante causa secunda, si *solum* influeret mediante causa secunda et virtute in ea recepta, ita conceditur assertum; si vero immediate etiam *per se ipsum* in effectum causae secundae influit, et quidem intimius ac profundius, ut S. Thomas in corpore articuli ait, quam ipsa causa secunda, negatur assertum. Nec S. Doctor in responsione ad 16 nec l. 3 cont. Gent. c. 70 aliquid huic adversans pronuntiat (2).

« Quinto dicendum est, Deum utroque modo operari in illo effectu, in quo causa secunda non operatur ». Patet.

« Sexto tandem, quamvis ut supra notatum est, Deus non operetur immediatione supposiți, illos effectus, quos mediante causa secunda producit

*fluxus ab alterius supposiți influxu suo modo non sustentetur, non pendeat, sed potius vice versa: id suppositum in effectum influit immediatione virtutis.* — Cfr Ruiz « deVol. Dei » disp. 45, s. 6, n. 14.

(1) Notetur vox « mediat ». Ceterum ut tollatur simpliciter immediatio supposiți in agendo ab aliquo supposito, oportet, suppositum, quod negatur agere immediatione supposiți, non attingat effectum ullo modo per se *ipsum* et per virtutem, quam in se ipso habet, sed *solum* per virtutem alteri supposito communicatam. Patet hoc per se. Cfr Suarez Opusc. « de Concursu » l. 1, c. 4, n. 4. Cfr etiam Ruiz. « de Vol. Dei » disp. 45, s. 6, n. 12 sqq.

(2) Notetur, explicationem ad locum ex cap. 70, l. 3, cont. Gent. additam a R. P. necessariam non esse. Cfr v. g. Suarez « Metaphys. » disp. 22, s. 1. § « Quocirca ».

[ scl. quatenus tali *tantum* via eos producit ], quia tunc suppositum agentis secundi mediat ; propter aliam tamen rationem dicendum est, Deum etiam operari immediate immediatione suppositi ; quod non contingit in causis superioribus creatis, quae mediantibus causis inferioribus operantur. Rationem hanc in corpore articuli affert S. Doctor : « Virtus superioris causae est immediatior effectui quam virtus inferioris... Sed ubicunque est virtus divina est essentia divina... et iterum Deus est sua virtus et est intra rem quamlibet sicut tenens rem in esse ». Ex quibus sequitur, « quod Deus in quolibet operante immediate ( suppositaliter ) operetur ».

Hic oportet nos paululum diutius immorari. Etenim *si verba hujus textus S. Thomae integra consideraverimus, manifesta erunt duo : unum, quam falsa sit opinatio recentiorum Thomistarum, quasi hoc loco S. Thomas illas asseruerit, quas ubique vident, praedeterminationes physicas ; alterum idque secundarium, quanto prudentius egisset R. P. Dummermuth, si erga P. Suarez majore moderatione usus esset.*

Integer textus S. Thomae, de quo agimus, hic est : « Sic ergo oportet, virtutem divinam adesse cuilibet rei agenti, sicut virtutem corporis coelestis oportet adesse cuilibet corpori elementari agenti. Sed in hoc differt, quia ubicunque est virtus divina, est essentia divina; non autem essentia corporis coelestis est, ubicunque est sua virtus : *et iterum Deus est sua virtus, non autem corpus coeleste.* Et ideo potest dici, quod Deus *in* qualibet re operatur in quantum *ejus virtute* quaelibet res indiget ad agendum: non autem potest proprie dici quod coelum semper agat *in* corpore elementari, licet ejus virtute corpus elementare agat ».

« Sic ergo Deus est causa actionis cujuslibet in quantum dat virtutem agendi, et in quantum conservat eam, et in quantum applicat actioni, et in quantum *ejus virtute* omnis alia virtus agit».

« Et cum conjunxerimus his, quod *Deus sit sua virtus*, et *quod sit intra rem quamlibet* non ut pars essentiae, sed *sicut tenens rem in esse,* sequetur quod ipse in quolibet operante immediate operetur, non exclusa operatione voluntatis et naturae ».

Primum velim lectorem hoc animadvertere, si vera esset ex doctrina S. Thomae sententia de praedeterminationibus physicis, et si physica praedeterminatione tantum Deus in effectum causae secundae influeret, eversa jaceret conclusio, quam hic ipsum S. Thomam ex praecedenti doctrina derivasse, ipse diserte contendit R. P., scl. ob praedicta vere dici posse, « quod Deus in quolibet operante immediate *( suppositaliter )* operetur ». Nam ut quis dicatur operari immediate immediatione suppositi requiritur ex doctrina S. Thomae, ne suppositum influat in effectum tantum virtute a se veluti decisa, tanquam instrumento quodam separato, sed ut suppositum agens per virtutem, quae in ipso est atque in ipso manet, in effectum immediate influat. Si enim per virtutem a se profectam tantum et in aliud suppositum receptam influit in effectum, habemus manifesto alterius

suppositi mediationem, utut prius suppositum localiter a posteriore indistans est; neque enim de locali hic propinquitate vel immediatione agitur, sed de propinquitate et immediatione in causando... Jam vero praedeterminatio physica, prouti est terminative in causa secunda, est haud dubie aliquid entitative a Deo distinctum. *Si ergo a Thomistis asseritur, prouti asseri ab ipsis debet, hac tantum via, hoc tantum instrumento praedeterminationis physicae Deum in effectum causae secundae influere,* (si spectatur hic quartus in articulo operandi modus): *profecto nequaquam immediatione suppositi in eum influit Deus,* sed mediate tantum. *Itaque sunt praedeterminationes physicae secundum ipsius R. Patris interpretationem hujus loci contra litteram S. Thomae, qui vult Deum influere in effectum immediate suppositaliter.*

Potest tamen nonnemo hoc dubitare, verumne sit illud, quod modo asserui, *statutis praedeterminationibus physicis, Deum his solis in effectus secundarum causarum jam influere.* R. enim Pater p. 108 sqq profitetur, *ob quaedam evidentia testimonia S. Thomae immediatum etiam quendam influxum primae causae in effectus secundarum causarum admittendum esse.* — At revera, si semel statueris, secundas causas praedeterminationibus physicis consequi veram aliquam et formalem participationem divinae virtutis, idque quemadmodum R. P. ipse (pag. 75 § « Respondetur » in fine) auctor est, in ordine ad id, quod secunda causa propria virtute non potest efficere, sed quod efficere unius divinae virtutis est in omni effectu; sane alius omnis influxus causae primae in effectum causae secundae praeter illum, qui jam mediis his praedeterminationibus exercetur, superfluus est et abundat. Cui enim proposito hic alter, immediatus, Dei influxus in effectum praeterea deserviret? Etenim mediis praedeterminationibus causa secunda adaequate omnique modo ad effectum producendum jam idonea et informata est; scl. et relate ad id efficiendum, quod propriae virtuti secundae causae in effectu respondet, quodque causa secunda natura sua efficere potest, et relate ad id producendum, quod primae causae proprium est in efficiendo effectu, hoc enim secunda causa efficere potest ratione illius energiae, quam possidet participatione illa divinae virtutis per praedeterminationes physicas accepta. *Ergo statutis physicis praedeterminationibus nulli prorsus immediato influxui Dei in effectus secundarum causarum locus est; ageret enim actum.* Quodsi hoc offendit contra clarissimam doctrinam S. Thomae laudatis a R. P. locis traditam, eo pejus cum recentioribus Thomistis agitur. — Ceterum perspicuum est, hoc quarto operandi modo in creatura operante Deum *quam fieri possit maxime immediate* effectus secundarum causarum attingere. Quare si P. Dummermuth p. 108 sqq se velle significat statuere magis immediatum quendam influxum Dei, quam is sit, qui physicis praedeterminationibus haberi potest, *evidens esset, in quarto modo influendi Dei in effectum causarum secundarum de influxu Dei per praedeterminationes physicas non agi.*

Sed alterum etiam habemus, de quo hoc loco pauca dicere oporteat.

Solet R. P. acerbe, ubicunque ad hoc sibi nactus esse videtur occasionem, exagitare P. Suarezium (1), virum inter omnes clarissimum. Pag. 78 sqq. conatur ostendere, « *Suarezium aperte vim inferre litterae, dum asserit, S. Thomam, quando dicit causam secundam dare esse in virtute Dei, non loqui de virtute creata et instrumentali, a Deo participata et in ipsa causa secunda tanquam in subjecto recepta, sed de virtute Dei increata;* cum ipse S. Doctor in responsione ad septimum articuli de Potentia contrarium dicat : « Id, quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est ut intentio sola, habens esse quoddam incompletum, per modum quo colores sunt in aere, et virtus artis in instrumento ». Atqui virtus increata Dei neque aliquid est, quod fit; neque in re naturali est ut intentio sola; neque habet esse incompletum ut virtus artis in instrumento artificis, tanquam in subjecto : virtus enim increata Dei est virtus agentis principalis, et haec « habet permanens et completum esse; virtus autem instrumentalis habet esse transiens et incompletum (2). Ergo revera loquitur S. Doctor de virtute creata, instrumentali, et non de virtute increata Dei ».

Praeclare ostendit R. Pater, « id quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter (haec) agat » quodque est « ut sola intentio habens esse quoddam incompletum » etc., non esse virtutem increatam Dei. — Sed numquid R. Pater revera putat, P. Suarezium, quem Summi Pontifices summis laudibus appellarunt, quem omnes unum ex maxime insignibus theologis omnis aetatis, omnis nationis habuerunt, virum fuisse, qui absurdissima, imo plane insana defenderet? Talia autem profecto ista sunt, quae R. P. Dummermuth eum hic defendentem facit. Et re quidem vera R. P. aera diverberat. Ex ipsis verbis, quae ex Suarezio attulit, discere potuit, Suarezium existimasse, et merito, uti videbimus, *de alia omnino re* agi a S. Thoma, quando in responsione ad septimum transeuntis intentionis meminit, et de alia omnino re, quando idem S. Doctor in corpore articuli, in quarto modo operandi Dei in creatura, divinae virtutis mentionem facit. Nam verba Suarezii docent perspicue, illam intentionem esse « ipsam actualem motionem Dei, quae est ipsamet actio (creaturae), prout fluit a Deo » (3). — Quomodo autem, non dico Theologus primae notae, sed homo ullus rationis vere compos credere potuit, creaturae actionem esse increatam Dei virtutem? Hoc ergo ne quaeso Suarezio affingamus.

Concedo tamen hic unum : scilicet *principalis in hac re assertio Suarezii (n. 18) licet evidenter vera sit: ubi nimirum in quarto modo operandi Dei in operatione creaturae a S. Thoma commemoratur in corpore articuli virtus Dei, ibi virtutem Dei intelligi ipsam increatam Dei virtutem adeoque ipsum Deum: tamen minus feliciter illud a Suarezio (n. 21) additum esse: vim, qua agit res naturalis ad esse, de qua loquitur S. Doctor ad 7, iterum intelligi, ipsam increatam Dei virtutem. Intelligi potius videtur*

(1) Cfr. v. g. p. 74 et per plures deinceps.
(2) 3, q. 62, a. 4. in corp.
(3) l. 3 de Grat. c. 38, n. 21 & 22: cfr. Dummermuth pag. 81.

*aliquid creatum, energia divina actualis, quam paulo ante intentionem appellavit, quae si per modum habitus in creatura esset, sua activitate actualem Dei influxum, quem nunc omne agens creatum in sua operatione habet, suppleret adeoque superfluum redderet.*

Et quoniam plurimum ad praesentem quaestionem interest, utrum in quarto illo modo operandi Dei in omni creatura operante, de quo in corpore articuli, virtus divina intelligatur aliquid a Deo diversum ab eoque separatum, an ipsa increata Dei virtus in se, ideo licet hoc vix probatione egeat, nihilominus paucis demonstremus, increatam Dei virtutem reapse ibi in corpore articuli intelligendam esse.

Prius autem illud ipsum ostendere conabor, revera plurimum ab hac re in quaestione nostra dependere. Etenim *cum haec divina virtus*, secundum litteram articuli *maxime immediate effectum causae secundae attingat*, vehementius atque profundius quam ipsa secunda causa in eum ingrediatur, intimius eum penetret, dans ei ipsum esse tenensque illam in esse atque de remotissima potentia reducens illum in actum; *sane evidens est, aliam nullam virtutem ab hac, de qua agitur virtute divina, diversam posse ullo modo mediam intercedere in effectu producendo inter hunc effectum et hanc divinam virtutem.* Nec minus evidens est hoc alterum: *Si praedeterminationes physicas statuamus, per has solum increata Dei virtus effectus secundarum causarum attingit nec aliter quam per has eos ingreditur atque eos penetrat.* Id supra ostendimus. Quare si virtus, de qua loquitur S. Thomas increata Dei virtus est, praedeterminationes physicae ab hoc modo operandi Dei in creatura operante prorsus excluduntur.

Jam vero ita est: increata virtus Dei intelligitur. Quid enim aliud significare haec clarissima verba possunt: « Sic ergo, inquit S. Doctor, oportet virtutem divinam adesse cuilibet agenti, sicut virtutem corporis coelestis oportet adesse cuilibet corpori elementari. Sed in hoc differt: [ attendatur jam differentia! ] quia ubicunque est virtus divina, est essentia divina: non autem essentia corporis coelestis est, ubicunque est sua virtus; | hoc dici omnino aliquo modo potuit, etiam quando de virtute a Deo profecta ac separata ageretur; dico id potuisse *omnino* aliquo modo dici; quia scl. cum Dei essentia ubique sit, ibi etiam est, ubi est virtus a Deo entitative separata; quamvis per se pateat, quam haec indistantia localis, ubi agitur de immediatione in causando et efficiendo, parum aut potius nihil ad rem pertineat; sed jam pergit S. Doctor: ] *et iterum Deus est sua virtus* »; et ea quidem virtus quam antea virtuti corporis coelestis comparaverat. Profecto nisi hic significatur, ipsam increatam Dei virtutem esse eam virtutem, quae omni agenti creato adesse debeat ( in hoc scl. quarto modo operandi ) nulla verba ad id significandum sufficiunt. Dicant jam, quidquid velint, equidem contentus sum una hac D. Thomae sententia, virtutem, qua Deus operatur secundum quartum operationis modum in omni operante, esse ipsam essentiam Dei.

*Est ergo divina virtus, de qua in articulo sub quarto modo operandi Dei*

*in creatura agitur, ipsa increata Dei virtus. Cum porro ejus prorsus immediatus modus influendi in effectum actionemque causae secundae cum influxu per praedeterminationes physicas non componatur, quemadmodum ostensum est, sequitur, hoc ipso loco praedeterminationes physicas ab hoc quarto operandi modo per ipsum S. Doctorem esse exclusas.*

At habet argumentum R. P. alterum, quo probet, virtutem, de qua agitur, nihilominus non esse increatam Dei virtutem. — Quamquam, ubi evidentia contrarii adest, argumentis nihil efficitur, ne tamen illud dici possit, R. Patrem prohibitum a me esse, ne causam suam integre tueretur, audiamus etiam alterum hoc argumentum. « Praeterea, inquit, in corpore articuli dicit S. Thomas: « Instrumentum est causa quodammodo effectus principalis causae, non per formam vel virtutem propriam, sed in quantum *participat aliquid de virtute principalis causae per motum ejus* sicut dolabra non est causa rei artificiatae per formam vel virtutem propriam, sed per virtutem artificis a quo movetur, et eam quoquomodo participat » (1). « Quibus verbis, ait P. Dummermuth, *aperte* significatur *virtutem illam non esse ipsammet virtutem increatam* Dei, sed participationem quandam hujus virtutis in causa secunda ut in subjecto receptam ».

Quis non mirabitur haec legens? Idipsum igitur, quod manifesto est contra R. Patrem, ab eo affertur, quasi causae suae faveat. Indulgeat nobis id lector, ut rem ita esse, paucis ostendamus; nam tantae laudes tributae sunt huic R. Patris analysi articuli 7, qst. 3 « de Pot. », ut paullo amplius, quam res per se postulat, oporteat in ejus refutatione perstare. Incipiamus ab ultimis verbis textus S. Thomae: « dolabra non est causa rei artificiatae per formam vel virtutem propriam, sed per virtutem artificis, a quo movetur, et eam quoquomodo participat ». — Jam sciscitor, cur dolabra virtutem artificis *quoquomodo participet?* An quia de ea vi et virtute agitur, quae in dolabra recepta est? At haec non *quoquomodo* a dolabra *participatur*, sed est in ea tota simpliciter. Quare in comparatione non significatur voce virtutis quaedam virtus in instrumentum ab artifice derivata, sed ipsius artificis virtus. Ergo a pari in hoc quarto agendi modo Dei ipsa divina virtus omnipotentiaque laudatur.

Ipsis autem principalibus verbis : « instrumentum participat aliquid de virtute principalis causae per motum ejus », quinam subest sensus? An instrumentum de eo, quod per motum principalis causae *formaliter in se recepit* (ita enim R. P. putat, locum interpretandum esse), *participat aliquid?* Quis unquam tam perperam loquetur? Hoc enim totum et integrum habet in sese instrumentum. Porro venitne unquam alicui in mentem, S. Petrum, quando in sua secunda canonica haec scripsit : « Per quam maxima et pretiosa promissa donavit : ut per haec efficiamur divinae naturae consortes » (2), his verbis non intelle-

(1) Cfr Dummermuth p. 80.
(2) 2 Petri 1, 4.

xisse consortium ipsius increatae divinae naturae, sed divinae naturae participatae consortium? A pari ergo dicendum.

*Manet igitur exploratum, hic in quarto modo operandi Dei cum natura operante intelligi ipsam increatam Dei virtutem;* « *Deus est sua virtus* », *inquit. Et quoniam immediata prorsus operatio hujus divinae virtutis in actionibus et effectibus causarum secundarum a D. Thoma asseritur et exigitur, consequens est, ut operatio Dei mediis praedeterminationibus physicis a doctrina hujus partis articuli plane aliena sit.*

Transimus ad id, quod contra P. Suarez, secundo loco, affirmavimus, scl. eam « vim, qua agit [ secunda causa ] ad esse » a S. Thoma in responso ad septimum commemoratam non esse increatam Dei virtutem, *sed intelligendam esse vim quandam seu energiam creatam*, quae, si habitualiter adesset, sua activitate actualem illum influxum suppleret et proinde superfluum redderet, quem modo prima causa in omni creatura operante actu exercet et praestat.

Hoc videtur ex ipso contextu liquere. Videtur enim textus ob ipsum contextum hoc modo supplendus esse: « Sicut (ergo) securi per artem dari potuit acumen, ut esset in ea forma permanens, *non autem dari ei potuit, ut vis artis esset in ea quasi quaedam forma permanens,* ... ita rei naturali potuit conferri virtus propria, ut forma in ipsa permanens, *non autem* [ *potuit ipsi dari* ] *vis,* qua modo agit ad esse ut instrumentum primae causae », *tali modo, ut jam sit in ipsa per modum formae cujusdam habitualis et permanentis.* Scilicet non potest fieri, ut id, quod res naturalis per praetereuntem et actualem influxum ipsius Dei consequitur, quoties reapse agit, id jam totum in se habitualiter et permanenter possideat, ut aliquid sibi proprium. Sane si hoc fieri omnino posset et revera fieret, non jam deberet causa creata, quoties agit, illam vim vel energiam, quam modo in singulis actionibus divinitus accipit, amplius a Deo accipere, sed posset sine actuali influxu Dei et sine ejus cooperatione jam per se sola agere. Hic videtur sensus esse illorum verborum S. Thomae. Ergo non de increata virtute Dei sermo est, sed de energia creata, quae si per modum habitus in creatura esset, actualem Dei influxum sua activitate in singulis actionibus creatorum agentium superfluum redderet. Itaque tantum R. Patri Dummermuth concedo contra P. Suarezium.

Et nunc jam hoc quaeritur, *de quo potissima controversia est toto hoc loco: quid sit a parte rei illa intentio, quam hoc loco ad 7. S. Thomas commemorat.* Haec enim quaestio ad superiora proxime pertinet.

Dicimus igitur cum Suarez, *eam intentionem, de qua hic S. Thomas ad 7 loquitur, esse ex mente S. Doctoris ipsam actionem creaturae quatenus a Deo simul procedit, seu esse illud momentum reale; quod ipse Deus in omni actione, quae a creatura procedit, producere debet, seu esse divinum concursum actu exhibitum. Omnia haec re idem sunt.*

Contra nos Thomistae summa cum vi contendunt, hanc intentionem praedeterminationem physicam esse. Atque si credas Patri Dummer-

muth (1), fassus est P. Suarez, veteres S. Thomae interpretes gravissimos ad unum omnes, Capreolum, Cajetanum, Ferrariensem a partibus recentiorum Thomistarum stare. Si vero ipse locum Suarezii consulueris, quo nititur R. P., statim apparebit, contrarium esse verum. Fatemur igitur libenter, P. Suarezium opinatum esse diu, hunc locum (ad 7) adversari (aliquatenus) doctrinae Societatis (2). Sed tantum abest, ut veteres S. Thomae interpretes ipsum in ea, quam mente praeconceperat sententiam, confirmaverint, ut eorum auctoritas ipsum tandem ab illa praecepta opinione dimoverit.

Audi ergo, quomodo ipse Suarez rem evenisse narrat: « Solum, inquit, nobis facessit negotium solutio ad primam instantiam | illa responsio ad 7 |, quia in ea videtur distinguere D. Thomas *duplicem virtutem*, quam Deus dat secundae causae, *unam per modum formae habentis esse ratum et firmum* | i. e. « virtutem naturalem quae est rebus naturalibus in sua institutione collata » |, *aliam per modum intentionis et motionis transeuntis, prout intellexit Ferrariensis 3 Cª Gent. c. 70, et secuti sunt alii Thomistae recentiores*, quorum expositio olim visa est verbis consentanea ; tamen quia ille locus cum aliis collatus non est tantae auctoritatis, in illo examinando non multum laboravi, et tacite a S. Thoma revocatum dixi, quia revera in nullo loco similibus verbis usus est.

« *Nunc autem motus auctoritate Capreoli et Cajetani* (3), attentius consideravi discursum illius articuli et plane intellexi, in quarto illo modo agendi [ in corpore articuli ], quo D. Thomas dicit, creaturam agere per virtutem Dei, non agere de virtute instrumentaria a Deo facta in creatura, sed de ipsa virtute increata Dei.

« Hinc ulterius animadverti cum proportione intelligendum esse, *quod idem D. Thomas in dicta solutione ad 7.* maxime docet; non potuisse communicari creaturae, ut ageret sine operatione Dei: quia licet illi dari potuerit virtus propria, *non tamen vis illa, qua agit ut instrumentum primae causae; quae quidem vis*, ut declaravi, *non est nisi ipsa virtus divina adjuvans virtutem creatam ad agendum...* [ Jam dixi hoc nobis videri dici a Suarezio minus probabiliter ].

« *Ex quibus tandem probabilissime dici existimo, etiam in principio illius solutionis non loqui D. Thomam de virtute fluente indita causae secundae, priusquam agat, sed solum de ipsamet cooperatione Dei* [ utique terminative spectata ]... Cum ergo S. Thomas ait, praeter virtutes nativas et permanentes rerum naturalium, « *id quod a Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, esse ut intentionem solam* » *etc. de actuali quidem motione Dei intelligendum puto*, non tamen ita [ eam ] fieri in re naturali, ut fiat

(1) p. 78 sq; cfr p. 82 sq.

(2) Cfr Opusc. de Concursu l. 1, c. 11, n 4 sqq. Metaph. disp. 22, n. 52; de vera intell. aux. efficacis c. 40 § « Octavus ».

(3) Hic opponuntur Capreolus et Cajetanus Ferrariensi aliisque Thomistis recentioribus,

in ipsa causa secunda vel in virtute ejus tanquam in subjecto recepta (nisi quando in illa recipitur propria actio), sed ita ut generaliter et *per se loquendo fiat in re naturali quoad actionem ejus, quia id, per quod immediate Deus juvat causam secundam ad dandum esse suo effectui est ipsamet actio prout fluit a Deo,* et ideo dicitur esse quasi motio artis vel ad modum intentionis » (1).

« *Ferrariensem,* inquit jam R. P. Dummermuth, *quem secuti sunt Thomistae recentiores, inducit* [*Suarez*]*; quibus adjungit Veteris Scholae Principes Thomistas Capreolum et Cajetanum, quorum tamen interpretationem traditionalem non admittit* ». Haec satis per se loquuntur. Suarez in loco laudato opponit e regione inter se Ferrariensem (2) et recentiores Thomistas ex una parte, et Capreolum et Cajetanum ex altera parte; at R. P. Dummermuth dicit, ipsum adjungere duorum horum auctoritatem auctoritate Ferrariensis etc.

Ceterum Suarezium in sententia fuisse, Cajetanum atque Capreolum locum « de Potentia » *non* ita intellexisse, ut vel leviter opponatur doctrinae Societatis, id patet etiam ex iis, quae exstant in eodem libro 3 « de Gratia » c. 34, n. 15. Quae si placet, ibi lege (3).

*Nunc veniendum ad interpretationem ipsius loci seu illius responsionis ad 7. Et puto, P. Suarezii interpretationem in substantia veram esse, modo alterum aliquid addatur,* ad quod, ut opinor, non satis attendit, scl. S. Thomam videri tum aliis locis *tum hic « de Potentia » existimasse, actionem etiam transeuntem creaturae esse aliquid novi in ea ipsa creatura, quae dicitur agere;* non solum in termino et passo, quodque cum effectu producto aliquo tandem modo confundatur et identificetur (4).

Nam si S. Thomas revera sensit, actionem omnem creaturae esse aliqua tandem ratione aliquid entitativum et physicum novum, primum in ipso agente, deinde in passo, etsi modus, quo ea in agente aliquid entitativum sit, maxime ex se sit labilis et infirmus, ut entitativum illud ne formae quidem nomen proprie mereatur: tamen quia vel sic aliquid revera et physice est in agente: consequitur, quae est intima omnis prorsus esse participati ab ente per essentiam dependentia, ipsum illud esse participatum debere non a sola creatura, sed a Deo etiam, simul cum creatura, immediate fieri atque produci in ipsa re naturali agente tanquam in subjecto.

Jam vero probabilius est, sensisse S. Thomam, saltem tum, quando

(1) Lib. 3. de Grat. c. 38 n. 20-22.

(2) Nota tamen, P. Suarezium non dicere, Ferrariensem hic agnovisse praedeterminationes physicas ut genuinum foetum mentis Aquinatis; sed hoc tantum, Ferrariensem putasse, hic profiteri Aquinatem aliquid praevium in causa secunda fieri a Deo per modum formae transeuntis; quod sane plane aliud est. Habet se unum ad alterum, ut genus ad speciem. Cfr Liv. Meyer, Controv. t. 1. p. 688.

(3) Ceterum jure dubitaveris, num recte de Ferrariensi Suarez senserit meritoque ipsius doctrinam et interpretationem Cajetano atque Capreolo opposuerit. De qua re infra uberius. Interim conferatur Limbourg in laudato Periodico Zeitschrift für Kathol. Theolog., anno 1880, p. 259 sq.

(4) 1, q. 37, a 2; « de Pot. » q. 7, a. 10 ad 8; ibid. q. 5, a. 1 ad 6.

quaestiones « de Potentia » conscripsit, omnem prorsus actionem creaturae, etiam transeuntem, aliquid in agente primum et principiative esse (1).

Modo profecto non agitur ea quaestio, num id opinatus sit jure S. Doctor, num manserit constanter in ea sententia, sed unum hoc, num aliquando, num tum, quando quaestiones « de Potentia » scripsit, ita existimaverit, aut saltem ita scripserit, ac si ita existimaret.

Inspice jam testimonia, quibus putamus satis elucere, S. Thomam ita tum opinatum esse. De Potentia q. 8, a 2 haec exstant. « Unde dicendum est, quod nihil prohibet *aliquid esse inhaerens,* quod tamen *non significatur ut inhaerens* [est ergo vere inhaerens]; sicut etiam *actio non significatur ut in agente sed ut ab agente;* et tamen *constat actionem esse in agente* »; quod testimonium videtur admodum luculentum esse atque ad actiones transeuntes praecipue pertinere. — Ibidem q. 7, a. 10 ad 1 : « Ad primum dicendum, quod movens et agens naturale movet et agit actione vel motu *medio*, qui est inter movens et motum, agens et passum. Unde oportet quod saltem in hoc medio conveniant agens et patiens, movens et motum. *Et sic agens in quantum agens non est extraneum a genere patientis.* Unde utriusque est realis ordo unius ad alterum, et *praecipue cum ipsa actio media sit quaedam perfectio propria agentis* ». — Consonant his quae inveniuntur 2 dist. 40, q. 1, a. 4 ad 1. « Ad primum igitur dicendum, quod cum *actio sit in agente* et passio in patiente, *non potest esse idem numero accidens*, quod est actio et quod est passio, *cum unum accidens non possit esse in diversis subjectis* ». Cfr 3, dist. 18, q. 1 ad 4. — Ultimus locus sit ille, qui occurrit 2, C^a^ Gent. cp. 9 ratione ultima : « *Actio quae non est substantia agentis, inest ei sicut accidens subjecto*, unde et actio inter novem praedicamenta computatur ».

*Hac ergo sententia posita, quaecunque S. Thomas in illa solutione ad 7. protulit, plenissime vera sunt, etsi nullatenus de praemotione vel de praedeterminatione physica intelligantur.*

Aggrediamur ergo facta hac suppositione explicationem celeberrimi hujus responsi ad 7, quatenus quidem ad praesentem spectat controversiam. Postquam S. Thomas asseruit, « quod virtus naturalis, quae est rebus naturalibus in sua institutione collata, inest eis ut quaedam forma habens esse ratum et firmum in natura » : 1° asseritur, id quod Deus faciat in re naturali, quo actualiter agat i. e. quo formaliter agens evadat (2), habere rationem dumtaxat intentionis et esse cujusdam incompleti. Quid haec porro significant? Quid est hujusmodi intentio et quomodo ea habet rationem esse cujusdam incompleti? Ex responsione harum quaestionum pendet maxime, possitne nostra loci S. Thomae interpretatio subsistere necne. Consultis autem locis S. Doctoris et infra exscriptis et ibidem

(1) Ita etiam Cajetanus affirmat ad 1, q. 25, a. 1. Alios praeclaros Thomistas ita opinantes vide apud Suarezium « Metaphys. » disp. 48, s. 4, n. 2.

(2) Cfr Suarez de Gratia l. 3, c. 38, n. 21 et 22.

adnotatis (1), indoleque loci, de quo proxime agitur, hoc modo statuimus, nihil aliud significari voce « intentionis » hic, nisi *rationem quandam realem et physicam* — virtutem eam alias appellat S. Doctor — *in creatura actu agente, ut talis est, divinitus per modum motus et actionis exsistentem ut in instrumento a prima causa moto, quod hac via atque virtute agere et effectum producere valet, sine hac virtute minime potest.*

Etenim ex locis in nota allatis constat, quoties de hujusmodi intentione agitur, agi 1° de *virtute* seu energia quadam, quae alicui *causae instrumentariae* vel quasi instrumentariae *superaddita* est per motionem causae principalis; 2° agi de virtute quadam, quae causae instrumentariae insit *praecise quatenus haec est in motu et agens formaliter ad quendam effectum;* 3° hanc virtutem *cum ipso hoc motu* cumque ipsa hac actione entitative confundi seu *re* idem esse; 4° hanc virtutem « non permanere in instrumento nisi per (continuam) praesentiam (et continuum influxum) causae principalis » (hic q. 6, a. 4 in corp.); 5° esse tandem medium quiddam inter potentiam et esse; *est* enim, utpote motus et actio, *quaedam ad esse via* et quidem ad esse talis rei, ad quam instrumentum, aut id, quod instrumenti rationem habet, propriis viribus pertingere nequeat. Haec constant locis S. Thomae in nota allatis. Haec porro si nostro loco pro ipsius indole subjectaque materia erunt accommodata, evidenter apparebit, nos intentionem, de qua hic ad 7 agitur, recte definivisse. Nam ll. agitur de ea intentione, quae in omni creatura actu operante divinitus inest ob suam essentialem dependentiam in agendo et causando a causa prima, ob quam etiam de-

(1) Prior locus, quem exscribimus, in hac re quasi classicus est: exstat 4 dist. 1, a. 4. ad secundam qst: « Unde alio modo, *inquit S. Doctor, oportet ponere virtutem agendi in agente principali, alio modo in agente instrumentali.* Agens enim principale agit secundum exigentiam suae formae; et ideo virtus activa in ipso est aliqua forma vel qualitas, habens completum esse in natura. *Instrumentum autem agit ut motum ab alio; et ideo competit sibi virtus proportionata motui; motus autem non est ens completum, sed est via in ens,* quasi medium quid inter potentiam puram et actum purum, ut dicitur in 3 physic. *Et ideo virtus instrumenti inquantum hujusmodi secundum quod agit ad effectum, ultra id, quod competit sibi secundum suam naturam, non est ens completum habens esse fixum in natura, sed quoddam ens incompletum,* sicut est virtus immutandi visum in aere, in quantum est instrumentum motum ab exteriori visibili; *et hujusmodi entia consueverunt intentiones nominari et habent aliquid simile cum ente, quod est in anima, quod est* ens diminutum, ut dicitur 6 Metaphys ».

Alius locus vix minus luculentus exstat « de Ver. » q. 27, a. 4 ad 4$^{um}$, ubi haec: « Dicendum, quod sacramenta non operantur ad gratiam per virtutem propriae formae, sic enim operarentur, ut per se agentia; sed operantur *per virtutem principalis agentis,* scilicet Dei, *in eis existentem: quae quidem virtus non habet esse completum in genere entis, quod patet ex hoc quod instrumentum movet inquantum movetur, motus autem est actus imperfectus* secundum Philosophum: unde sicut illa quae movent inquantum sunt jam quasi in termino motus assimilata agenti, movent per formam perfectam; ita *illa, quae movent prout sunt in ipso moveri, movent per virtutem incompletam;* et hujusmodi virtus est in aere ad movendum visum secundum quod immutatur a colore parietis *ut in fieri,* non ut in facto esse, *unde species coloris est in aere per modum intentionis* et non per modum entis completi sicut est in pariete. Et similiter sacramenta operantur ad gratiam prout sunt quasi mota a Deo ad hunc effectum, qui quidem motus attenditur secundum institutionem, sanctificationem et applicationem ad eum, qui accedit ad sacramenta: unde habent virtutem non per modum entis completi, sed quasi incomplete; et sic non est inconveniens, quod virtus spiritualis sit in re materiali, sicut species colorum sunt spiritualiter in aere ».

Cfr de Pot. q. 3, a. 2, ad 14; q. 6, a 4 in corp; 3, q. 62, a. 3 in corp. etc.

pendentiam omnis causa secunda in ordine ad primam causam instrumenti cujusdam rationem habet.

Quae cum ita sint, *patet etiam alterum, cur et quomodo huic intentioni quoddam esse dumtaxat incompletum competat.* Competit nimirum per modum, *quo motui et actioni* esse competit i. e. *ut viae* ad aliud quoddam esse scl. ad esse effectus. Habere autem esse *per modum viae* ad aliud esse est habere esse imperfecto modo.

*Hinc ulterius patet, hunc ipsum ad 7um locum convenire praeclare cum nostris assertis, non cum assertis Thomistarum. Nam id quod Deus in omni creatura actu operante facit, debet esse secundum doctrinam S. Thomae motus quidam et actio, non tantum motus et actionis quoddam principium* (1). Jam vero hoc apud nos est verissimum, apud Thomistas vero nequaquam. Nobis enim id quod Deus in creatura operante facit, est ipsa actio et operatio creaturae quatenus simul a Deo procedit, Thomistis vero est per se tantum actionis atque operationis creaturae principium quoddam, *prae*determinatio physica. Ergo tantum abest, ut hic locus nobis adversetur, ut cum nostris placitis plene consentiat. 2° asseritur in responsione ad 7, quod Deus faciat in re naturali, id *in* ea fieri. Hoc secundum ea, quae supra attulimus, severissime interpretari licet, ut particula « in » subjectum designet, in quo motus formaliter insit. Si quis autem contendat, id minus a nobis effectum esse, quamvis id nostra sententia plane immerito diceretur, negari hoc saltem non potest, qua latitudine in illis locis, S. Doctor particulam « in » usurpaverit, eadem hic ab eodem usurpari potuisse: si ergo ibi inter alia dicere ei licuit, actionem non tantum esse ab agente, sed « esse in agente » (de Pot. q. 8, a 2), quamvis minime sit in ipso ut in subjecto inhaesionis, etiam eodem modo licuit ei hoc loco particulam « in » latius adhibere. Ceterum quae ibi tradita sunt, videntur esse manifesto vera. 3° ratio redditur assertionis factae. Etenim illud, quod Deus in omni operatione creata facit vel praestat, ita proprium Dei est, ut non possit cum creatura seu cum creato ente communicari, ut proprium ejus fiat seu per modum formae permanentis. Cujus iterum ratio est, quia hoc facere vel praestare convenit Deo praecise propterea, quia est universale essendi principium. Quemadmodum ergo repugnat vim artis seu id, quod praestat ars, possideri ab artis instrumento, si proprie instrumentum est, ut aliquid sibi proprium et per modum formae in eo permanentis, quia ad hoc instrumentum artis deberet habere intellectum, sic repugnat creaturae possideri ab ea ut proprium et per modum formae permanentis id, quod Deus in omni actione creaturae operatur et praestat. Deberet enim ad hoc creatura exsistere jam ipsum esse ipsumque actum per essentiam. Porro quod

(1) « Illa, quae movent *prout sunt in ipso moveri, movent per virtutem imcompletam* » (II. de Ver.); « *Virtus instrumenti* in quantum hujusmodi *secundum quod « agit » ad effectum, ultra id, quod competit sibi secundum suam naturam, non est ens completum... sed quoddam ens incompletum*... et hujusmodi entia consueverunt intentiones nominari » etc. (II. 4 sent.).

ipsi rei naturali dari nequit, id neque virtuti (naturali dari potest ex eadem ratione). Nec magis potest ipsi conferri, ut se ipsa conservet (directe et proprie) in esse. Hic videtur esse totus et integer sensus hujus responsi ad 7. Liquet autem, in eo nihil contineri, quod contra nos sit; manet potius exploratum, solum in ea, quam defendimus, sententia, omnia quae traduntur, nancisci evidentem et planam explicationem.

Colligamus in unum ea, quae quintam R. Patris assertionem discutientes, hucusque invenimus in favorem systematis nostri. Invenimus hoc loco « de Pot. », excludi a doctrina S. Thomae praedeterminationes physicas ob duas rationes: prima est, quoniam admissis praedeterminationibus physicis, Deus causis secundis in producendis effectibus *non satis immediate* cooperatur; altera est, quia praedeterminationibus statutis id, quod Deus facit in re naturali, quo actualiter agat, *non est motus ipse et actio* sed quoddam motus actionisque principium. Omnia haec se contrario modo habent in sententia Molinistarum.

At hic duo contra nostram explicationem illius responsionis ad 7 objiciuntur. 1° opponitur contra id, quod a nobis statutum est, S. Thomam in sententia fuisse, omnem prorsus actionem, etiam transeuntem, esse primum aliquid physicum in agente, ut in subjecto vero et proprie dicto. Etenim sunt loci, in quibus satis clare S. Thomas videtur tradere eam sententiam, quae habetur etiam a plerisque pro vera: transeuntem actionem esse quidem ab agente, neque tamen quidquam entitative in agente, sed tantum in passo. Sic v. g. 1, q. 18, a 3 ad 1 (Cfr C$^a$ Gentes l. 2, cp. 1) hanc differentiam assignat inter actionem immanentem et actionem transeuntem, quod transiens actio sit perfectio moti, immanens autem perfectio agentis. — Ad hoc respondetur 1° dubium esse, quomodo haec S. Doctor intellexerit, num solum terminative an etiam principiative. Nam hoc exploratum est apud omnes: etsi actio transiens principiative aliquid in agente sit, eam tamen nec esse ad hoc nec terminari ad hoc, ut perficiat ipsum agens, sed ut aliud scl. passum perficiat. Contrarium usuvenit in actione immanenti. Qui vero alii pro sententia nobis contraria ex Aquinate afferuntur loci, ii allatis minus etiam evidentes et efficaces sunt. Cfr inter alios Ferrariensis ad cap. laudatum C$^a$ Gent. — 2° respondetur, nihil repugnare, quominus S. Thomas senior sententiam mutaverit. Agitur modo unum hoc, quid de natura actionis transeuntis creaturae senserit, quando conscripsit quaestiones « de Potentia ». Si postea sententiam correxit, loquendi etiam modum mutavit. Nam nihil huic ad 7 responso simile in ceteris operibus S. Doctoris invenitur.

Altera objectio contra illam nostram assertionem dirigitur, motum a Deo procedentem et motum procedentem a creatura *esse re eundem motum* immediate procedentem a Deo et a creatura, sub diverso tamen respectu; et quatenus is motus procedat a Deo, esse eum ipsam illam intentionem, cujus mentio fit ad 7. At contra hoc pugnat id, quod S. Thomas hic habet ad 3: « Ad tertium, inquit, dicendum, quod in operatione, qua Deus operatur

movendo naturam, *non operatur natura*». Jam vero si idem motus procederet immediate a Deo et immediate a creatura, quae erat assertio nostra : profecto in operatione, qua Deus operatur movendo i. e. in actum secundum transferendo naturam, operaretur etiam natura. Ergo nostra assertio est falsa.

Respondetur : concedendum est, auctoritatem S. Thomae, prout apud ipsum exstat, afferri ; sed explicandam eam esse de immediatione virtutis in operando. Nam Deus recte dicitur solus operari movendo creaturam, quatenus Deus spectatur praecise ut est activum principium hujus motus seu actuationis : sic enim a nullo adjutus et in operando sustentatus ipse solus operatur ; cujus contrarium usuvenit in creatura operante. Ipsa enim debet, ut operari possit, a Deo simul cooperante in sua operatione sustentari et fulciri, quemadmodum id infra late exponetur. Hanc interpretationem sententiae S. Thomae rectam esse, elucet ex ipsa doctrina, quae apud S. Doctorem immediate sequitur. Pergit enim : « Sed *ipsa naturae operatio* est *etiam divinae virtutis operatio,* sicut operatio instrumenti est per virtutem agentis principalis. Nec impeditur, quin natura et Deus ad idem operentur propter ordinem, qui est inter Deum et naturam ». Sensus enim horum verborum est hic : Sed *ipsa operatio* naturae, non aliquid ad eam praevium, est etiam divinae virtutis operatio, quatenus operatio naturae sine divinae virtutis influxu et operatione (terminative accepta) nec esse nec cogitari potest. Sicut instrumenti quoque formaliter sumpti operatio est per virtutem principalis agentis : quatenus nimirum instrumentum, qua tale est, ejusmodi motus rationem habet, ut ex solo influxu principalis causae habere eam possit. Nec sane ita ullo modo impeditur, quin natura et Deus ad idem operentur, imo hoc fieri plane necessarium est, propter ordinem essentialis et intimae dependentiae, qui inter Deum et naturam actu operantem habetur. Cfr l. 3 C$^a$ Gent. c. 70. Ergo verbis in objectione allatis non negatur, Deum cum natura immediate suppositaliter ad effectum naturae operari, nec Deo mediata tantum operatio ad effectum naturae adscribitur, quod plane locum haberet, si Deus media tantum virtute a se solo producta ad effectum naturae concurreret ; sed uni Deo in hac communi operatione independentia in agendo vindicatur.

Quibus praeclare consonant, quae jam ad 4 S. Doctor addit. « Ad quartum dicendum, inquit, quod tam Deus quam natura *immediate* (suppositaliter) operantur, licet ordinentur secundum prius et posterius ». Sed de hoc ultimo mox uberius dicendum.

Stat ergo firmiter nostra conclusio.

Ob ea vero, quae mox in assertione sexta statuet R. Pater, unum addendum : *Ubi primum praedeterminationes physicae a quarto modo operandi Dei in creaturis operantibus exclusae sunt, eas etiam a tertio modo, ac proinde eas omnino ab hoc articulo excludi.* Nam eas in primo et altero modo non contineri, evidens est. Etenim in sexta assertione jure docet R. Pater, tertium et quartum modum, quibus Deus operetur in creaturis

operantibus, realiter non distingui. Ergo praedeterminationibus physicis a quarto modo exclusis etiam a tertio exsulant.

Atque haec de quinta assertione R. Patris, qua enuntiavit, Deum et naturam immediate operari; quod vero ibi addidit, esse tamen ordinem secundum prius et posterius, modo quidem obiter explicatum est, mox autem, ut dixi, uberius explicabitur.

*Sexto igitur loco p. 39 hanc assertionem ponit R. P. Dummermuth:* « *Duo modi, quibus Deus mediate causat actiones causarum secundarum, non sunt realiter distincti. Idem est dicendum de duobus modis, quibus Deus immediate illas actiones attingit.* — Quadrupliciter, ut dictum est, causat Deus actiones cujuslibet agentis creati « inquantum dat virtutem agendi, et inquantum conservat eam, et inquantum applicat actioni, et inquantum ejus virtute omnis alia virtus agit ». Dicitur ergo in propositione nostra, quod duo modi priores realiter non distinguuntur, sicut nec duo posteriores ».

Quod ad priorem partem assertionis attinet, evidens est, primae productioni virtutis agentis et ejus deinceps conservationi non duplicem respondere posse modum influendi Dei (media hac ipsa creata causa atque virtute) in actionem effectumque hujus ipsius causae et virtutis, sed unum dumtaxat. Eadem enim est virtus atque causa, quae primum dicitur produci, postea vero conservari a Deo, nec alius hic influendi modus Dei in effectum secundae causae consideratur, quam is qui locum habet per hanc ipsam causam et virtutem unam. Ergo merito asseritur, modum operandi et influendi Dei per hanc causam in effectum ipsius unum tantum esse. De prioris igitur partis veritate nulla potest esse dubitatio.

Idemne dici de tertio et quarto modo influendi Dei in effectum causae secundae possit, id nunc videndum.

Atque *ratio dubitandi* multiplex est. Nam primo evidens est, agi in quarto modo de una ea in effectum secundae causae per Deum influendi ratione, quae est *prorsus immediata ex parte Dei ut causae;* in tertio vero modo hoc est plane incertum. Nam secundum literam textus videtur sufficere, ut influxus, quo inferius agens a Deo attingitur vel movetur, *mediate* in Deum reducatur. Quid enim sibi aliud volunt haec quae ibidem occurrunt verba: « Et quia *natura inferior agens* non agit *nisi mota*, eo *quod* hujusmodi corpora inferiora *sunt alterantia alterata; coelum autem* est alterans non alteratum, et tamen *non est movens nisi motum; et hoc non cessat quousque perveniatur ad Deum: sequitur de necessitate quod Deus sit causa actionis cujuslibet rei naturalis ut movens et applicans virtutem ad agendum* »? Sequiturne jam ex praecedentibus praemissis; quoniam inferius omne agens non evadit agens nisi per aliquid in ipso aut saltem circa ipsum mutetur (1), Deum debere ipsum per se hanc mutationem semper producere? Hoc nullo jure deduceretur. Motus omnis initium atque exordium ab ipso immediate Deo esse, hoc recte ita concluditur; omnem vero

(1) Cfr ad hoc Kleutgen, Philosophie der Vorzeit II n. 914; Ruiz « de Vol. Dei. » disp. 47, s. 2.

motum particularem ab ipso immediate Deo procedere, hoc num jure ita concludatur merito dubitatur.

Altera ratio dubitandi est haec: prior seu tertius modus influendi Dei debet esse ita accommodatus, ut agens *propriam virtutem possit exerere;* hoc enim, et aliud nihil, est applicare agens ad agendum: scl. agens in tali conditione ponere, ut proprias vires exerere *possit*. Quartus vero modus influendi Dei debet esse hujusmodi, *ut per ipsum actu efficiatur id praecise, quod in omni effectu causae secundae tribuendum est primae causae.* Quae igitur differentiae in terminis duplicis hujus influxus observantur: unus influxus respicit *posse* agere creaturam, alter vero *actu agere eam*, unus *id, quod respondet propriae virtuti secundae causae* in effectu ; alter id, *quod respondet causae primae.*

At si attendimus id, quod docet S. Thomas locis parallelis, potissimum 1, q. 105, a. 5 et 3 C^a^ Gent. c. 70, opinor, non intelligi in his modis influendi Dei in effectus secundarum causarum duos influxus, qui essentialiter et necessario re inter se distincti sint, sed qui possint saltem in quibusdam effectibus adaequate secundum rem esse unum idemque. Hoc jam explicandum.

Atque ad hunc tertium quidem et quartum causandi modum quod attinet, revocetur in memoriam doctrina S. Thomae, omnem causam, quo sit entitative perfectior magisque appropinquet Deo, eo in se majorem energiam possidere (1), paucioribusque opus habere adminiculis externis ad agendum. Unde substantia pure spiritualis paucissimis adminiculis contenta est, ut operari adaequate et reapse possit. Neque tamen ulla unquam creatura adeo perfecta evadere in se potest, ut simpliciter ipsa sibi una ad agendum sufficiat, vel, ut S. Thomas hoc loco ait, « per se ipsa moveat et agat » (2). Quare si eum v. g. actum cognitionis attendimus, quo spiritualis substantia ipsa se cognoscit, ad quam cognitionem eliciendam spiritualis substantia sine dubio maxime sibi per seipsam sufficit, opinor, *non* aliud esse illud, quo Deus immediate praesto sit spirituali substantiae, ut possit in hoc actu eliciendo propriam exerere virtutem, aliud id, quo ipsa actualiter agat, ut instrumentum vel quasi instrumentum divinae virtutis ad producendum in eo actu id, quod proprium est Dei sed utrumque fieri una eademque exertione seu motu divinae virtutis; sine hac vero divinae virtutis exertione ne hunc quidem maxime connaturalem actum a spirituali substantia elici posse. Quare in hoc casu, et si fortasse alii sunt huic prorsus similes, non duos modos influxus divini *re* distinctos admittimus, sed unum, qui sufficiat ad duos quasi effectus formales: quorum unus est, ut ipsa virtus creata plenissime evadat idonea, ut propriam innatamque virtutem exerat effectumque producat; alter, ut simul ea, quae correspondet primae causae in omni effectu ratio entis producatur. *Unde praeter hunc*

(1) Cfr. q. 22 de Ver. a. 4.

(2) Merito hic affertur etiam illud S. Thomae 1. 2, q. 109, a 1 : « Quantumcunque natura aliqua corporalis vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere nisi moveatur a Deo ».

*influxum et motum divinae virtutis, alium influxum actualem Dei causae secundae, praecise quatenus haec operatur, ex generali conditione creaturae essentialem esse, non censemus.*

At plerumque in causis secundis, ut propriam virtutem exerere possint, alia momenta, quae tamen etiam suo modo procedunt a Deo, non a solis creatis agentibus, necesse est accedere, ob specialem scl. causarum et actionum, de quibus agitur, indolem. Sic v. g. creata nulla voluntas potest velle, nisi aliqua a volitione re distincta cogitatio praecesserit ; quae quidem cogitatio, quippe quae ens creatum sit, ita proficiscitur ex propria virtute secundae causae, ut Deum etiam immediatum auctorem habeat. Unde jam concludendum : generatim ad hunc tertium modum juvandi operationes causarum secundarum pertinere et revocari omnia ea etiam momenta, quibus causa secunda in actu primo proximo ut sic constituatur. Ergo merito asserimus, etiam per omnia haec momenta Deum applicare causas secundas ad agendum, operarique ipsum in operatione agentis creati. Cfr C$^a$ Gent. l. 3, c. 67, n. 4.

Nondum tamen absolvimus hoc punctum, imo quaestio gravissima superest. Diximus modo, secundum S. Thomam *Deum* in actionibus entium creatorum omnium, etiam perfectissimorum, vel tum, quando eas actiones exercent, ad quas exercendas per se quam maxime idonea sunt et in quibus sibi ipsis quam maxime sufficiunt, nihilominus, *opitulari immediate ad duplicem quasi effectum, primo, ut proprias vires exerere possint, deinde vero, ut a Deo id fiat, quod in omni effectu proprium est Dei. Addidimus porro, ad haec tamen praestanda non duplicem requiri influxum Dei re distinctum, sed unum influxum, unam exertionem, seu, ut S. Thomae verbis utamur, unum motum divinae virtutis sufficere ; atque hunc solum convenire creaturae operanti praecise ex generali conditione creaturae operantis.*

In his porro assertionibus sine dubio P. Dummermuth minime nobis repugnantem habemus tum potissimum, si unum adjunxerimus : S. Thomam sine dubio hunc influxum motumque primae causae essentialiter requisitum, cum plane universalis sit, primo loco et per se hic intellexisse. Sensus enim inscriptionis articuli : « Utrum Deus operetur in operatione naturae » evidenter hic est : Utrum Deus operetur in *omni* operatione *omnis* naturae vel creaturae, et quomodo hoc locum habeat. Quare primo et per se eos modos motionis vel opitulationis divinae ad operationes creatorum agentium afferri in articulo oportebat, qui a nulla operatione ullius naturae creatae abesse possunt ; *cetera per accidens adduntur et considerantur.*

Secunda igitur etiam pars assertionis principalis quintae R. Patris a nobis quoad substantiam admittitur, quamvis opinemur, ea totam doctrinam in articulo traditam non plane exhauriri, prout modo est expositum.

*Jam quaeritur illud, quanam re hic essentialis influxus Dei omni naturae operanti praebeatur. Id fieri concursu Dei simultaneo, communis Docto-*

*rum Ordinis nostri sententia est.* Et merito ita opinantur. Ratio partim negativa, partim positiva est. Negativum momentum situm est in hac re quod determinationes physicae a doctrina S. Thomae prorsus alienae sunt, ut supra et hoc ipso loco multis modis et luculentis ostendimus. Positivum vero momentum est hoc : quod quidquid hoc loco et locis parallelis supra laudatis S. Doctor tradit, id perfecte verum esse intelligitur, uno concursu Dei simultaneo admisso. Hoc jam demonstrandum. Demonstratum hoc erit ostensis duobus : primo ostendendum est, concursum Dei simultaneum recte dici motum Dei applicantem secundas causas ad agendum ; altero loco ostendendum, hoc simultaneo concursu secundam causam quasi instrumentum Dei fieri ad id perficiendum, quod in omni effectu secundarum causarum Dei proprium est.

Atque *concursum simultaneum motum* dici posse secundae causae, per se evidens est. Est enim hic concursus aliud nihil nisi ipse actus secundus creatae causae seu ejus *activitatis exercitium, quatenus id procedit a Deo. Recte etiam motus secundam causam applicans dicitur.* Nam cum nulla secunda causa possit omnino proprium atque specificum esse cum effectu communicare, nisi Deus ex parte sua simul praebeat id, quod in omni effectu cujuscunque causae secundae ipse per se praebere debet : ideo recte dicitur, omnem secundam causam et particularem per hunc influxum et concursum Dei generalem *in ea conditione constitui*, ( idoneam effici ), *ut propriam innatamque virtutem exercere possit. Hoc autem est, ut diximus, applicare causam ad agendum.*

Jam enim se habet concursus divinus simultaneus *ut quasi conditio positiva*, qua praesente secunda causa plenissime idonea est *ad propriam virtutem exerendam,* seu quod re idem est, ad effectum suum specificum in rerum natura producendum. Quid autem hoc est, nisi concursu applicari causam secundam ad agendum ?

Sed *eodem divino influxu atque motu concurrente causa secunda, quoniam jam pertingere potest ad eum effectum, quem sibi relicta atque solitaria producere nequaquam potuisset, rationem etiam instrumenti relate ad Deum et ad id, quod Deo in omni effectu ut proprium vindicatur, consequitur.* Quemadmodum enim supra exposuimus, ad rationem instrumenti communi et lato sensu, omnino sufficit ( atque ita ipse S. Thomas in corp. art. rationem instrumenti explicabat ), ut aliqua causa, quae propria quadam vi ac virtute jam instructa et informata est, non possit ad proprium effectum pertingere, nisi adjuvetur a superiore aliqua causa, quae tamen eodem influxu simul aliquid in effectu producat, quod innatam virtutem causae, quae instrumentalis dicitur, quomodocunque tandem excedat. Haec autem omnia hic evidenter locum habent. Nam secunda causa, quatenus ei cooperatur prima et suprema causa omnis esse, et propriam virtutem exerere demum potest, et pertingere in concreto ad eum effectum, qui in omni re ei causae respondet, quae est totius esse principium, etiam immediatum. Hac igitur ratione intelligendum putamus

id, quod S. Thomas hic de tertio et quarto genere operationis divinae in omni operatione causarum secundarum affirmat : causas secundas se habere in omni operatione ut divino motu applicatas et eodem motu ut Dei ( quasi ) instrumenta.

Superest, ut ad dubitationes supra allatas respondeamus. Atque cur opus non sit duplici realiter influxu Dei ob id, quod unus respiciat expeditam omni modo agendi facultatem creaturae, alter actionem ejus etc., id jam satis patet. — Quod vero ad priorem difficultatem attinet, dicendum, argumentum allatum a S. Thoma non plenam et per se perfectam probationem constituere, sed manuductionem quandam esse ad intelligendum id, quod initio paragraphi dixerat : « Sed, quia nulla res per seipsam movet vel agit, nisi sit movens non motum ( seu Deus ) ; tertio modo » etc. Ostendit enim, incipiens ab infima natura, pauciora semper adminicula externa in diversis causis requiri, auxilium autem externum *omnino* « non cessare quousque perveniatur ad Deum », qui est solus movens non motus i. e. ipse solus est et natura et actione sua ab omni alio ente simpliciter independens, sibique prorsus omnique modo ad omnia sufficiens ; cetera autem, etiam perfectissima, indigent saltem auxilio Dei.

Si quis vero contra superiorem nostram expositionem objiciat, repugnare, eandem realitatem, quae a secunda causa effective procedat, *considerari posse* vero aliquo modo ut rationem formaliter applicantem secundam causam ad agendum virtutemque propriam exerendam ; id negabimus. Sit mea causa contradictio, si hoc contendatur, id, quod procedit a secunda causa, *considerari recte posse* ut rationem formaliter causam secundam ad agendum applicantem *praecise eatenus, quatenus id ab ea ipsa procedit ;* si vero hoc eatenus dicimus, quatenus ea realitas procedat a prima causa, nequaquam contradictio habetur. Quemadmodum enim nulla contradictio est, quando affirmamus, eandem realitatem ( actionem ) quatenus a prima causa procedit, *suo modo* fulcrum esse atque sustentaculum sui ipsius seu ejusdem actionis quatenus a secunda causa proficiscitur, ita neque ulla contradictio invenitur in hac assertione, eandem realitatem quatenus sit a prima causa, rationem habere suo modo conditionis applicantis secundam causam ad agendum. Quod enim est suo modo *fulciens actionem causae secundae eamque sustentans in esse*, id relate ad *causam ipsam* secundam conditionis applicantis rationem sortitur (1) ; reddit enim exertionem propriarum virium seu actionem causae secundae plenissime possibilem sine tamen ullo virium ipsius interno incremento. De assertione principali sexta haec sufficiunt.

*Principalis assertio septima R. Patris Dummermuth est haec* (2) : « Deus

(1) Cfr ea, quae supra de concursu divino cum operatione creaturae diximus, quomodo ille hujus sit quasi sustentaculum atque fulcrum.

(2) p. 41.

operatur in omnibus causis secundis etiam liberis ». Conceditur.

*Octava haec est :* « S. Thomas loquitur de operatione, qua Deus operatur in causis secundis ipsis tanquam in subjecto ». Hoc verum esse censemus eatenus, quatenus S. Thomas videtur aliquando saltem in opinione fuisse, omnem prorsus actionem entis creati esse aliquo tandem modo primo aliquid entitativum et physicum in ipso agente. Vide supra disputata. Aliter id negatur.

*Nona :* « Motio de qua loquitur S. Thomas est praevia motio seu praemotio ». Hoc negamus, etsi nondum omnis praemotio praedeterminatio simpliciter, dici potest. Nam argumentis R. Patris hoc non evincitur. Primo afferuntur verba articuli : « Quia nulla res seipsam | i. e. se sola | movet vel agit, nisi sit movens non motum ; tertio modo dicitur res esse causa actionis alterius, inquantum eam movet ad agendum ; in quo non intelligitur collatio virium aut conservatio virtutis activae, sed applicatio virtutis ad actionem, sicut homo est causa incisionis cultelli, ex hoc quod applicat | i. e. in conditione proxima ponit | acumen | vim propriam | cultelli ad incidendum movendo ipsum », et haec quae sequuntur ». Pergit R. Pater : « applicare virtutem ad agendum, *movere virtutem ut operetur*, haec quomodo intelligi valent sine prioritate in motione illa » ?

Respondetur 1° : Prioritas multiplex concursui divino in movendo seu agendo conceditur : ut originis, rationis, superioritatis, independentiae et excellentiae prioritas, non naturae et causalitatis. — Respondetur 2° non dixisse S. Thomam nec hic nec 1, q. 105, a. 5 nec l. 3 C^a Gent. c. 70 nec 1. 2, q. 109, a. 1, qui loci in materia subjecta maxime classici sunt, nec alias quantum recordor : Deum movere virtutem creatam *ut* operetur, quoties de uno essentiali et universali influxu Dei in omnes operationes causarum secundarum agitur, sed movere Deum et applicare causam secundam *ad* agendum. Haec porro duo de se non significant prorsus idem. Etenim *applicare aliquam causam ad agendum formaliter et de se nec actionem realem* ut sic hujus causae *proxime jam attingit* nec quidquam indicat, quo causa ipsa ad vires proprias exerendas *aliquo modo propellatur*, sed unum hoc de se significat et immediate, motu applicante causam efficientem *omnino et perfecte constitui in tali conditione, ut vires suas possit exerere*. Contra quando virtus vel causa dicitur moveri, *ut* operetur, *solum* τὸ *posse* perfecte elicere actum per se *non respicitur*, sed ipsa *realis actus positio immediate attingitur scl. intenditur ;* nec mera conditio ad vires exerendas aliquo modo conferens et juvans indicatur, sed indicatur aliquid, quod causam ad vires exerendas aliquo tandem modo propellat. Si ergo hoc reapse dixisset S. Doctor, sane aliquid dixisset, quod R. Patris assertioni quomodocunque tandem faveret (1). At ipsum hoc non dixit, sed prius tantum. Num

(1) Nolumus tamen contendere, hunc quem indicavimus sensum absolute necessario in ea sententia contineri, sed eum maxime naturalem, maxime obvium ac verissimum esse.

ne illud prius quidem dici potest sine prioritate vere reali et causali in motione illa, ut R. P. contendit? Id judicet lector ex iis, quae supra disputavimus.

Dico : sine prioritate vere reali et causali, quod de prioritate, quae *proprie* dicitur causalitatis, intelligo, si tamen motio illa, ut oportet, terminative in creatura spectatur. Siquidem id, quod *re* idem est, etsi modo consideratur prouti procedit a causa essentialiter superiore et in agendo independenti, modo vero prouti procedit a causa inferiore et dependenti, tamen non potest sibi ipsum vere et proprie esse causa. Causa enim omnis debet esse aliquid *re* ab effectu distinctum. Potest vero *considerari*, atque revera est inter illa duo quaedam eaque multiplex prioritas : *prioritas influxus* ut ita dicam *nobilioris et interioris, prioritas eminentiae et superioritatis atque in agendo independentiae :* quatenus scilicet prima causa attingit effectum secundae causae et sub prima et universalissima ratione entis atque adeo quasi interius, subtilius, altius, et quatenus tandem efficientia omnis secundae causae essentialiter quidem pendet a simultanea primae causae efficientia, nequaquam vero e converso (1).

At oppones cum R. P., S. Thomam generale quoddam non semel enuntiare principium, secundum quod prius oporteat praecedere motionem moventis, ut subsequatur deinde motus mobilis. Ait enim l. 3 cont. Gent. c. 149, n. 1: « Motio moventis *praecedit* motum mobilis *ratione et causa* » ; et 1. 2, q. 113, a. 8 in corp. : « In quolibet motu naturaliter primum est motio ipsius moventis; secundum autem est motus ipsius mobilis ». Ex quibus testimoniis prius saltem ita comparatum est, ut inter actuationem secundae causae, quatenus ipsa dicit operationem vel influxum a Deo proficiscentem, et actuationem ejusdem causae, quatenus ab ipsa secunda causa procedit, ratio verae causae verique effectus intercedat. Atqui hoc ipsum est illud, quod recentiores Thomistae contendunt.

Prius ad hanc minorem quaedam adnotemus. Quam si intelligas sic, quasi unum hoc recentiores Thomistae contendant, negatur minor; sin ita, ut hoc etiam Thomistae recentiores contendant, conceditur minor. Nam interdum Thomistae recentiores utique hoc contendunt: in omni operatione causae secundae qui praevie exercetur Dei influxus in causam secundam ut sic, *eum se habere ex parte actus primi proximi pertinereque ad plenam causae secundae constitutionem* ad agendem. *Interdum vero* — minus utique suis principiis consentanei — *huic assertioni contradicunt* (2). —

(1) Cfr Suar. de Concursu l. 1, c. 4, n. 8 ; ibid. c. 11, n. 4 ; et de Grat. l. 3, c. 40, n. 9 sq. et locus mox afferendus ex Comment. Ferrariensis ad l. 3 C^a^ Gent. c. 149.

(2) Esset hic locus ostendendi, quantum Thomistae varient saltem modum loquendi. Etenim modo, idque verius praedeterminationes physicas volunt pertinere ad actum primum proximum creatae causae adeoque integrans momentum ipsius causae ut sic esse ; alias volunt, eas confundi atque aliquo modo identificari cum ipso actu secundo, ne fateri scilicet cogantur, libera agentia, quæ careant physica praedeterminatione ad determinatum actum, ne esse quidem in actu primo proximo ad eum eliciendum constituta ; unde inter alia sequeretur, si carerent aliquo actu praecepto, ita hoc illa carere, ut ne potuissent quidem eum ponere. Neque ex hac difficultate exitus ullus est. Nam si hoc op-

Quando itaque priore modo loquuntur, consentiunt minori eo plane sensu, qui in majore indicatus est, ut inter praemotionem divinam causae secundae hujusque operationem verae causae verique effectus ratio obtineat. At quoniam huic sententiae gravissimae difficultates obstant, juniores plerique Thomistae huic sententiae fere adversantur, voluntque non se habere praemotionem ac praedeterminationem physicam ex parte actus primi et causae, sed ex parte actus secundi causae creatae et effectus. His igitur etiam explicandum axioma S. Thomae est alia ratione atque in majore factum et indicatum est. — Omnes autem sine exceptione recentiores Thomistae una aliqua *efficientis* causae ratione in eo influxu, quem Deus in omni operatione causae secundae exercere debet, contenti non sunt, sed ut is influxus causam secundam ejusque operationem vere *praedeterminet* exigunt. Id vero, etsi vel maxime presseris verba S. Thomae, ex laudato loco contra Gentiles deprompta, in eo testimonio S. Thomas non dicit.

At jam hoc ipsum quaeramus, quod longe gravius est et ad majorem propositionem pertinet, num ea verba merito de aliqua physica praemotione intelligenda sint; num recte statuatur, entitativam quandam differentiam et distinctionem inter motionem moventis terminative spectatam et ipsum motum mobilis necessario semperque obtinere?

Atque principio quidem, si consulimus rationem naturalem, ex cujus certe penu haec sententia D. Thomae prolata et deprompta est, quis non videt, in causis mere omnique modo passivis plane absurde statui, *motionem agentis* terminative spectatam (ut sane hic eam spectari necesse est), entitative et per modum *verae causae* distingui oportere ab ea perfectione, quae in eam causam materialem (subjectum) inducitur vel ex ea educitur? Est porro haec perfectio in casu ipse motus mobilis. Ergo si stricte omnino loquimur, non semper verum est, motionem moventis praecedere motum mobilis sub ratione verae et justae causae. Eadem enim realitas, aut id quod cum ea realitate tandem confunditur et identificatur, ipsa sibi vera causa esse nullo pacto potest. Jam hoc animadverte, iis locis, ex quibus

ponas, carere haec agentia praedeterminatione physica ad praescriptum actum culpa sua, id in systemate Thomistarum praeter rem asseritur. Quid ita? Quoniam ea culpa esset necessaria ac revera nulla. Nam ea culpa aut consistit in hac re, quod boni aliquid praevie exercere neglexerunt, aut quod aliquid mali egerunt. Si egerunt malum: a Deo praedeterminata egerunt, in cujus unius potestate sunt praedeterminationes physicae. Si non egerunt bonum, agere id non potuerunt; carebant enim necessaria praedeterminatione ad bonum actum eliciendum, quam si habuissent, profecto illum actum posuissent. Culpa ergo omnis, si tamen culpa dicenda est, in Deum transfunditur, qui aut non praedeterminavit hominem ad bonum, ubi homo bonum agere debebat, aut ad aliquid perversum praedeterminavit, ob quod, quia id homo egit, physice et ineluctabiliter determinatus a Deo, jam indignus habetur, qui nunc necessariam praedeterminationem ad debitum actum recipiat. Vides, in quem tandem recentior Thomismus asseclas deducat Labyrinthum, et qua ipse constantia utatur sententiarum. Ceterum, si praedeterminationem physicam ad actum secundum revocant, profecto eadem consequentia tali declinatione non efficaciter evitatur. Hoc constat; siquidem etiam in hac hypothesi dici debet, etsi positus sit totus actus primus proximus, tamen ut homo omnino aliquid agat, requiri aliquid ex parte Dei, quod ut habeat, in hominis potestate nullatenus sit constitutum. Vide supra in sect. 2ª dicta. Vide etiam Limbourg, Zeitschrift für Kathol. Theol. Iahrgang 1877, pag. 190 sqq. (cfr pag. 165), quique ibi plurimi ex scriptoribus Thomisticis afferuntur loci.

haec S. Thomae verba hausta sunt, licet causas in rerum natura vere et proprie activas (agentes) pro objectis considerationis habeant, animos humanos, tamen hos considerare, non quatenus hujusmodi causae, ex natura sua activae sunt, sed sub alio respectu, scl. quatenus in ordine ad ea, quae supra ipsos sita sunt, materialiter atque quasi passive se habent. Audiamus ipsum Aquinatem. Vult ostendere, auxilium gratiae non posse, utpote quod supernaturalis ordinis sit, ex merito hominis provenire. Hoc ut ostendat, ait: « Ex praedictis autem manifestum est, quod auxilium divinum homo [ propriis viribus] promereri non potest. Quaelibet enim res ad id, quod supra ipsam est, *materialiter se habet: materia autem non movet seipsam ad suam perfectionem,* sed oportet quod ab alio moveatur. Homo igitur non movet seipsum ad hoc, quod adipiscatur divinum auxilium, quod supra ipsum est, sed potius ad hoc adipiscendum a Deo movetur; *motio autem moventis praecedit motum mobilis ratione et causa.* Non igitur propter hoc datur nobis divinum auxilium, quia nos ad illud per bona opera promovemur, sed potius nos ideo per bona opera proficimus, quia divino auxilio praevenimur ». — Discursus 1. 2, q. 113, a. 8 huic plane similis est. Evidens est, verum esse id, quod diximus, hic animos hominum non considerari secundum hoc, quod naturaliter principia in sua sphaera activa sunt, sed secundum quod se habent de se et antecedenter ad influxum supernaturalem Dei in ordine ad actus supernaturales eliciendos ut passiva et materialia principia. In his autem praecise principiis axioma illud a S. Thoma prolatum: « motio moventis praecedit motum mobilis ratione et causa », non semper plenam perfectamque sed tantum analogam quandam habet veritatem.

*Et ita plane hoc axioma ll. interpretatus est Ferrariensis.* « Circa hoc dictum advertendum, inquit, quod *motio moventis dupliciter potest intelligi praecedere motum mobilis ratione. Uno modo sicut id dicitur esse alio prius ratione, quod in ejus diffinitionem cadit:* et sic juxta diffinitionem motus positam in tertio Physicorum constat, quod *movere non est prius ratione quam moveri.* Sed *posset hoc modo dici prius ratione,* si acciperetur diffinitio motus *complectens omnes ejus causas:* diceretur enim quod motus est actus existentis in potentia, *in quantum hujusmodi a movente causatur in mobili. — Alio modo* sicut quod *prius cadit in intellectu de uno in aliud procedente,* dicitur prius ratione. Et hoc modo moventis motio est prius motu mobilis. Prius enim intelligimus motum ab agente et movente procedere quam recipiatur in mobili. — *Dicitur etiam praecedere causa i. e. causalitate, non quia sit vera causa effectiva motus mobilis* quia, *cum eadem res sit motio moventis et motus mobilis* quantum ad id, quod in recto dicunt, unum non potest esse alterius causa effectiva realiter, *sed eo modo quo id, quod alteri secundum modum considerandi praesupponitur, ut sic dicitur prius causalitate.* — Potest etiam dici, *quod intelligitur* hoc de motione et moto *quantum ad habitudines,* quibus formaliter inter se distinguuntur non quidem sic quod una sit alterius causa, sed quia *una est conditio agentis alia vero conditio* patientis; causa autem agens est prior causa

patiente et materiali ». Quid jam desiderabitur contra recentiorum Thomistarum interpretationem distinctius, quid disertius (1)? Vides etiam Thomisticae scholae principes plane nobis consentire, seu potius, veteres Societatis Jesu Theologos non novam, ut constanter ipsis a Neo-Thomistis oggeritur, doctrinam procudisse, sed vestigiis priorum Doctorum fideliter insistentes, quae illi tradiderant, latius explicasse ac perpolivisse. Quare non immerito ipse jam Molina suspicatus illud est, se a D. Thomae doctrina nihil suis placitis recedere, quamvis ingenue fateatur, sibi modum loquendi D. Doctoris valde obscurum esse, nec se satis assequi cogitando posse, quid sibi hae D. Thomae applicationes et motiones velint (2). Sciebat enim hoc, Cajetanum, qui maxime D. Thomam sequitur, eandem atque ipse tradidit, doctrinam professum esse. Quare simile aliquid Molinae accidit atque illud est, quod in re longe profecto graviore nobis omnique catholico homini accidere potest: scilicet non suspicamur, sed omnino certi sumus, nos sequi Christi sententiam et doctrinam, quoties Patrum traditionem unanimem amplectimur, etsi forte minus interdum mente perspicimus, quomodo aliqua, quae Patres consentientes in re christiana tradiderunt, cum quibusdam Christi verbis conveniant. Ait igitur Molina (q. 14, a. 13 disp. 26. § « Dicendum ») : « Quidquid autem sit de loco illo paulo ante citato (1. q. 105, a. 5.), forte neque Divus Thomas a nobis dissentit. Cajetanus namque, qui modum loquendi Divi Thomae servat, ita ad hunc decimum tertium articulum suam ac Divi Thomae sententiam interpretatur, ut prorsus nobiscum consentiat, ut disputatione trigesima quarta (debuit scribi 35) videbimus ».

Alterum R. Patris pro nona sua assertione argumentum p. 44 ex eo petitur, quod S. Thomas causae secundae instrumenti rationem in articulo attribuit. « Jam vero ea est *propria* instrumenti notio, inquit, quod non operetur, nisi prius prioritate naturae a causa principali moveatur ». — Sed ad hoc respondetur distinguendo : attribuit S. Doctor causae secundae *propriam omnino* instrumenti naturam, negatur ; minus propriam atque perfectam et secundum quandam analogiam, id conceditur. Quare jam nihil sequitur. — Ceterum ipsa definitio instrumenti propria in minore allata, de instrumentis quidem artis vera est ; non est vera simpliciter atque universaliter de ratione omnis instrumenti ut sic, quamvis proprie loquaris. Quemadmodum ex superiore disputatione liquet.

Ultimum argumentum colligitur ex celebri illa responsione ad septimum, de qua fuse supra egimus. Dixerat enim D. Thomas, illa intentione in re naturali divinitus facta actualiter rem naturalem agere. « Ex quo patet, inquit R. Pater, motionem divinam se habere per modum *principii quo* secunda causa operatur, perficientis ipsam ad actualiter agendum, ac in

(1) His plane consentanea tradit Cajetanus 1. 2, q. 109, a. 1 et 1, q. 13, a 8, ubi haec : « *Attingit enim prima causa effectum secundae causae independentius et intimius quam secunda. Et propterea respicere dicitur prius effectum* ». Cfr Limbourg, Zeitschrift für Kathol. Theol. 1880 p. 266 sqq.

(2) Cfr Molina, Concord. Q. 14, a. 13 disp. 26 § « Divus Thomas » in fine ; disp. 27 § « Adde ».

ipsa a Deo causati ». — Respondetur: negatur hoc consequens ob ea, quae superius exposuimus. Prorsus enim falsum est, *id quo res actualiter agit esse principium actionis quo,* sed *est ipsa actio qua* agit res naturalis, seu est ipse actualis influxus causae secundae in effectum.

Pervenimus usque ad *decimam assertionem* R. Patris (pag. 45). Est autem haec: « *Motio praevia, quam defendit S. Thomas est praemotio physica* ». — Uno verbo assertum dissolvitur: negatur suppositum, S. Thomam omnino praeviam motionem in articulo docuisse. Cum porro assertio tota praecedenti innitatur, nec novum momentum ad eam probandam a R. Patre afferatur, transimus statim ad undecimam assertionem.

*Assertio undecima:* « *Praemotio physica, quam Angelicus propugnat, omnia agentia determinat, unumquodque juxta modum suum, necessaria necessario, libera libere* ». — « Propositio haec apertissime colligitur ex responsione ad 13[m]. Nihil non moliuntur Thomistarum adversarii, ut hujus responsionis litteram claram obscurent et doctrinam evidentem S. Thomae negent ». Ita R. P. Dummermuth.

Unum faciam: adscribam illam responsionem ad 13[m]. Quicunque enim ea, quae superius exposita et disputata sunt, legit, quam nihil roboris pro causa Thomistarum in hac responsione contineatur, continuo percipiet.

« Ad decimumtertium dicendum, quod voluntas dicitur habere dominium sui actus non per exclusionem primae causae, sed quia *prima causa non ita agit in voluntate* [quoties scl. elicitur voluntatis liber actus], *ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam;* et *ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis et voluntatis* ». Ostendimus primo, in sententia Theologorum Societatis Jesu *non* excludi a liberis determinationibus creaturarum influxum activum et intimum Dei. Ostendimus praeterea, si Deus humanam voluntatem antecedenter ad ejus liberam determinationem, ipse solus per se, simpliciter et in particulari determinet, conclamatum esse de libertate arbitrii in agendo. Et re quidem vera non aliud significat ad unum simpliciter et in particulari agendum determinari a Deo, atque hoc: ab ipso determinari ad unum agendum ex necessitate, sed duo haec prorsus idem significant; differentia una haec est, quod in posteriore expressione effertur distincte et explicite momentum, quod in priore latet, scl. momentum necessitatis; quo quidem dicendi genere nihil est in omni sermone frequentius. Unde si in actionibus nostris omnibus ad unum particulare antecedenter determinaremur a Deo, jam non amplius determinatio actus relinqueretur in potestate rationis et libertatis? (1)

(1) Operae pretium est videre, quomodo R. Pater grave hoc contra Thomistas testimonium alias expedire nititur. Vult ostendere p. 134 sq in nota, nihil testimoniis, quae Bellarminus ex operibus S. Thomae contra recentiores Thomistas excitaverit, contra hos effici. Attulerat quinto loco Bellarminus hoc responsum ad 13. R. Pater ad elevandam hujus testimonii vim haec addit: « Cum S. Thoma docent Thomistae omnes, Deum non determinare voluntatem ad unum de necessitate, sed per modum liberi. Nec hoc repugnat: *Nam si potest ipsa voluntas se determinare per modum liberi, cur non potest etiam Deus eam determinare per modum liberi?* « Sicut voluntas, inquit S. Thomas, potest immutare actum suum in aliud, ita et multo amplius Deus ». Respondemus ad hoc: Per modum liberi se

Praeter hunc textum ad 13 R. Pater laudat locum ex 1. 2, q. 10, a. 4 ad 1. At hic item non pro ipso est, sed contra ipsum. « Magis repugnaret, inquit S. Thomas, divinae motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suae naturae non competit, quam si moveretur libere, prout competit suae naturae ». Sane hujusmodi doctrina effici non potest id, quod R. P. Dummermuth putat posse inde concludi : Deum posse liberas naturas physice movendo praedeterminare ad unum particulare agendum ita, ut liberae maneant ; sed sequitur hoc, motionem divinam debere ita accommodari, ut libertas i. e. indifferentia activa liberi agentis et ejus dominium actus integra perseverent. Hoc quidem concursu Dei indifferenti et simultaneo locum habet, non item asserta praedeterminatione physica Thomistarum.

Alterum pro undecima assertione argumentum arbitratur R. Pater (1) hauriri posse ex corpore articuli. « Doctrina, inquit R. Pater, ibi [ in corpore articuli ] tradita subsistere nequit, si determinatio causarum secundarum ad actum a Deo subtrahatur. Et inprimis, quis intelligere valet, quod Deus moveat et applicet causas secundas ad actum, et simul non determinet ad illum actum ad quem movet ; et non eodem modo eas determinet, quo movet ? « Nulla, inquit R. P. Schneemann p. 56., esse potest motio nisi ad aliquid, atque etiam unum aliquid ; ita omnis motio est aliqua determinatio ». « Hoc et Thomistae asserunt, pergit P. Dummermuth, et talem dicunt esse determinationem, qualis est ipsa motio. Si terminus *ad quem* hujus motionis est bonum universale, motio erit determinatio ad bonum universale ; si vero terminus est bonum particulare, motio erit determinatio ad bonum particulare. Si causa prima movet secundam necessario ad unum, de necessitate etiam ad unum determinat, si prima causa movet secundam per modum liberi, tunc eam non de necessitate determinat, sed libere. Si physice movet causa prima, physice determinat ; si movet moraliter, determinat moraliter. Et quia motio recte dicitur praemotio, natura (2) enim et causalitate praecedit motum mobilis, ipsa etiam recte vocabitur praedeterminatio. Quia ergo juxta S. Thomam, Deus omnes causas secundas etiam liberas physice ad agendum praemovet, necesse est dicere, Deum etiam causas secundas ad agendum physice praedeterminare ».

Hoc est alterum argumentum R. Patris Dummermuth pro undecima

determinare est seipsum determinare nec ab alio determinari. Vide superius disputata. Quomodo igitur per modum liberi se adhuc determinat voluntas, si determinationem, quatenus formaliter talis est, ipsa se passive habens ab alio scl. a Deo impressam recipit? Haec profecto sunt manifesto pugnantia. De reliquo immutari a Deo posse voluntatem in aliud, et eo modo, ut tollatur libertas, et eo modo ut maneat, nemo Molinista negat, quemadmodum satis est demonstratum. At aliter Deus debet influere et immutare, quando servatam vult libertatem, aliter, quando voluntatem immutat non servata libertate. In priore conditione non debet ipse voluntatem perfecte immutare et formaliter determinare vel praedeterminare ad unum in particulari, sed ita debet influere, etsi cum certissimo effectu id facit, ut determinatio apud voluntatem remaneat. Ceterum de his postea agetur uberius.

(1) p. 47.

(2) Attende, quomodo R. Pater testimonium S. Doctoris non exacte satis referat. S. Thomas dixit : « *ratione* et causa», ipse : «*natura* et causalitate». At numquid natura praecedere idem est atque ratione praecedere ? Toto coelo distat. Cfr explicatio Ferrariensis ad locum paulo ante allata.

assertione. Respondemus: omnis motus, etiam qui simpliciter aliunde alicui causae advenit, *postquam receptus est* in illa causa, est sine dubio *quaedam* illius causae formalis et passiva determinatio. *Neque* tamen ipse ideo necessario est *determinatio illius causae ad agendum* seu ad exerendam virtutem energiamque propriam ne inchoative quidem, atque multo minus omnis motus receptus in causa est ejusmodi causae determinatio, quae causam *per se perfecte et simpliciter ad agendum determinet*. Hoc ultimum a nullo homine catholico negari potest. Etenim dogma catholicum est, gratias quasdam internas esse vere quidem hominem ad bonum excitantes, neque tamen efficaces sensu specifico. Hae autem gratiae certe in homine receptae sunt, nihilominus efficaces non sunt. Prior assertio nostra per se patet.

Ergo etsi illud R. Patri daremus, motiones et applicationes, de quibus S. Doctor in articulo loquitur, esse motiones et applicationes ab uno Deo atque ita simpliciter aliunde causae secundae advenientes easque recipi simpliciter ut tales in causas secundas ; inde nequaquam merito inferretur : ergo determinant eae motiones et applicationes causas secundas ad agendum perfecte et simpliciter, quod tamen Thomistae maxime volunt.

At illae motiones et applicationes, etsi applicationes vocantur, prouti sunt quidam effectus causae primae ; tamen realiter sunt ipsi motus actionesque secundarum causarum, quatenus hi ipsi motus, *considerati ut provenientes a prima causa*, sine cujus influxu physico et immediato nulla realitas nova produci potest, suo modo constituunt causas creatas perfecte et formaliter in ea conditione, ut proprias vires omnino exerere atque aliquid in rerum natura actualiter producere possint. Hoc supra explicavimus. Itaque hae motiones applicationesque indolem habent toto coelo diversam a praedeterminationibus physicis Thomistarum. Neque enim causas secundas determinant ad agendum ; sed quamquam essentialiter et intime influunt in omnes actiones effectusque secundarum causarum, non ab ipsis, sed ab his causis dependet, *quaenam in specie et particulari actiones processurae sint ;* non quod omnibus causis secundis dominium suorum actuum atque libertatem vindicemus, quod contendere absurdum esset, sed quia aut natura ipsa secundi agentis determinatum est, quaenam in specie actio ex eo positis debitis conditionibus necessario processura sit, aut quando de liberis agentibus agitur, quia virtus innata talis agentis et quae est ejus activa indifferentia dominiumque actus, unam actionem determinatam prae alia eligit ; seque ipsa ad hanc potius in specie actionem quam ad aliam, ad agendum potius quam ad non agendum, concurrente Deo, determinat.

At R. P. Schneemann ipse concessit, omnem motionem esse ad aliquid motionem atque etiam ad unum aliquid ; atque sic omnem motionem esse determinationem. Respondetur : eo sensu, quo P. Schneemann vocem determinationis usurpavit, scl. *latius,* ut ipse loco laudato planissime delaravit, id aliquo modo dici potest, presse vero et stricte si vox accipi-

tur, id dici non potest. Quid ergo est illud, quod R. P. Schneemann concessit ? Unum hoc : omnem actionem esse determinatam i. e. tendere in determinatum objectum vel terminum, quod est verissimum ; non concessit, omnem motionem esse *indeclinabilem et insuperabilem quendam impulsum* in ipsam causam ante actionem receptum, qui ad unam certamque actionem eliciendam causam *adstringat*, quemadmodum Thomistae id volunt. Si porro prius illud vocare placet determinationem, non multum quidem repugnamus ; putamus tamen in controversia, quam agimus, convenientius esse, ut ab ea expressione abstineatur. Ansam enim praebet adversariis ad opinandum, concessionem quandam a nobis factam esse, quam reapse nunquam fecimus. Haec de secundo argumento.

Confirmationes quasdam adjungit R. P. Dummermuth. Ad eas jam facile respondetur. « Affirmat S. Doctor, inquit P. Dummermuth, Deum sua motione causam esse cujuslibet actionis causae secundae. Quomodo hoc esse potest, si determinatio causae secundae id est actio, qua se determinat, a Deo non sit » ?

Respondetur : negatur suppositum ; actio enim, qua se determinat causa secunda, est sane a Deo ; sub formali vero ratione determinationis est a sola creatura libera, quoties quidem haec vere libere agit.

Pergit R. Pater : « Asserit etiam (S. Doctor), quod quidquid perfectionis est in effectu, principaliter reducitur in primam causam ». « Movet, inquit R. P., Deus ad omnem perfectionem, entitatem et formalitatem in actu contentam. Qua ratione possunt haec verificari, si causalitas divina ad determinationem causae secundae non se extendat » (1) ?

Respondetur : Non est dubium, quin divina causalitas se extendat ad eam actionem et eum actum, quo libera creatura ipsa se determinat i. e. ad determinationem materialiter sumptam. Neque tamen hoc excludit, imo includit, ut formalis determinatio ad actum, qua praecise talis est, ad solam liberam creaturam pertineat. Quod vero R. P. dicit, Deum movere ad *omnem* etiam « formalitatem » in actu contentam, hoc falsum est, habetque manifestam instantiam in actu peccaminoso. Secundum enim S. Doctorem Deus hujus actionis auctor est, ut ens est et actio, neque tamen ejus auctor est sub formali ratione peccati. Cujus ratio potissima haec est, quoniam Deus generatim non est auctor determinationis liberae, quatenus praecise et simpliciter determinatio est ad unum prae alio ; est vero ejus auctor ut ens est et actio. Recole alibi dicta.

« Ultimo, inquit R. P. p. 48, praemotionem, quam Angelicus defendit, praedeterminationem esse, vident et ipsi scholae Thomisticae adversarii ; non enim alia de causa ipsam praemotionem ad actus liberi arbitrii rejiciunt. « Adde, inquit Molina, praemotiones istas et applicationes causarum secundarum ad suas operationes multum praejudicare libertati arbitrii nostri » (2).

(1) p. 48.
(2) Molina Conc. disp. 27 § « Adde » p. 160.

Negatur imprimis suppositum, quasi S. Thomas in hoc articulo 7, vel alias praemotiones Thomistarum docuerit. Respondetur deinde et secundo loco : etsi cum Molina fatemur, « multum praejudicari libertati arbitrii nostri » Thomisticis istis praemotionibus et applicationibus ad agendum (1), nequaquam tamen verum est hoc praejudicium libertatis *unicam* causam esse vel rationem, cur istas praemotiones et applicationes rejiciamus. Rejicimus eas non propter solas sequelas, sed etiam aliis de causis, propter principia v. g., quibus doctrina Thomistarum stabilitur. Etenim sentimus, causas secundas *in suo ordine esse vere adaequatas* et principales suorum effectuum causas ; opem autem divinam generalem non ob aliam rationem iis necessariam esse ad agendum nisi ob essentialem dependentiam, qua omne aliud ens et actio a primo ente et primo actu dependet. Hoc vero, sicut omnium rerum moderatio, quae item primae causae tribuenda est, sufficienter habetur Dei concursu simultaneo. Ergo nihil amplius fuit asserendum.

Quam denique *loco duodecimo p. 49* addidit explicationem motionis divinae ex sententia Thomistica, in quo proprie consistat, omittimus. Ducitur enim opinione, intentionem, de qua hic ad 7, Thomisticam esse praedeterminationem. Hoc falsum esse vidimus.

Constat igitur, ex hoc articulo 7 qst. 3 « de Potentia » nihil allatum esse, quod praemotionibus et praeterminationibus Thomistarum ullo modo faveat ; plura in eo contineri momenta, quae cum ipsis manifesto pugnent, adamussim vero consentiant cum doctrina Ordinis nostri. Vide supra p. 245 squ.

---

## ART. III

### DOCTRINA AQUINATIS 1. Q. 105 A. 5. CONFERTUR CUM QUAEST. 3 DE POT. A. 7.

Alii loci Aquinatis, quibus pro doctrina sua maxime fidunt Thomistae, sunt 1, q. 105, a. 5, et cont. Gent. l. 3, c. 70. Sed de se nihil est nec in a. 5, q. 105 partis 1ae, nec in c. 70, l. 3 cont. Gent., cur his locis jam diutius inhaereamus. Nam omnia, quae difficilia videri possunt, supra late discussa atque explicata sunt. Quia tamen momentum quoddam effertur in illo articulo 5, quod in loco « de Potentia », quem supra discussimus, non fuit expresse positum, et quoniam praeterea singuli modi cooperandi Dei, qui laudantur in illo articulo, quomodo respondeant

(1) Molina ibid. q. 14, a. 13 disp. 30 § « Possumus ». Recolatur, Molinam fassum esse, se S. Thomam hic non intelligere. Et profecto Thomistice cum illas applicationes Molina acciperet, non potuit aliter de iis sentire atque reapse sentiebat.

modis cooperandi, qui celebrati sunt insigni illo loco « de Potentia », non primo statim aspectu apparet, ideo haec paucis indicare nostrae provinciae erit. Prius tamen ponam ipsum articulum. Quaerit S. Thomas II :

*Utrum Deus operetur in omni operante.*

« Ad quintum sic proceditur. 1. Videtur quod Deus non operetur in omni operante. Nulla enim insufficientia est Deo attribuenda. Si igitur Deus operatur in omni operante, sufficienter in quolibet operatur. Superfluum igitur esset quod agens creatum aliquid operaretur.

« 2. Praeterea, una operatio non est simul a duobus operantibus, sicut nec unus numero motus potest esse duorum mobilium. Si igitur operatio creaturae est a Deo in creatura operante, non potest esse simul a creatura ; et ita nulla creatura aliquid operatur.

« 3. Praeterea, faciens dicitur esse causa operationis facti, inquantum dat ei formam qua operatur. Si igitur Deus est causa operationis rerum factarum ab ipso, hoc erit inquantum dat eis virtutem operandi. Sed hoc est a principio, quando rem facit. Ergo videtur quod ulterius non operetur in creatura operante.

« Sed contra est quod dicitur (Is. 26, 12) : Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine.

« Respondeo dicendum quod Deum operari in quolibet operante aliqui sic intellexerunt, quod nulla virtus creata aliquid operaretur in rebus, sed solus Deus immediate omnia operaretur ; puta quod ignis non calefaceret, sed Deus in igne, et similiter de omnibus aliis. Hoc autem est impossibile. Primo quidem, quia sic subtraheretur ordo causae et causati a rebus creatis ; quod pertinet ad impotentiam creantis. Ex virtute enim agentis est quod suo effectui det virtutem agendi. Secundo, quia virtutes operativae quae in rebus inveniuntur frustra essent rebus attributae, si per eas nihil operarentur ; quinimo, omnes res creatae viderentur quodammodo esse frustra, si propria operatione destituerentur ; cum omnes res sint propter suam operationem. Semper enim imperfectum est propter perfectius. Sicut igitur materia est propter formam, ita forma, quae est actus primus, est propter suam operationem, quae est actus secundus ; et sic operatio est finis rei creatae. Sic igitur intelligendum est Deum operari in rebus, quod tamen ipsae res propriam habeant operationem. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod cum sint causarum quatuor genera, materia non est principium operationis, sed se habet ut subjectum recipiens actionis effectum ; *finis vero et agens et forma* se habent ut actionis principium ; sed ordine quodam. Nam primum quidem principium actionis est finis, qui movet agentem ; secundo vero agens ; tertio autem forma ejus quod ab agente applicatur ad agendum ; quamvis et ipsum agens per formam suam agat, ut patet in artificialibus. Artifex enim movetur ad agendum a fine,

qui est ipsum operatum, puta arca, vel lectus ; et applicat ad actionem securim, quae incidit per suum acumen. Sic igitur *secundum haec tria Deus in quolibet operante operatur.*

« *Primo* quidem *secundum rationem finis ;* cum enim omnis operatio sit propter aliquod bonum verum vel apparens ( nihil autem est vel apparet bonum, nisi secundum quod participat aliquam similitudinem summi boni, quod est Deus ), sequitur quod ipse Deus sit cujuslibet operationis causa ut finis. *Secundo* considerandum est, quod si sint multa agentia ordinata, semper *secundum agens agit in virtute primi agentis.* Nam primum agens movet secundum ad agendum ; et secundum hoc omnia agunt in virtute ipsius Dei ; et ita ipse est causa omnium actionum agentium. *Tertio* considerandum est, quod Deus movet non solum res ad operandum, *quasi applicando formas et virtutes rerum ad operationem* ( sicut etiam artifex applicat securim ad scindendum, qui tamen interdum formam securi non tribuit ), sed etiam *dat formas creaturis agentibus, et eas tenet in esse. Unde non solum est causa actionum, in quantum dat formam*, quae est principium actionis ( sicut generans dicitur esse causa motus gravium et levium ), *sed etiam sicut conservans formas et virtutes rerum ;* prout sol dicitur causa manifestationis colorum, in quantum dat et conservat lumen, quo manifestantur colores. Et *quia forma rei est intra rem, et tanto magis quanto consideratur ut prior et universalior ; et ipse Deus est proprie causa ipsius esse universalis in rebus omnibus, quod inter omnia est magis intimum rebus ; sequitur quod Deus in omnibus intime operetur.* Et propter hoc in sacra Scriptura operationes naturae Deo attribuuntur, quasi operanti in natura, secundum illud ( Job, 10, 11 ) : Pelle et carnibus vestisti me, ossibus et nervis compegisti me.

« Ad primum ergo dicendum, quod Deus sufficienter operatur in rebus ad modum primi agentis ; nec propter hoc superfluit operatio secundorum agentium.

« Ad secundum dicendum, quod una actio non procedit a duobus agentibus unius ordinis ; sed nihil prohibet, quin una et eadem actio procedat a primo et secundo agente.

« Ad tertium dicendum, quod Deus non solum dat formas rebus, sed etiam conservat eas in esse et applicat eas ad agendum, et est finis omnium actionum, ut dictum est in corpore articuli ». Hucusque articulus S. Thomae.

Prima, quae hic adhibetur a D. Thoma consideratio cooperationis Dei cum creatura II. « de Potentia » explicite posita non fuit ; fuit tamen in tertio modo cooperandi Dei cum creatura agente comprehensa. Etenim ut bonum quoddam atque finis agenti ad prosequendum propositus sit, id pertinet ex natura rerum ad perfectam causae agentis applicationem. Maxime id quidem in agentibus rationalibus necessarium esse apparet, sed etiam in ceteris verum est. Est porro omnis ratio boni, quaecunque tandem illa est, quaedam boni per essentiam sive Dei participatio ; quare merito asseritur

a S. Thoma, Deum omni causae creatae (suo modo) cooperari per modum causae finalis.

Secunda, quae hic adhibetur Dei cooperantis consideratio, respicit agens secundum, praecise quatenus est agens, seu quatenus adjutum a Deo virtutem propriam exerit. Convenit autem hic modus considerandi cum eo, qui est in loco « de Potentia » tertius, quemadmodum unicuique manifestum erit, qui textum cum textu contulerit.

Quoniam vero omne « agens per formam agit », consequitur ut secundus modus considerandi repetatur in tertio, ubi Deus consideratur ut cooperans creaturae ratione formae, quae in ipsa est et qua principium actionis proxime constituitur. Complectitur itaque haec tertia consideratio omnes modos, qui in loco « de Potentia » laudati sunt. 1° hic laudatur ille iterum modus, qui est in loco « de Pot. » tertius; 2° is, qui est ibi primus; 3io loco hic, qui ibi secundus est; 4° denique utroque loco idem modus cooperandi Dei cum creatura venit. Sic igitur modi cooperandi Dei in his duobus articulis enumerati sibi respondent.

Forte abs re non erit circa responsa ad secundum et tertium breviter aliquid adnotare. Confirmantur his enim responsis quaedam, quae supra ut menti D. Thomae conformia a nobis statuta sunt. Etenim emphatica plane locutio, qua ad secundum dicitur, nihil prohibere, quin *una et eadem actio* procedat a primo et secundo agente, satis indicare videtur, aeque immediate actionem a primo atque a secundo agente procedere; quod verum non esset, si a secundo agente immediate quidem procederet, a Deo vero tantum media praedeterminatione physica. Ergo haec abjicienda.

Responsio ad tertium breviter omnes modos, quibus Deus cooperatur causis secundis, repetit; attamen omissus videtur quartus cooperandi modus. Sed secundum ea, quae supra dicta sunt, recte id fieri potuit; quia ille quartus modus re nihil differt a tertio modo secundum ordinem enumerationis, qui est « de Potentia ». Est ergo idem modus cooperandi Dei uterque secundum rem; consideratur vero diversimode, modo ut eadem realitate Deus est adjuvans creaturam, ut proprias vires exerere actualiter possit, modo ut etiam ipse immediate per se causat effectum, simul cooperante creatura. Unde denuo patet, nos jure dixisse supra, tertium et quartum modum cooperandi Dei cum creatura operante essentialiter nihil inter se differre.

Circa doctrinam cap. 70 l. 3 cont. Gent. post ea, quae dicta sunt, nihil est addendum.

## § 2

## De iis locis, quos Thomistae secundo loco ponunt ad suam persuadendam sententiam.

### ART. I

AD ARTICULUM PRIMUM CAPITIS QUARTI R. PATRIS DUMMERMUTH. EXCUTITUR LOCUS EX 1, q. 83, a. 1 AD 2 ET 3 ET CAP. 129 COMPENDII THEOLOGIAE.

In libri sui primo capitis quarti articulo (p. 118 sqq) conglobantur a R. P. plura testimonia S. Thomae, quibus putat, S. Doctorem physicas praedeterminationes profiteri. Increscceret multum labor, non multum increscceret intelligentia doctrinae S. Thomae, si singula et omnia haec testimonia expendere vellemus. Seligemus igitur ex iis pauca aliqua, quae vel possunt legenti primo aspectu videri difficiliora, vel quae aliud quidpiam habent, quod notatu sit dignum.

Primum affertur testimonium ex 1ª Parte q. 83, a. 1 ad 2. Contra doctrinam, hominem liberi arbitrii esse, sibi objecerat S. Doctor: « Quicunque est liberi arbitrii ejus est velle et non velle, operari et non operari. Sed hoc non est hominis; dicitur enim ad Rom. 9, 16 : « Non est volentis », scilicet velle, « neque currentis » scilicet currere. Ergo homo non est liberi arbitrii ». — « Respondet, inquit R. Pater, « S. Doctor, quod verbum illud Apostoli non est intelligendum, quasi homo non velit, et non currat libero arbitrio, sed quia liberum arbitrium ad hoc non est sufficiens nisi moveatur a Deo ».

Notemus 1° textum S. Pauli valere per se de supernaturali ordine, trahi autem a S. Thoma hic ad actus etiam ordinis naturalis.

Notemus 2° textum responsi S. Thomae non plane integre a R. P. exhiberi. Ait enim S. Thomas : « quia liberum arbitrium ad hoc non est sufficiens nisi moveatur *et juvetur* a Deo ». Hoc autem si vel solam grammaticam phrasim respicias, significare *potest,* liberum arbitrium operari non posse nisi a Deo adjuvantem [ tantum, non praedeterminantem ] motum recipiat. Quod non est aliud quam affirmare liberum arbitrium indigere ad volendum et operandum omnino cooperatione et auxilio Dei. Quomodo autem et quo jure affirmatur, hanc cooperationem, hoc auxilium non posse locum habere nisi *praemotione et praedeterminatione physica ?*

Sed jam 3° consideremus responsum S. Thomae in ea forma, in qua R. P. illud exhibet. Supra effecimus, movere S. Doctori idem esse atque

causam a potentia in actum traducere. Quod fieri potest aut praemotione aut formali motione. Quo igitur jure dicemus, motionem, de qua hic S. Doctor, non esse actualem et formalem motionem et motum, sed significare causalem dumtaxat motum seu principium quoddam motus, quo causa a potentia in actum traducatur ? Quare si vel id ipsum dixisset S. Doctor, quod R. P. eum dicentem facit, nihil protulisset, quod Thomistarum causam juvaret. Praedeterminatio enim physica non est formalis motio et motus sed quoddam motus principium.

At potest cuipiam 4° videri praecise ob allatum testimonium S. Pauli, mentem fuisse S. Thomae, non tantum asseverare hoc : dependere liberum arbitrium in suis actibus a motu Dei simultaneo, actionem physice et intrinsecus adjuvante ; sed hoc insuper : antecedenter etiam liberum arbitrium a Dei motu praevio pendere, imprimis ut cum pleno vigore operetur.

Detur hoc. At numquid nulla antecedens et vere causalis actus et actionis arbitrii a Deo dependentia vel in mero ordine naturali cogitari potest, nisi ea, quam recentiores Thomistae in *praedeterminationibus* physicis actuum collocant ?

Recordemur verborum S. Thomae, quae qst. 24 de Ver. a. 4 exstant, quaeque supra late excussimus. Fuerunt autem haec : « Sed voluntas hominis non est determinata ad aliquam unam operationem, sed se habet indifferenter ad multas, et sic quodammodo est in potentia, nisi mota per aliquid activum *vel quod ei exterius repraesentatur sicut est bonum apprehensum vel quod in ea interius operatur, sicut est ipse Deus,* ut S. Augustinus dicit in Lib. de gratia et libero arbitrio (cfr. 21) ostendens, *Deum multipliciter operari in cordibus hominum.* Omnes autem exteriores motus divina providentia moderantur, secundum quod ipse judicat, aliquem esse excitandum ad bonum *his vel illis actionibus* ». En ! non uno modo Deus operatur et movet antecedenter ad bonos actus sed « multipliciter », « secundum quod ipse judicat aliquem esse excitandum ad bonum *his vel illis actionibus* ».

Et profecto, etsi opus est Dei motu et auxilio antecedenti ad hoc, ut liberum arbitrium pleno vigore ad bonum agat, numquid tali indiget etiam ad male agendum ? Certo nullo modo concedendum, liberum arbitrium vera et justa causalitate antecedenti moveri a Deo *ad* malos actus, prout etiam S. Thomas diserte id negavit. ( Vide supra p. 215 squ. ). Ergo de praedeterminatione physica non est sermo.

Dices fortasse cum P. Dummermuth ulterius hoc : S. Thomam in hoc ipso articulo ad 3^ium^ affirmare « non esse de necessitate libertatis, quod sit prima causa sui id, quod liberum est ». — Respondetur, nullum ex Molinistis unquam hoc ad libertatem exegisse ; postulant vero ad unum omnes duce S. Thoma, ut id, quod liberum sit, e propria determinatione causae secundae procedat. Caeterum hic modus loquendi S. Thomae nonnihil improprius est. Nihil enim potest, si proprie loqui velis, suipsius,

praesertim physice efficiens causa exsistere, multo minus suipsius prima causa. Proprie ergo si loqui voluit S. Doctor, debuit dicere, non esse de necessitate libertatis, ut id, quod liberum est, causam habeat talem, quae ab alia nulla causa in agendo dependeat. Hoc non esse de necessitate libertatis, omnes Molinistae profitentur. Si secus dicerent, aperte ipsi sibi contradicerent, utpote qui concursum Dei simultaneum pro omni causa agente secunda omnique ejus actione essentialiter requirant. Sed numquid ideo dicere licet, cum Thomistis, ne hoc quidem esse de necessitate libertatis, ut libera causa seipsam determinet, *non ab alio ad agendum simpliciter determinetur ?* Ita utique opinantur Thomistae ; sed male eos ita opinari, supra fuse demonstravimus. Brevi : actus, quo se libera causa ipsa determinat, haec ut sit et fiat, dependet a Deo, sub formali vero ratione determinationis et ut praecise et simpliciter ad unum determinatio est, ad unam liberam causam dumtaxat pertinet.

Nullum facessit negotium doctrina S. Thomae qst. 3 de Malo art. 2 ad 4, quam R. P. p. 119 laudat. Nam nihil differt ab ea doctrina, quam modo audivimus ex, 1ª Parte q. 83, a. 1 ad 3.

Quando vero ulterius dicitur in corpore illius articuli 2ⁱ de Malo, peccatum ut actio est, a Deo esse duplici ratione, et sub ratione entis et sub ratione motus, quoniam « omne, quod per participationem dicitur tale, derivatur ab eo, quod est per essentiam » [tale] ; hoc quidem verum est ; dummodo ne propterea duplicem realiter distinctum influxum Dei in peccatum ut actio est, statuamus : unum, quo dependeat a Deo sub ratione entis, alterum re diversum, quo a Deo dependeat sub ratione motus. Cum enim omnis motus sit ipse aliqualiter ens, et peccatum, ut actio est, ens non sit nisi quatenus est motus quidam vitalis, unus est re influxus, quo Deus influit in peccatum ut actio est, et sub ratione entis et sub ratione motus. Quoniam porro peccatum ut ens quoddam est, dependet ab Eo, qui est esse per essentiam, immediate et intime per solum concursum simultaneum : consequitur, ut neque sub ratione motus per quidquam aliud quam per simultaneum concursum a Deo dependeat. *Potest igitur modus considerandi in actione peccaminosa — idem valet de aliis actionibus ut tales sunt — recte multiplicari, nequaquam ideo multiplicandus est influxus Dei in rerum natura et realiter existens.*

Sed progrediamur. Quid igitur dicendum ad illud, quod exstat in Compendio Theologiae ad Fr. Reginaldum cp. 129 : « actum voluntatis a solo Deo esse » ? Favetne hoc Thomistarum praedeterminationibus ? Respondetur, manifestum esse, hoc non posse accipi omnino stricte. Ita enim manifestam contineret falsitatem (1). Quando hoc dictum vero nonnihil latius accipiendum est : verba haec in sensu, quem suo loco habent, etiam in Molinae sententia vera sunt. Nimirum ita ex contextu verba accipienda sunt, ut iis affirmetur, actum voluntatis ab hac elici tali modo et tali ratione, *ut*

(1) Agitur enim de actu vitali et voluntario, qui est ab anima et voluntate *elicitive* et efficienter.

*physice ejus reductio fiat in Deum,* primum immobile et omnis motus principium, *immediate et solum.* Nihil enim inter Deum et voluntatem operantem *physice medium est.* Cujus contrarium saepe usuvenit in motu intellectus. « Cum enim, inquit S. Doctor, actus voluntatis sit inclinatio quaedam ab interiori ad exterius procedens et comparetur inclinationibus naturalibus, *sicut inclinationes naturales rebus naturalibus solum insunt a* creata *causa suae naturae, ita actus voluntatis a solo Deo est* | non vero est ab alia causa, praeter ipsam voluntatem, quae eum directe et physice causet |, qui solus |scl. Deus | causa est naturae rationalis voluntatem habentis. | Atque adeo solus Deus vero aliquo modo est intra voluntatem non plane extra eam, ut sunt res creatae omnes; quare etiam ipse solus potest motum in voluntate, qui essentialiter ab intrinseco provenit, directe et physice causare ].

« Unde | ulterius | patet, quod non est contra arbitrii libertatem, si Deus voluntatem hominis movet, sicut non est contra naturam, quod Deus in rebus naturalibus operatur | scl. mediantibus inclinationibus naturalibus |; *sed tam inclinatio naturalis* | *et necessaria* | *quam voluntaria* | *et libera* | *a Deo est, utraque proveniens secundum conditionem rei cujus est. Sic enim Deus res movet, secundum quod competit earum naturae,* | liberas ergo res movet sic, ut non ipse eas ad unum in particulari agendum determinet, cum sint principia per se et natura sua non determinata ad unum ].

« Patet igitur ex praedictis, quod in corpus humanum et virtutes rei corporeae imprimere [ i. e. directe et physice influere ] possunt et corpora coelestia, sicut et in alia corpora, non autem in intellectum; sed hoc potest creatura intellectualis. *In voluntatem autem humanam solus Deus potest imprimere i. e. influxum physicum directum exercere* ». Haec S. Thomas.

Ad haec R. P. (1): « Ergo Deus liberum arbitrium movet, est causa actus liberi arbitrii, quia talis actus est quidam motus et quoddam ens: omnis autem motus est a primo movente, et omne ens a primo ente. Nec hoc libero arbitrio repugnat; quamvis enim liberum arbitrium se moveat ad agendum, non tamen necesse est quod sit prima causa sui motus ».

Haec omnia R. Patri demus; sed quid vel sic pro praedeterminationibus physicis efficitur (2)? *Ceteroquin non omnino liquet, de quonam praecise motu Dei in creaturis operantibus S. Doctor loquatur: num de illo motu actuali et praetereunte,* sine quo nullum ens creatum quidquam agere potest — in nostra sententia de concursu — ita videtur R. P. opinari; *an de eo motu, quem Deus producit in creaturis operantibus et per ipsas, mediantibus ipsarum inclinationibus naturalibus,* in voluntate igitur mediante ipsius inclinatione in bonum in communi, quod est fortasse probabilius; prouti colligitur etiam ex locis parallelis: 1, q. 103, a 8 in corp. et ibid. a 1 ad 3; 1, 2, q. 9 in corp. Is enim etiam motus Deo ut auctori naturae incli-

(1) p. 120.

(2) Confunduntur continenter a R. P. haec duo: motus seu actio, qua se libera creatura determinat est a Deo; ergo etiam determinatio ipsa sub formali sua ratione est a Deo; quorum prius est verum, alterum falsum.

nationisque naturalis adscribitur. Quodsi obtinet, est etiam evidentius, nihil hoc loco pro praedeterminationibus physicis effici posse. Vide ea, quae mox ad illum art. 8 quaestionis 103 adnotabimus.

Ceterum habemus alia duo, quae adnotemus: unum spectat ad illud *assertum R. Patris:* « quamvis enim *liberum arbitrium se moveat ad agendum,* non tamen necesse est, ut sit prima causa sui motus ». Quod sane assertum non sufficit. Minime enim sufficit ad libertatem arbitrii servandam, si dicamus, liberum arbitrium movere sese ad agendum quocunque tandem modo; nam etiam ceterae omnes potentiae vitales seipsas ad agendum movent, *sed debet se movere ad agendum ut principium, quod est dominus sui actus, quod antecedenter ad formalem motum suum, non sit praedeterminatum insuperabiliter ad unum, sed quod ipso motu et hac ipsa actione se ad unum active et actualiter determinat.*

Alterum notandum *de doctrina S. Thomae* hoc ipso loco proposita. Ea nimirum conformis est doctrinae, quae praedeterminationes physicas excludit; difformis ab ea, quae hujusmodi praedeterminationes defendit. Quid enim haec sententia S. Thomae significat: « Sed tam inclinatio naturalis quam voluntaria [ et libera ] a Deo est, *utraque proveniens secundum conditionem rei, cujus est. Sic enim Deus res movet, secundum quod competit earum naturae* »? Evidenter haec significant, res naturaliter determinatas ad unum moveri a Deo etiam ad unum determinatum; quae vero res natura tales non sunt, eas Deus, quantum est ex parte sua, non determinate ad unum movet; sed prout competit earum naturis, sic movet eas Deus, scilicet ita, ut ad quid in particulari moveantur seu potius ipsa se moveant, in earum relinquatur potestate. Et hoc tenendum est ut doctrina S. Thomae hoc loco: sive dicimus, eum loqui de Dei motu actuali et praetereunti in voluntate libera operante, sive tantum de motu Dei mediante naturali inclinatione voluntatis ad bonum in communi. Huic porro doctrinae asserta Doctorum nostrorum conformia sunt, non sunt conformia placita recentiorum Thomistarum, quod amplius probatione non eget.

Postquam R. P. p. 121 illud principium, in sensu S. Thomae verissimum, repetiit: « in quolibet motu naturaliter primum est motio ipsius moventis, secundum est motus ipsius mobilis »: adjungit multos locos quibus doceat S. Thomas, creaturam in agendo a Deo moveri, quasi hoc, non abunde constet et quasi ex his sequatur, S. Thomam docere praemotiones et praedeterminationes physicas. Sed majorem falso intelligunt Thomistae, ut supra luculenter demonstravimus. De hac ergo re satis.

Sequuntur apud R. P. (1) aliae multae sententiae ex operibus D. Thomae depromptae, partim ad materiam de gratia pertinentes; quae tamen omnes nullam vim efficacem habent ad eam, quam agimus, controversiam dirimendam. At nisi quis firmiter et constanter punctum controversiae ob oculos retinet, ingerere facile possunt opinionem, quasi R. P. testimonio-

(1) p. 121.

rum D. Thomae inexhausta opulentia contra Molinistas abundet. Nobis vero cum exploratum sit, lectores constanter hoc esse quaesituros: quid hoc tandem probat? hoccine etiam in sententia Patrum Societatis Jesu vere dicitur annon? omnia haec omittimus, uno loco, qui pag. 124 occurrit, excepto.

Ait R. P. Dummermuth laudans locum S. Thomae: « Motio divina est infallibilis et efficax. Nam Deus « *infallibiliter* operatur, quodcunque voluerit. Unde *impossibile est*, haec duo simul esse vera, *quod Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis et quod ipse charitatem amittat peccando* » (1). Cfr loci infra indicati (2).

Manifestum est his locis nihil contineri, quod praedeterminationibus physicis faveat. Neque enim ibi S. Doctor loquitur de motione Dei qualibet neque de voluntate Dei qualibet, sed de motione illa supernaturali, *quae ex voluntate Dei absoluta* consequendi seu efficiendi aliquid procedat, quam voluntatem beneplaciti absoluti appellant. Nam de ea voluntate Dei agitur, qua salvandi in bono perseverent, ut ex ipsis locis patet. Qui vero hoc contenderet de omni motione Dei in textu agi, nescio, quomodo haeresim Jansenianam effugeret; negaret enim implicite, esse gratias Dei interiores mere sufficientes, quibus homo vere a Deo motus et excitatus potest quidem agere bene, neque tamen bene agit.

Itaque non solum fatentur Molinistae, sed plane id contendunt: Quidquid Deus absolute consequi velit, id certe futurum esse, et quemcunque Deus ex hac voluntate absoluta hominem ad aliquid moveat, eum infallibiliter id esse operaturum; nec posse fieri, ut « velit (absolute) Spiritus Sanctus aliquem ad actum charitatis movere et ipse charitatem amittat peccando ». Hoc autem secundum ipsos propterea verum est, quia Deus in sua providentia, inque mediis aptis seligendis ad exsequenda consilia suae providentiae *falli non potest* (« infallibiliter operatur », inquit S. Thomas). Non tamen haec infallibilitas ex ea re ortum habet, quod Deus homines ad operandum physice praedeterminet. Ob scientiam mediam adjumenta Deo praesto sunt infallibilia quidem, neque tamen praedeterminantia physice ad unum.

Atque in hac assertione Molinistae ipsius S. Doctoris indicationes his ipsis locis et alias factas accurate sequuntur. S. enim Doctor, ut explicet, cur Deus effectum a se absolute intentum a libera voluntate sit certissime obtenturus, semper recurrit ad *infallibilitatem* divinae motionis, nunquam ad *insuperabilem virtutem hujus motionis seu mediorum,* quae a Deo adhibentur. Neque contra hoc pugnat id, quod S. Doctor II. « de Malo » ait, Deum movere « voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis ». Nam haec efficacia virtutis moventis, quatenus certissime finem absolute a Deo intentum consequitur, ab infallibilitate divinae scientiae in exsecutionis adjumentis aestimandis repetenda est, non ab interna vi et

(1) 2. 2, q. 24, a. 11.

(2) Similia prorsus afferuntur a R. P. ex 1. 2, q. 112, a. 3; q. 6 de Malo art. unico ad 3. Conferri etiam potest de Ver. q. 23, a. 5 ad 3.

virtute adjumentorum seu motus ut sic. — Pro nobis igitur potius hi loci sunt, quam contra nos.

---

## ART. II

### AD ARTICULUM ALTERUM EJUSDEM QUARTI CAPITIS R. P. DUMMERMUTH, UBI DE PERFECTA IMMUTATIONE VOLUNTATIS PER DEUM FACTA AGITUR (Q. 22 DE VER. A. 9).

Inscribitur hic articulus apud R. P. (1) hoc modo : « *Deum physice praedeterminare liberum arbitrium ad suos actus, ostenditur ex doctrina S. Thomae de immutatione voluntatis a Deo* ».

« De immutatione voluntatis creatae a Deo, inquit R. P., ac de modo, quo haec immutatio fiat pluries loquitur S. Thomas, notanter in quaestionibus disputatis de Verit. quaestione 22, articulis 8 et 9; in Prima Parte qst. 106 et qst. 111 ; et in 2 Sententiarum Dist. 25, qst. 1. Ex doctrina quam ibi tradit, tam manifesto sequitur praedeterminatio physica liberi arbitrii ad omnes suos actus, ut *a nemine, nisi praejudiciis occupato,* negari possit, hanc revera fuisse S. Thomae sententiam ». Haec quidem R. P. Dummermuth. Videamus, num revera ita sit.

Atque quam immerito haec dicantur, ut appareat, aliud nihil opus est, quam exscribere textum, quem primo loco laudat R. P. Continuo enim elucebit, agi de voluntatis inclinationibus per Deum producendis, quae homini liberae non sunt. Quemadmodum autem nemo Molinista negat, Deum posse se solo immutare voluntatem prorsus omnem physice et perfecte, ita ut sine libera sui determinatione jam absolute nunc id velit, quod antea non volebat aut prorsus nolebat; ita facile cernitur, hujusmodi non liberas immutationes voluntatis per Deum factas parum causam recentiorum Thomistarum juvare. Hi enim contendunt cum absoluta et perfecta immutatione voluntatis physica, seu quod re idem est, cum physica praedeterminatione voluntatis ad unum per solum Deum facta componi arbitrii libertatem.

Ait igitur S. Thomas II. art. 9. de Ver. q. 22 : « Dicendum, quod voluntas potest intelligi *immutari* ab aliquo dupliciter. Uno modo sicut ab objecto suo sicut voluntas *immutatur ab appetibili,* et sic non quaerimus hic de immutante voluntatem. Hoc enim supra ostensum est, quod aliquod bonum *de necessitate movet* (2) voluntatem per modum objecti, quamvis voluntas non cogatur.

(1) p. 125.

(2) *Nota haec verba;* ex ipsis enim propositum D. Doctoris hoc loco plane elucet. Vult enim in se-

« Alio vero modo potest intelligi voluntas *immutari* ab aliquo *per modum causae efficientis*. Et sic dicimus quod non solum nulla creatura potest cogere voluntatem, agendo in ipsam, quia hoc nec Deus poterat (art. 8) : sed *nec etiam potest directe agere in voluntatem ut eam immutet necessario, vel qualitercunque inclinet, quod Deus potest*. Sed indirecte potest aliqualiter inclinare voluntatem aliqua creatura, *non tamen necessario immutare* (1). Cujus ratio est, quia cum actus voluntatis sit quasi medius inter potentiam et objectum, immutatio actus voluntatis potest considerari vel ex parte ipsius voluntatis vel ex parte objecti.

« *Ex parte quidem voluntatis mutare actum voluntatis non potest nisi quod operatur intra voluntatem, et hoc est ipsa voluntas, et id quod est causa esse voluntatis, quod secundum fidem solus Deus est*. Unde solus Deus potest inclinationem voluntatis, quam ei dedit, transferre de uno in aliud secundum quod vult...

« Sed si consideretur actus voluntatis *ex parte objecti*, sic invenitur voluntatis duplex objectum. Unum, ad quod *de necessitate* naturalis inclinatio *determinatur*, et hoc quidem objectum est voluntati inditum et propositum a creatore, qui ei naturalem inclinationem dedit in illud. Unde nullus potest *necessario* per tale objectum *immutare voluntatem* (2) *nisi* solus Deus. Aliud vero est objectum voluntatis, quod quidem natum est inclinare [opp. perfecte et simpliciter immutare] voluntatem, in quantum est in eo aliqua similitudo vel ordo respectu ultimi finis naturaliter [atque necessario] desiderati, *non* tamen *ex hoc objecto* voluntas *de necessitate immutatur* ut prius dictum est, quia non in eo singulariter invenitur ordo ad ultimum finem naturaliter desideratum. Et mediante hoc objecto potest aliqua creatura inclinare aliquatenus voluntatem *non tamen necessario immutare*, sicut patet, cum aliquis persuadet alicui aliquid faciendum, proponendo ei ejus utilitatem et honestatem, tamen *in potestate voluntatis est, ut illud acceptet vel non acceptet*, eo quod non est naturaliter determinata ad id. Sic igitur patet, quod *nulla creatura potest directe immutare voluntatem*, quasi agendo intra ipsam voluntatem, *potest* autem extrinsecus aliquid proponendo voluntati, eam *aliqualiter inducere, non tamen immutare* ».

*In hoc textu manifesto uni Deo tribuuntur duo, quae in creaturae pote-*

quentibus ostendere : quemadmodum *unum* est bonum ( Deus clare visus ) quod possit *per modum objecti immutare i. e.* « *de necessitate movere* », ut in textu est, voluntatem sine ejus coactione : ita unum esse Deum, qui possit *per modum causae efficientis*, atque directe et physice, movere perfecte i. e. immutare vel de necessitate movere eandem. Imo vel inclinare ipsam per modum causae efficientis atque directe et physice, unius Dei est, quamvis hoc ultimum aliquo modo efficere etiam creatura possit, indirecte tamen et moraliter, proponendo scl. voluntati extrinsecus bonum aliquod particulare.

(1) Hic iterum attende, quomodo S. Doctor persistat in vocibus : « necessario immutare ». Atque hoc etiam progressus disputationis postulabat, ut postquam ostensum est art. 8, Deum voluntatem *cogere* non posse, ostenderetur art. 9, immutari tamen voluntatem a Deo posse, sublata quidem ejus libertate, manente tamen actus spontaneitate. Vide notam praecedentem.

(2) Hic ponuntur ut idem : de necessitate determinare et de necessitate (necessario) immutare.

*state non sunt relate ad voluntatem humanam. Ambo haec pertinent ad actionem physicam et directam in voluntatem: potest Deus directo physico influxu voluntatem in aliquid* [*imperfecte*] *inclinare seu velleitatem aliquam nisumque ad aliquid in ea excitare; potest etiam eam perfecte immutare et determinare. At si hoc ultimum Deus facit, cessat libertas, manet spontaneitas, adest vero necessitas.* Evidenter enim S. Thomae hoc loco idem est, Deum posse voluntatem actione physica immutare et Deum posse eam immutare de necessitate. Et quamvis etiam creatura imperfectam quandam inclinationem in aliquid in voluntate producere possit, alio quidem modo, scl. indirecte solum et moraliter, proponendo extrinsecus voluntati bonum aliquod; perfectam tamen immutationem, qua tollitur a voluntate potestas etiam non acceptandi bonum propositum, et quacum nexa est necessitas id acceptandi, *non* potest *ullo modo*, nec physice nec moraliter, ulla creatura in humana voluntate causare, sed unus Deus id potest.

Quae cum hujus loci manifesta doctrina sit, multum abest, ut hic locus vel minime recentioribus Thomistis faveat; *quinimo se rursus hoc loco S. Doctor recentiorum Thomistarum adversarium manifesto prodit. Nam secundum ipsum activus Dei influxus in voluntatem talis, qui causet per se veram et proprie dictam voluntatem in aliquid, non meram velleitatem propensionemque, tollit a creatura libertatem.* Hoc autem ipsum recentiores Thomistae negare debent. Contendunt enim debentque contendere, etsi Deus influxu physico activo per sese in homine causet veram voluntatem actumque volendi absolute aliquid, manere nihilominus libertatem.

Quae cum ita sint, non erat profecto opus contendere id, quod R. P. contendit; « a nemine nisi praejudiciis occupato negari posse, hoc loco tradi doctrinam de praedeterminatione physica *liberi arbitri ad omnes suos actus,* ut veram D. Thomae sententiam ». Nec intelligimus illud, quod R. P. de effugiis iisque vanis Jesuitarum alibi narrat, quando hi dicunt, *hoc loco agi de immutatione voluntatem necessitante* (1). Evidens enim est de ea agi.

Indulgeat lector, si hic iterum eum rogamus, ut liceat non persequi omnia accuratius, quaecunque in hoc altero articulo a R. P. proferuntur; supervacaneus labor esset, quum permulta nullam ne speciem quidem argumenti pro Thomistarum sententia contineant. Tamen quaedam graviora expendamus. Et primum quidem expendendus locus, qui exstat apud Aquinatem *in 1ª p., q. 103, a. 8*; loci enim obscuritas quoddam Thomistis praesidium est.

Affertur hic locus a R. P. sub n. 4 (p. 131), ubi ostendere conatur, *physicam immutationem liberi arbitrii, quam S. Thomas tueatur, explicari non posse nisi per physicam praedeterminationem.*

Antequam locum tractandum aggrediar, placet adnotare: etsi totum, quod hic sub n. 4 R. Pater asserit, ei daremus, nihil pro physica praedeter-

(1) Cfr P. Dummermuth, p. 134.

minatione voluntatis efficeretur. Demonstravimus enim, quoties agatur de immutatione voluntatis perfecta et absoluta per solum influxum Dei physicum in ipsa producta, toties agi secundum S. Thomam de actu voluntatis necessario. Hoc est autem potissimum et capitale, etsi non plane unicum, controversiae punctum inter Thomistas et nos. Nos negamus, cum praedeterminatione physica ad agendum, quae a solo Deo fiat, componi actionis libertatem; Thomistae id affirmant; *S. vero Thomas hoc loco saltem unum statuit, eam praedeterminationem physicam voluntatis, quae in ejus immutatione physica perfecta sita sit, si a Deo simpliciter fiat, cum libertate componi non posse.*

At videamus locum. Quaestio agitur haec: « Utrum aliquid possit *reniti* contra ordinem gubernationis divinae ». Hoc quaeritur in oppositione ad articulum praecedentem septimum, ubi S. Doctor quaesiverat: « Utrum aliquid praeter ordinem divinae gubernationis *contingere* possit ». Sensus igitur quaestionis manifestus hic est: possitne levissimus animi motus, levissimusque actus vel conatus fieri, qui sit contra ordinem gubernationis divinae. Respondet S. Doctor distinguendo: est quidam ordo divinae gubernationis, qui progreditur *a causa gubernationis totius* | ut sic | (1), et huic ordini creatura nullo modo potest reniti; est alius quidam ordo divinae gubernationis, qui progreditur *a causa particulari* | ut sic |, quae est exsecutiva divinae gubernationis, et huic ordini creatura reniti potest. Cfr etiam ad 3[m]. Ad priorem partem distinctionis confirmandam afferuntur in corpore articuli duo argumenta, quorum alterum continet illa subobscure dicta, quae R. P. Dummermuth suae putat doctrinae patrocinari. « Alio modo, inquit S. Doctor, apparet idem | veritas scl. prioris partis distinctionis allatae | ex hoc, quod sicut supra dictum est in 1° art. hujus quaestionis ad 1, omnis inclinatio alicujus rei vel necessaria vel voluntaria nihil est aliud quam quaedam impressio a primo movente: sicut inclinatio sagittae ad signum determinatum, nihil aliud est quam quaedam impressio a sagittante ».

Videtur sibi R. Pater doctrinae suae fundamentum quoddam seu potius firmamentum in hoc loco consecutus esse, in comparatione nimirum illa, qua utitur S. Doctor. « Comparat, inquit, S. Thomas inclinationem seu actionem voluntariam inclinationi sagittae: et sicut sagitta ad signum determinatum pervenit, quia inclinationem seu impressionem determinatam accipit a sagittante; ita agens voluntarium quasi propria sponte pervenit in id, ad quod a Deo ordinatur, quia scilicet inclinationem seu impressionem determinatam accipit a Deo primo movente ».

Videtur etiam opinari R. P., verba illa: « omnis inclinatio alicujus rei... voluntaria nihil est aliud quam *quaedam impressio a primo movente* » ad suam sententiam corroborandam aliquid conferre; distinxit enim verba haec, quando textum imprimendum curavit. Quid ergo dicimus primum ad comparationem; quid deinde ad ultima haec verba?

(1) Ita Cajet. ad hunc locum.

Comparatio D. Doctoris est in hac re posita, quod *sicut ex vi impressionis a sagittario accepta tendit volatque sagitta in finem scopumque praestitutum a sagittario, ita ex impressione a Deo accepta homo naturaque humana tendit in eum, qui sibi divinitus praefixus est, finem. Atque sicut sagitta non potest declinare a fine, in quem eam sagittarius misit, ita homo non potest deviare a fine, in quem ab ipso Deo impressione naturae directus et missus est.*

At *differentia* alioquin magna inter rem comparatam et comparationem intercedit. Sagittarius dirigit sagittam *in finem omnino particulariter determinatum*, Deus autem dirigit humanam naturam in finem vi naturae *determinatum tantum in genere*. Unde sagitta a sagittante directa prosequitur de se, nisi extrinsecus impediatur, necessario prorsus definitam in *particulari* directionem et viam et scopum, nihil declinans nec ad dexteram nec ad sinistram, voluntas vero humana *aliquam amplam latitudinem* in *prosecutione finis divinitus sibi praestituti habet*. Unde evenit, ut « *in generali* [*quidem*] *secundum quod* | *ordo divinae sapientiae* | *progreditur a causa gubernationis totius, nihil contraniti possit ordini divinae gubernationis* »; *possit autem reniti* « *in speciali, secundum quod ordo divinae gubernationis progreditur a causa particulari, quae est executiva divinae gubernationis* ». Ita S. Thomas in ipso corpore articuli. Cui optime intimeque cohaerent consonantque illa, quae exstant ibidem ad primum. « Ad primum, inquit, dicendum, quod dicuntur aliqui vel cogitare vel loqui vel contra Deum, *non* quia *totaliter* renitantur ordini divinae gubernationis, *quia etiam peccantes intendunt aliquod bonum* | manentque proinde intra ordinem divinae gubernationis relate ad finem sibi divinitus praefixum vi naturae et quasi impressum in generali, qui est bonum in genere |: sed, quia *contrainituntur cuidam determinato bono*, quod est eis conveniens secundum suam naturam aut statum ». Haec loci aperta analysis. Sciscitor jam hoc unum, num hic locus faveat Thomistis an Molinistis? Potestne recentior Thomista, potestne ullus homo vere asserere, quod tamen hic S. Thomas diserte asserit, impressione divinitus accepta hominem a fine sibi divinitus praestituto non posse quidem declinare in generali, *posse vero ab eo in particulari aberrare contraniendo cuidam determinato bono*, quod est sibi conveniens simpliciter, *si illa impressio divina, de qua agitur, ut indicat R. P. Dummermuth, est Thomistarum praedeterminatio physica ad unum?* Profecto haec est ad aliquid prorsus particulare et definitum determinatio hominemque ineluctabili et insuperabili vi trahit in illud prorsus definitum et particulare objectum ita, ut secundum Thomistas evidens contradictio sit, hominem ad aliquid praedeterminari physice et tamen eundum illud non operari ac velle. Qui ergo potest homo quomodocunque a fine et scopo illo declinare, cum et vis ineluctabilis et insuperabilis ipsum propellat, et bonum seu scopus propositus omnino atque in particulari definitus et determinatus sit ?

(1) Cfr 1. 2, q. 9, a. 6 ad 3.

At oppones, verum non esse illud, quo uno tota nostra contra Thomistas argumentatio innititur, a S. Thoma hic manifesto asseri, hominem propelli dirigique a Deo per se et immediate — ex vi generalis et naturalis providentiae — tantum ad bonum in communi atque in generali, non ad bonum particulare et in speciali. — At respondetur, nihil posse quam id, quod diximus, evidentius esse ; quoniam sic rem se habere, ipse S. Thomas diserte declarat. Ad veritatem enim distinctionis a se allatae, hominem non posse reniti contra ordinem divinae gubernationis in generali, nihil aliud desiderat nisi ut operatio ipsius intra limites boni in communi necessario contineatur. Ergo bonum in communi est id, ad quod Deus hominem ita propellit, ut ex ejus ordine plane exire nunquam operando possit. — Si urgeas ex comparatione a S. Doctore allata , objectum scopumque, versus quem homo divinitus propellatur, determinatum esse debere, respondetur, debere eum esse determinatum aut in genere aut in particulari, id conceditur ; necesse esse, ut sit in particulari determinatus, id negatur. Animadvertendum insuper illud : cum hic de propulsione divina agatur, quae versetur *in genere tantum* quaeque omni particulari actui voluntatis subsit vel insit, eam per se solam nequaquam omnia illa praestare, quae ad actum voluntatis eliciendum in concreto requiruntur.

Reliquum est, ut illa verba alterius argumenti pro priore parte distinctionis diligentius paululum consideremus, quibus pro causa Thomismi nonnihil fidere videtur R. P. Dummermuth. Fuerunt porro haec : « omnis inclinatio alicujus rei vel naturalis vel *voluntaria* nihil est aliud quam *quaedam impressio a primo movente* ». Si illa una verba tantum attenderis, quae R. Pater distinxit, non satis manifestatur difficultas. Ea potius sita est in negativa illa atque *exclusiva* dicendi formula : *omnis inclinatio . . . nihil est aliud*. Qui hoc omnino vere dici potest ? At si praedeterminationes physicas amplexus fueris, omniane plana sunt ? An ita jam simpliciter verum est, illud dictum D. Thomae, omnem inclinationem alicujus rei naturalem vel voluntariam *nihil esse aliud* quam quandam impressionem a primo movente ? Qui ita opinaretur, aut alterutro aut ambobus erraret : aut falso opinaretur, non agi hic de actibus vitalibus, quando S. Thomas inclinationes voluntarias memorat contra naturalem sensum ipsarum vocum et contra manifestam sententiam totius contextus ; aut falso censeret, vitalem, atque imprimis voluntariam, actum non oportere produci vitaliter ab ipso vivente et posse eum mera impressione externa in vivens recipi, aut oporteret eum in utroque decipi. Haec adeo manifesta sunt, ut probatione nulla egeant. Quodsi et de vitalibus actibus agitur atque voluntariis, et vitales actus ac praesertim voluntarii *necessario a vitali potentia saltem aliquo modo comproducuntur ;* qui sine laxiore quadam interpretatione verum esse potest, admissis praedeterminationibus physicis inclinationes voluntarias nihil esse aliud quam impressiones divinas ? An forte praedeterminationes illae simul sunt vitales

actus producunturne ab ente creato vivente? suntne homini voluntariae? At si jam oportet quandam interpretationem loco adhibere in omni sententia, si non severe et formaliter locum licet interpretari, sane oportet eum intelligere *causaliter atque radicaliter,* ut sensus ejus sit hic : necesse est, ut omnis inclinatio alicujus rei, sive ea naturalis est sive voluntaria, ortum ducat a causa et radice, quae solum Deum auctorem habet (1). Haec autem radix et causa, secundum locum, ad quem ipse S. Doctor hic nos remittit, non est praedeterminatio physica ad singulos actus, sed est ipsa naturalis tendentia vel inclinatio ad finem omni naturae itemque humanae voluntati divinitus praefixa et impressa ; quem quidem finem omnis creatura in omni suo motu aliquo tandem modo prosequatur, necesse est. Quare sensus verborum S. Thomae, de quibus agimus, hic est : omnis inclinatio alicujus rei sive naturalis sive voluntaria nihil est aliud quam manifestatio vel certa quaedam applicatio et explicatio impressionis divinae ; seu, si placet, est divina impressio, scl. ad finem naturalem, in re singulari jam applicata et explicata. Atque hoc tandem modo conclusio hujus secundi argumenti plane redit in conclusionem primi argumenti (in corpore articuli) ; quae erat haec : nullam rem operando posse exire ambitum boni, « quia nullus respiciens ad malum operatur », ut Dionysius dicit ; seu non posse hominem exire ordinem finis a Deo voluntati humanae generatim praestituti. Ergo nihil saltem opus est ad intelligentiam hujus loci consequendam recurrere ad praedeterminationes physicas alias a S. Thoma reprobatas, quasi hae lumen quoddam loco afferant ; imo cum S. Thomas ipse interpretetur suam sententiam de habituali tendentia naturae ad finem naturalem, quam ab ipsa origine omnis natura in se recepit impressam, interpretatio Thomistica loci, ut menti S. Thomae adversans, improbanda et rejicienda est. Quinimo, quae hic S. Doctor tradit de impossibilitate declinandi a fine generali ob acceptam ad eum prosequendum divinitus impulsionem, de possibilitate vero declinandi a fine omni speciali et singulari, videntur omnino pugnare cum doctrina de praedeterminatione physica ad singulos actus necessaria. Quae enim est ratio de uno, eadem esset in doctrina Thomistarum etiam ratio de altero, quare idem utrobique oportuit concludere.

(1) Cfr. supra dicta ad c. 129 Compend. Theologiae.

## ART. III

QUAE IN PROXIMO ARTICULO STATUTA SUNT, EA LOCIS ALLATIS CONSIMILIBUS AMPLIUS CONFIRMANTUR ; ATQUE IMPRIMIS EX A. 1, Q. 116 1ae PARTIS OSTENDITUR, QUOMODO SECUNDUM D. THOMAM DISPOSITIONES INFALLIBILES DIVINAE PROVIDENTIAE INFALLIBILITATEM SUAM CONSEQUANTUR EX PRAEVISIONE CONDITIONATA ACTUUM ET EVENTUUM LIBERORUM.

Illustrationis et confirmationis gratia exscribam ea, quae locum modo tractatum apud R. P. p. 132, proxime excipiunt. His enim et ea, quae diximus, ut ex mente S. Thomae dicta confirmabuntur, et magis etiam patebit, procedendi et argumentandi modum R. Patris non posse sustineri.

In eodem articulo 8 quaest. 22 de Ver. | de quo plura supra attulit R. Pater | concludit S. Thomas : « Unde sicut voluntas potest immutare actum suum in aliud, ut ex dictis articulo praecedente patet, ita, et multo amplius, Deus ». « Remittit Angelicus, ita P. Dummermuth pergit, ad articulum 7m, in quo sic habet: « Homini inditus est appetitus ultimi finis sui in communi, ut scilicet appetat naturaliter se esse completum in bonitate. Sed in quo ista completio consistat . . . non est ei determinatum a natura ». In articulo 6. ad 5. idem exprimit : « Voluntas vult naturaliter bonum, sed non determinate hoc bonum vel illud. Et propter hoc, quidquid vult, vult sub ratione boni ; non tamen oportet, quod semper hoc vel illud bonum velit ». « Quantum ad bonum, quod voluntas naturaliter vult, inquit R. P., ipsa se non immutat, sed solum quantum ad hoc vel illud bonum particulare, id est, ut dicit S. Thomas art. 9 ad 1, voluntas se immutat respectu actuum, quorum ipsa est domina » (1). Omnia haec plane consentanea sunt iis , quae modo ipsi diximus.

« At, inquit R. Pater, hoc non facit [ voluntas ] nisi ut secundum agens: omnis enim actio voluntatis est a Deo ut a primo agente, qui vehementius imprimit. Ergo sicut voluntas ut causa secunda immutat actum suum respectu hujus vel illius boni particularis, ita, et multo magis, Deus ut prima causa immutat ».

Cautius S. Thomas in illo art. 8 locutus est: (Deus) « immutare *potest* ». Quamvis ergo Deus omni immutationi voluntatis ut prima causa cooperetur, ipse tamen ob solam hanc rationem non dicitur voluntatem physice immutare omnino et simpliciter, sed quando ipse voluntatem ad unum simpliciter determinat, tunc eam simpliciter immutat.

« Atqui, ita R. P. prosequitur, dum voluntas actum suum immutat, ipsa se determinat. Ergo multo amplius Deus voluntatem determinat » scl.

(1) Cfr. qst. 103, a. 1 ad 3.

quando Deus eam immutat physice. — Cur magis determinet Deus voluntatem, quando ipse eam physice immutat, quam quando ipsa se immutat cooperante Deo, id sane minus liquet. Nobilior tunc sine dubio causa operatur, et quae est in se infinite potentior, quam humana voluntas ; at effectum esse diversae necessario rationis magisque determinari voluntatem, id probatione indiget. — Concludit R. P. : « Unde sicut Ipse [scl. Deus] est primum movens, primum immutans, ita et primum determinans ».

Nolumus modo inquirere, quinam sensus subsit apud R. P. locutioni, Deum esse primum immutans; si sensus est hic, nullam immutationem in rerum natura fieri posse nisi influente et cooperante prima causa, sensus verus est; si vero sensus hic est, Deum esse causam simpliciter et primo determinantem omnem transitum omnis agentis ab uno statu in alium, ab una actione in diversam vel etiam oppositam, falsum statuitur. Interim hoc relinquamus. Animadvertere vero nos hic aliud necesse est. R. P. statum quaestionis immutavit. Proposuit S. Thomas quaestionem, utrum unius Dei esset, immutare voluntatem, idque affirmavit; non quod hoc in *omni* voluntatis immutatione usuveniret, faceret quoque hoc Deus *semper ;* sed quia *posset* pro amplitudine suae potestatis facere Deus, et interdum fortasse faceret; at per exceptionem, non communiter, non constanter, prouti plane eveniret, si Deus voluntates humanas physice praedeterminaret ad omnes actus secundum doctrinam recentioris Thomismi.

Et profecto, quodnam conclusionis genus est: Deus potest pro amplitudine suae potestatis omnem voluntatem, physica in ipsam actione, perfecte ipse immutare; ergo nulla voluntatis immutatio locum habet, nisi Deus sit, qui ipse eam perfecte physice immutet. A potentia ad actum et usum non valet illatio, quomodo valebit a potentia ad actum et usum frequentissimum, quinimo perpetuum?

In sequentibus peccat R. P. simili prorsus modo. Quid enim nisi paralogismus est, quando p. 133 sq. hoc modo concludit: Immutatio liberi arbitrii per Deum fit physica *motione* voluntatis. Ergo physica motione voluntatis Deus determinat liberum arbitrium. Cujus conclusionis sensus debet esse hic: *omni* physica motione voluntatis per Deum facta liberum arbitrium per Deum sensu Thomistico determinari. Si enim esset alia aliqua physica motio, aliquis alius physicus influxus Dei in voluntatem, ob quem actu exhibitum, ob quem exercitum in voluntatem, Deus non merito diceretur ipse immutare simpliciter physice voluntatem et plane determinare, quid R. P. pro suo systemate conclusisset? Nihil prorsus. An quidnam consequitur, pro veritate praedeterminationis physicae ad omnem prorsus actum secundum Thomistas necessariae, ex hac *particulari* sententia, etiamsi eam quam maxime veram esse supponimus: est aliqua motio divina physica in voluntatibus humanis, qua Deus ipse has voluntates simpliciter immutat atque determinat? — Ex particulari per se nihil unquam efficitur; de se sterilis est et infoecunda omnis particularis sententia, nec unquam ex ea recte concludas, hujusmodi motionem in *omni* actu creaturae

voluntatisque humanae intervenire, etsi qua divina motio physica interveniat.

Exscribere totum locum, quo R. Pater haec docet, non expedit. Longior enim est. Pauca ejus verba retulisse sufficiet. « In his testimoniis, inquit R. Pater p. 134, aperte traditur, Deum sua physica motione movere voluntatem ad actum certum et determinatum ». Verba haec R. Patris ita comparata sunt, ut ingerant in contextu sententiam: quaecunque a Deo procedat physica motio, ea moveri perfecte seu simpliciter physice immutari voluntatem a solo Deo ad actum certum et determinatum, et sine hujusmodi motione non immutari voluntatem. Atque hoc reapse R. Patris propositum est, aut omnino nihil concludit; cum tamen his testimoniis aperte unum hoc tradatur, Deum *aliqua* sua motione physica *posse* perfecte movere i. e. simpliciter physice immutare voluntatem ad omnem quem ipse velit actum; sequitur, ut etiam ad certum et determinatum actum possit perfecte immutare. At hanc potestatem toties exerceri a Deo, quoties omnino aliqua creatura voluntatem ipsa immutet, id tradit S. Doctor nusquam.

Veteres autem Societatis Theologos, Bellarminum imprimis et Suarezium, quos ipse R. P. Dummermuth « principes inter Theologos Societatis » appellat (1), contra hujusmodi praepostere conclusa effugia quaesivisse vana, ut idem ipse Pater eodem loco contendit, id nimis incredibile, quam ut seria refutatione egeat. Et profecto, numquid vanum effugium est, quod illi principes inter Theologos dicunt: S. Thomam docere, physice et perfecte si immutetur ac determinetur a solo Deo voluntas, cessare libertatem, adesse necessitatem? Numquid non clare hoc ipsum a S. Doctore traditur ipsis illis locis, quos laudat R. Pater: de Veritate q. 22, a 8 et 9? Quid ergo sermo de vanis effugiis infertur?

Suscitat ulterius hoc loco (2) R. P. quaestionem, num possit Deus necessitatem inferre voluntati *stante judicio indifferenti*; quod negant Thomistae, vel de potentia absoluta fieri posse; affirmant nostri Theologi. At tota haec controversia praeter rem hoc loco suscitatur (3). Ob quam vero causam id a R. Patre fiat, id non inquirimus. Respondemus ergo breviter hoc modo: Cum quo judicio se ipsa potest voluntas determinare atque perfecte immutare, cum eo potest etiam a fortiori Deus eam physice determinare atque perfecte immutare. Sed quoniam libertas voluntatis ex S. Thomae doctrina in eo formaliter constituta est, ut voluntas se ipsa determinet; prior, scl. ea, quae per ipsam voluntatem fit immutatio, non continet ullam contra libertatem voluntatis in agendo pugnam, imo exercet libertatem; pugnam vero manifestam contra hanc libertatem actionis continet posterior determinatio. Ergo quidquid est de judicio, quod vocant indiffe-

(1) p. 134.
(2) p. 135 sq.
(3) Vide ceteroquin ea, quae in sectione 2ª dicta sunt. Cfr etiam Ruiz « de Scientia Dei » disp. 53, sect. 1, sqq.

rens, si Deus ipse per se physice voluntatem immutat physiceque eam praedeterminat ad unum agendum, sublata est libertas actionis, valet in actione necessitas. — Cum autem divinitus certum sit, actus, eosque plane innumeros ab hominibus libere exerceri, falsum est, Deum semper simpliciter, ipsum per se, nos physice immutare, semper praedeterminare physice voluntates nostras, quoties operamur, quoties volumus, quoties consilia nostra ad aliud transferimus.

At nonne (1) ipse S. Thomas in 1ª p. q. 116, a. 1, docet talia, quae plane ostendunt, posse Deum ita immutare voluntatem physice (2), ut libertas sarta tecta maneat, idque facere saepe, imo quotidie? Fatemur de aliqua voluntatis physica immutatione per Deum eo loco saltem etiam agi, quae sit ita comparata, ut non tollatur libertas actionum nostrarum. Fatemur igitur, physice attingendo ipsam immediate potentiam posse Deum secundum S. Thomam causare atque efficere, ut hoc jam velit homo, quod antea non volebat vel etiam nolebat. At si Deus servata libertate immutet voluntatem, tenendum plane est, illum influxum physicum Dei in potentiam non ineluctabiliter per sese et ex natura sua transferre potentiam ab una volitione ad alteram volitionem simpliciter et absolute talem, sed mediis affectionibus et inclinationibus indeliberatis a Deo excitatis, quas possumus cum S. Doctore q. 22 de Ver. a 8 inclinationes voluntatis in volitum imperfectas appellare. Verum quidem est, quando S. Thomas eo loco de Ver. hanc appellationem adhibet, agi de inclinatione voluntatis medio habitu producta; at si ipsa inclinatio est in se virtute eadem, recte eodem nomine compellabitur, licet causa ipsius diversa sit: modo scilicet actualis transiensque influxus divinus, modo donum quoddam Dei habituale atque manens.

Sed cur, inquies, hic ipse locus de imperfectis inclinationibus intelligendus? Quoniam si locum intelligeremus de immutatione physica simpliciter perfecta per Deum in voluntate producta, committeremus S. Thomam secum ipso. Nihil enim clarius est, quam S. Thomam locis supra laudatis docuisse, quae perfecta sit immutatio physica voluntatis humanae, si per solum Deum fiat, eam tollere ab homine libertatem. Cfr. v. g. de Ver. q. 22, a. 9.

Hoc ita esse confirmatur ex articulo praecedenti (3). Nam ibi haec inter alia exstant: « Sed *haec* quidem *inclinatio superaddita* [ per Deum voluntati humanae | quandoque est perfecta quandoque imperfecta. *Quando quidem est perfecta, facit necessariam inclinationem in id, ad quod determinat* (4), sicut per naturam de necessitate inclinatur (5) in appetendum finem.

(1) Cfr Dummermuth p. 137.

(2) Cfr 1, q. 106, a. 2 et ibid. q. 111, a. 2.

(3) De Ver. q. 22, a. 8.

(4) Nota, quam arcte iterum hic inter se connectantur a S. Doctore inclinari voluntatem necessario et ab alio eam determinari.

(5) Habes praeclarum argumentum quam recte ipsi supra p. 139 squ. dixerimus, necessitatem veram in agendo non restringi a S. Thoma ad unam eam determinationem, quae sit a natura, prout id

Aliquando vero forma superaddita *non est usquequaque perfecta*... et tunc ex forma superaddita voluntas inclinatur quidem, sed *non ex necessitate* ». Neve huic confirmationi putes quidquam te opposuisse, si animadverteris illud, quod jam supra concessimus, agi loco laudato de inclinatione, quae medio habitu a Deo producta sit. Nam utrum medio habitu aliquo a Deo infuso inclinatio aliqua vitalis producatur an, ut cum Thomistis loquar, intentione transeunte; id, si effectus tam ex una quam ex altero eadem necessitate consequitur, hoc ad quaestionem de libertate actionis nihil refert omnino (1).

Sed priusquam progrediamur, ipsum locum 1, q. 116, a. 1, de quo agitur, accuratius inspiciamus. *Quaestio est de fato an sit.* Atque S. Thomas sequens auctoritatem Boethii fatetur, posse quoddam fatum admitti. A Boethio enim fatum recte sensu christiano ita definitum est, ut sit « inhaerens rebus mobilibus dispositio, per quem providentia suis quaeque nectit ordinibus ». Ita S. Thomas in argumento « Sed contra ». Deinde pergit: « Respondeo, dicendum, quod in rebus inferioribus videntur quaedam a fortuna vel casu provenire. Contingit autem quandoque, quod aliquid ad inferiores causas relatum est fortuitum vel casuale, quod tamen relatum ad causam aliquam superiorem invenitur per se esse intentum. Sicut si duo servi alicujus domini mittantur ab eo ad eundem locum uno de altero ignorante, concursus duorum servorum, si ad ipsos servos referatur, casualis est, quia accidit praeter utriusque intentionem; si autem referatur ad dominum, qui hoc praeordinavit, non est casuale, sed per se intentum... Et ideo dicendum est, quod ea quae hic per accidens aguntur sive in rebus naturalibus sive humanis, reducuntur in aliquam causam praeordinantem, quae est providentia divina; quia nihil prohibet id, quod est per accidens, accipi ut unum ab aliquo intellectu. Alioquin intellectus formare non posset hanc propositionem: fodiens sepulchrum invenit thesaurum. Et sicut intellectus id potest apprehendere, ita potest efficere. Sicut si aliquis sciens, in quo loco sit thesaurus absconditus, instiget aliquem rusticum hoc ignorantem, ut sibi fodiat sepulchrum. Et sic nihil prohibet ea, quae hic per accidens aguntur, ut fortuita et casualia, reduci in aliquam causam ordinantem, quae per intellectum agat et praecipue intellectum divinum. Nam solus Deus potest voluntatem immutare, ut supra habitum est. Et per consequens ordinatio humanorum actuum, quorum principium est voluntas, soli Deo attribui debet. Sic igitur in quantum omnia, quae hic aguntur, divinae providentiae subduntur tanquam per eam ordinata et quasi praelocuta, fatum ponere possumus ».

Quid igitur? Num dicemus fati eventus fieri eodem modo, ea solum cer-

asserebat R. P. Dummermuth, sed extendi ad omnem divinitus provenientem determinationem, modo similiter haec atque ea, quae est a natura determinatio voluntatem relate ad determinatum actum producendum afficiat.

(1) Patet etiam, huc recte referri omnia, quaecunque in sectione 3ª attulimus, ut ostenderemus secundum S. Thomam non componi determinationem ad actum per alium et hujus actus libertatem.

titudine, quae invenitur in exemplo a S. Thoma modo allato? Qui sciens, ubi sit absconditus thesaurus, instigat rusticum ad fodiendum ibi, ut ita thesaurum absconditum ille inveniat, is nequaquam certus est, se rustico persuasurum esse, ut fodiat, nec certus est, eum esse detecturum thesaurum. At consilia providentiae divinae omnino certa sint, necesse est; et quod fato destinatum est, certissime eveniet. Quomodo ergo hanc certitudinem explicabimus?

Interdum, etsi rarissime, Deum adhibiturum esse voluntatis humanae immutationem physicam perfectam, ut hac ratione et via is, qui accidentaliter et casualiter cum hominis actione conjunctus est fati eventus, revera accidat, id concedere possumus. At hoc admodum saltem rarum erit, si omnino erit. Communiter homo in ejusmodi actu eliciendo actioneque ponenda, quae inopinatum inducet eventum, naturali sua utitur libertate, utut Deus eum inclinationibus imperfectis indeliberatisque ad eam actionem stimulavit. Solutio difficultatis sit illa, quam ipse S. Doctor hic in articulo tertio dat. *Hanc autem difficultatis solutionem eo libentius afferimus, quia quantum nobis notum est, nunquam alias S. Doctor adeo prope vel ad ipsam terminologiam systematis Molinistici de scientia conditionata vel media accessit quam hoc loco.* Accipe ergo responsionem, quam S. Thomas ad quaestionem: « Utrum fatum sit immobile? » II. in corpore articuli tertii dedit: « *Dicendum est, inquit, quod fatum secundum considerationem secundarum causarum mobile | flexibile | est | in utramque partem |; sed secundum quod subest divinae providentiae, immobilitatem sortitur, non quidem absolutae necessitatis, sed conditionatae, secundum quod dicimus hanc conditionalem esse veram: Si Deus praescivit hoc futurum, erit* (1). Unde cum Boethius dixisset, fati seriem esse mobilem, post pauca subdit: « Quae tamen ab immobilis providentiae profisciscatur exordiis, ipsamque immutabilem esse necesse est ».

Vides, quomodo S. Thomas fati immobilitatem absolutamque certitudinem fundet stabiliatque super certitudinem divinae scientiae. Cfr Qdlib. 12 a. 3 ad 2. Quia Deus scit, hoc esse futurum, ideo erit futurum. Ergo certitudo divinae providentiae innititur scientia divina; non vero scientia immutatione physica perfecta voluntatum, non praedeterminatione physica Thomistarum.

Dices: debet in loco, de quo agimus, aliquid efferri, quod soli Deo competat. Propterea enim secundum D. Thomam fati eventus debent *praecipue reduci in intellectum divinum*, « quia *solus Deus* potest immutare voluntatem », imo ob ipsam hanc causam « *Dei solius est* ordinare humanos actus, quorum principium est voluntas »: quomodo est hoc assertum, et quomodo sunt conclusiones ex ipso deductae, interpretatione nostra posita, vera?

Respondeo, quod attinet ad ipsum assertum, constat ex iis, quae ante

(1) Idem re manet, legerisne: « Si Deus praescivit hoc futurum, erit », an « Si Deus praescivit hoc, futurum erit ».

disputavimus, etiam mere imperfectas inclinationes voluntatis ab uno posse Deo *directe et physice* in hominibus produci; et hoc est proprie, etsi imperfecte, voluntatem immutare. Quod deinde ad conclusiones spectat: hac veritate posita, Deum solum posse omni prorsus modo in voluntates influere, indirecte et moraliter, directe et physice, et modo quidem immutatione perfecta, modo vero imperfecta, antecedenter et concomitanter, idque cum plenissima ipsique item exclusive propria notitia exitus omnium et singularum harum motionum: consequitur, ut nihil in hac rerum universitate accidere possit, quod non sit a Deo ordinatum et aut decretum positive atque antecedenter aut saltem decretum permissive et consequenter vel concomitanter. Quare et ordinatio omnium humanorum actuum uni Deo ut summo totius universi provisori attribuenda est, atque intellectus divinus est ille, qui omnibus, quaecunque in humana vita accidunt, praesidet et regulam normamque ponit. Sed de his satis.

---

## ART. IV

### AD TERTIUM ARTICULUM EJUSDEM QUARTI CAPITIS, UBI EXAMINATUR A R. P. DUMMERMUTH Q. 3 DE MALO A. 3.

« Doctrina praedeterminationis physicae, sic articulus a R. P. inscribitur, probatur ex articulo 3 quaestionis 3 de Malo ». Hic licet nobis interim esse brevissimis. Recitato articulo, hoc modo prosequitur R. P. p. 144: « En littera articuli. Quaeritur, num ibi S. Doctor defendat sententiam, quam tuentur Thomistae an vero illam, quam propugnant eorum adversarii ».

At profecto aliud aliquid prius fuit necessario indagandum; num versaretur praesens articulus in ea omnino quaestione, quae agitur. Quaestio autem, quae agitur inter nos, haec est: num Deus, quatenus est prima causa per essentiam, debeat secundum D. Thomam physice praemovere, imo praedeterminare physice omnem causam secundam, atque humanam etiam voluntatem liberam ad determinatam prorsus actionem, ut ipsa revera producere quidquam valeat. Vel agitur de necessitate praedetermina tionis physicae ad omnem sine exceptione actum causae secundae (nomi natim voluntatis humanae) et idcirco quidem requisitae principaliter, quod essentialiter pendeat a prima causa.

Jam vero negamus, eam hic a S. Thoma quaestionem tractari. Neque enim sufficit ad ostendendum, eam hic quaestionem tractari et affirmari, quod in articulo dicitur, Deum, quippe qui sit prima causa, etiam volun-

tatis, *in* hac operari; *posse* voluntatem *inclinare*, in quodcunque voluerit; esse ipsum simul cum voluntate *perficientem et propriam actus voluntarii causam*, actionem autem perficientis causae *statim* sequi effectum; actum voluntatis *directe procedere a* voluntate et a Deo. Nam omnia haec videntur per se aeque vere dici in una quam in altera sententia; si autem alicui sententiae magis favent, favent sententiae Molinisticae. Hoc infra quidem, ubi de cap. 92 libri 3 cont. Gent. agetur, fuse et luculenter explicabitur; putamus vero facile id jam intelligi hic ab omnibus, qui superiora legerint. Sed, ut dictum est, infra omnia haec fuse explicabuntur; atque tunc videbimus, quomodo haec sint in sententia Molinistarum verissima; num omnia, quae hic et in laudato cap. 92 dicuntur, aeque vera sint in sententia Thomistarum, id illo loco item intelligetur.

Obiter tamen quaedam adnoto, quae Molinistis falso a R. P. hic imponuntur. Imponitur falsissime, « *Deum* [ *secundum hos* ] *suo concursu non influere in voluntatem, non movere voluntatem* ». Secundum autem Angelicum hoc loco: « *Deus in voluntate operatur, directe movet voluntatem, ipsam directe inclinat ad agendum* » (1). Quomodo verum est, Deum in voluntate non operari neque eam movere, si Deus ipsis auctoribus non solum habituali et innata inclinatione in bonum in voluntate operatur eamque movet, sed etiam concursus Dei simultaneus cum voluntate operante *est* terminative *essentialiter in ipsa voluntate, ut in subjecto* eamque movet? Hoc negari nequit. Est enim actus ipse voluntatis in ipsa ut in subjecto. Quo porro jure affirmari potest, Deum non movere voluntatem directe secundum eosdem, *quandoquidem docent, sine actuali Dei influxu physico, simultaneo, intimo actum voluntatis nullum elici posse; ipso solo creatam omnem causam proprias vires adaequate exercere posse et actu exercere?*

Quod autem R. Pater Aquinatem vult hoc loco dixisse, Deum inclinare voluntatem directe ad agendum, id plus est, quam revera hic affirmavit. Nam Aquinas tantum dicit, hoc *posse* facere Deum; non dicit, id *facere*, multo minus id facere *semper*, nisi forte ratione inclinationis illius naturalis in bonum commune Deus *in omni operatione voluntatis bona id facere dicitur*; nam effectus *per se* alicujus formae recte auctori illius formae adscribitur. Sed de hac inclinatione R. P. non vult hic sermonem esse.

Ita vero temperatis assertionibus, Molinistas repugnare S. Thomae, ne R. P. quidem contendet.

Secundo alterum ipsis a R. P. falso imponitur II., *quasi negent*, « *Deum esse proprie et vere causam actus liberi* ». Qui hoc opinatur, vereor ut intelligat omnino, quid Molinistae doceant. Vere dixisset R. P., si affirmasset, Molinistas non adscribere Deo *eum* modum causandi physice et efficienter actus liberos, quem ipse putat adscribendum esse. At profecto hoc plane aliud est. Ergo cum S. Thoma Molinistae fatentur et docent, Deum proprie et vere, directe et physice, idque non uno dumtaxat modo, cau-

(1) p. 144.

sam actionis et actus liberi arbitrii esse; negant vero, cum physica ad hunc individuum actum praedeterminatione causam illius exsistere.

Etiam aliud quiddam nimis confidenter videtur asseverare R. P., *non posse litteram intelligi « de motione ad bonum universale tantum*... Nam *per talem motionem* Deus est quidem proprie et vere causa actus, qui est appetitus boni in communi... non autem producit ipsum actum liberum, *non est causa perficiens et propria voluntarii actus* » (1). — Quid igitur S. Thomas? De hac praecise motione ad bonum in communi hoc loco aut unice aut maxime saltem loquitur. Nam postquam affirmavit, *Deum et voluntatem solas esse causas perficientes et proprias voluntarii actus,* quippe cum interius in ea operentur, id quod nulla alia possit causa, hoc modo prosequitur: « Cujus ratio est, quia *actus voluntatis* nihil est aliud quam *inclinatio quaedam voluntatis in volitum, sicut appetitus naturalis nihil est aliud quam inclinatio naturae in aliquid. Inclinatio autem naturae est a forma naturali et ab eo quod dedit formam* | utique inclinante per hanc formam |... *Sic ergo motus voluntatis procedit a voluntate et a Deo, qui est voluntatis causa* | utique inclinante per voluntatem |, *qui solus in voluntate operatur* » etc. Annon clare his verbis indicatur, Deum agere et operari, ut causam perficientem et propriam actus voluntarii media voluntate ejusque naturali inclinatione in bonum universale?

Et profecto, quî potest negari, Deum esse per voluntatem et ejus naturalem in bonum inclinationem proprie et vere causam actus deliberati *boni?* quod enim est causa causae, est causa etiam causati, saltem illius causati, quod *per se et prorsus connaturaliter* ab illa causa procedit. *Porro ad unam causalitatem boni actus voluntatis hoc loco causalitas Dei directa, et quae proprie dicitur, restringitur.* Etenim verba S. Thomae, quae modo laudavimus, alia haec statim excipiunt: « Deus autem non est causa peccati, ut supra ostensum est. *Relinquitur ergo, quod nihil aliud sit directe causa peccati humani nisi voluntas* ». Ita S. Thomas. Evidens porro est, hoc ultimum affirmari a S. Doctore non potuisse, si de praedeterminatione physica ad omnem actum ex sententia Thomistarum requisita hic egisset (quae est opinio R. Patris), non egisset autem de motione, quae convenit voluntati et Deo ratione inclinationis ad bonum universale naturaliter a Deo voluntati inditae, ut ipsi censemus. In hac quidem sententia verum est, Deum non exsistere causam peccati, quoniam omnis peccaminosa actio, *non est proprius usus, sed verus abusus* illius inclinationis voluntatis ad bonum in communi, et hac ratione omnis actus voluntatis malus est *effectus illius inclinationis per accidens.* Praedeterminatio vero Thomistarum physica, si qua omnino esset, tenderet de se et directe et unice et efficaciter in determinatam eam actionem, quae necessario homini est peccatum. Ergo evaderet ipsa certissime Deus directa et per se causa peccati hominis, ut supra demonstravimus. Hoc autem, Deus esse causam peccati,

(1) p. 145.

et secundum S. Thomam et secundum rei veritatem falsum est. Falsum est ergo illud quoque, Deum operari mediis praedeterminationibus physicis directe ad actus nostros omnes deliberatos; falsum, id a S. Thoma hic tradi.

---

## ART. V

### AD QUARTUM ARTICULUM R. P. DUMMERMUTH (1), OSTENDITUR, R. PATREM LOCO S. THOMAE 1, Q. 19, A. 3 FALSAM INTERPRETATIONEM ADHIBUISSE.

*In hoc articulo R. P. Dummermuth proponit ostendere, S. Thomam docuisse, « Deum physice praedeterminare voluntatem, quia ipsa sit ex se contingens et ad utrumlibet indifferens ».* — « Voluntatem, inquit, creatam physice praedeterminari a Deo, ratione suae contingentiae et indifferentiae, frequenter docet S. Thomas. Quaedam loca quibus S. Doctor hoc argumentum versat, praesenti articulo afferuntur et expenduntur.

« Primus locus habetur in 1ª Parte, qst. 19, art. 3. Docet ibi S. Thomas, Deum suam bonitatem necessario velle; alia vero a se non necessario nisi ex suppositione tantum, supposito enim quod alia a se velit, non potest non velle, quia non potest voluntas ejus mutari ». Contra secundam partem hujus conclusionis, arguit S. Thomas quinto loco : « Ab eo quod est ad utrumlibet, non sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo alio inclinetur ad unum, ut dicit Commentator in 2 Phys. text. 48. Si ergo voluntas Dei in aliquibus se habet ad utrumlibet, sequitur, quod ab aliquo alio determinetur ad effectum et sic habet aliquam causam priorem ».

« *Intentum arguentis est manifestum* : Quia voluntas divina, utpote prima causa, non potest habere causam priorem a qua efficienter vel physice determinetur, ut actu agat, necesse est ipsam ad utrumlibet non se habere, et omnia ex necessitate velle ».

Allata responsione S. Thomae hoc modo pergit R. P. : « Itaque discrimen est inter causam, quae est ex se contingens, et causam, quae ex se necessitatem habet. Causa quae est ex se contingens, ratione suae contingentiae et potentialitatis, indiget, quod a causa priore efficienter determinetur ad effectum. Causa vero quae ex se necessitatem habet, qualis est divina voluntas, non indiget, quod a causa priore determinetur, sed ipsa determinat seipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam. Atqui omnis creata voluntas est causa ex se contingens, ut per se patet. Ergo omnis creata voluntas, ut operetur, indiget, quod a causa priore determinetur i. e. praedeterminetur, efficienter et physice, seu ex parte potentiae quoad exercitium ».

(1) P. 146. sqq.

« Dictum est, *quoad exercitium ; revera enim S. Thomas in hac responsione loquitur de determinatione physica seu quoad exercitium, et non de determinatione objectiva seu quoad specificationem*. Hoc constat primo ex argumento, cui respondet, quod *aperte* procedit de causa praevie determinante per modum causae efficientis seu physicae. Secundo idem colligitur ex verbis responsionis ».

Hic sistamus. Primo aspectu dubium esse potest, num S. Thomas principium illud Averrois in argumento quinto plane in sensu ejus adhibuerit. Nam videtur S. Doctor id afferre, quasi satis universaliter secundum Commentatorem i. e. Averroem valeat, cum Commentator id restringat ad causas passivas. Ait enim Commentator : « Apparet igitur ex hoc, quod contingens aequaliter [ in utramque partem ] non invenitur in potentiis per se agentibus, sed in passivis ». Numquid enim libera causa non summopere activa est et maximae energiae ? Est profecto, si secundum se et quoad exercitium actus consideratur ; non est tamen, si comparatur ad suum objectum et specificationem actus ; sic aliquo modo passiva est et ideo inter potentias passivas recte recensetur. Audi de hac re disserentem Aquinatem q. 16 de Verit. a. 1 ad 13, qui locus quasi classicus est. « Non enim, inquit, distinguitur potentia activa a passiva ex hoc, quod habet operationem, quia cum cujuslibet potentiae animae tam activae quam passivae sit operatio aliqua, quaelibet potentia animae esset activa. Cognoscitur autem eorum distinctio per comparationem potentiae ad objectum. *Si enim objectum se habeat ad potentiam ut patiens et transmutatum, sic erit potentia activa, si autem e converso se habeat* [ *objectum* ], *ut agens et movens, sic erit potentia passiva*. Et inde est, quod omnes potentiae vegetabilis animae sint activae, quia alimentum transmutatur per potentiam animae tam in nutriendo quam in generando, sed potentiae sensitivae omnes sunt passivae, quia per sensibilia objecta moventur et fiunt in actu. Circa intellectum vero aliqua potentia est activa, alia passiva, eo quod per intellectum intelligibile in potentia fit intelligibile actu, quod est intellectus agentis, et sic intellectus agens est potentia activa. Ipsum etiam intelligibile in actu facit intellectum in potentia esse intellectum in actu, et sic intellectus possibilis erit potentia passiva ».

Hoc applicans ad potentias appetitivas ait 1, q. 80, a. 2 : « *Potentia appetitiva* [ *omnis* ] *est potentia passiva, quae* [ *quia* ] *nata est moveri ab apprehenso* ». Et revera ita est. Nam etsi objectum apprehensum non movet voluntatem, appetitumque generatim, motione physica et proprie efficiente, moraliter tamen et ut cognitum movet eum et ut ratio volendi atque per modum finis. Itaque quod Averroes tantummodo de passivis potentiis locutus est, id nihil obstat, quominus etiam de voluntate libera ibidem locutus esse censeatur ; haec enim etiam suo modo ab objecto apprehenso vere movetur ab eoque specificationem actus accipit, et hac ratione passiva potentia est et dicitur. Quinimo verba Commentatoris potissimum in liberis causis valere videntur. Nam libera causa maxime, atque sola perfecte

causa est ad utrumlibet simpliciter. Naturales enim causae et aliae animi potentiae omnes, sublatis impedimentis et positis omnibus, quae ad agendum requiruntur, ipsa natura sua ad agendum et ad hoc agendum determinantur actumque retinere non possunt.

Quando vero ad liberas causas principium Commentatoris applicatur, sicut hic videtur a S. Thoma applicari (1), dubium plane est, num secundum intentionem arguentis manifestam, ita R. P. opinatur, de efficiente et physica determinatione harum causarum per aliam causam illud principium intelligendum sit. Etenim primo ipse arguens, vocibus multo lenioribus et de se ambiguis inclinandi et determinandi in argumento usus est. Crescit vero dubitatio, quando videris ne determinandi quidem verbum apud Averroem occurrere, multo minus determinandi efficienter et physice. Textus enim hic est : « Si aliquid est contingens aequale, impossibile est ut inveniatur ex eo altera duarum actionum, nisi altera causa sit juncta cum eo, quoniam neutra actio est dignior, ut sit, reliqua ; et cum ita sit actio, non invenitur ex eo quod est contingens aequaliter, nisi ex aliqua causa extrinseca conjuncta cum eo ». Ubi solum hoc indicatur, ad causas, quae sunt suo modo ad utrumlibet (2), ut sequatur determinata actio, accedere debere aliam causam, quae *aliqua tandem ratione*, ipsarum indifferentiam tollat ; particularis autem quidam modus, quo altera causa indifferentiam illam tollere debeat, non indicatur. Quo ergo jure R. Pater arguentis propositum ad determinationem efficientem et physicam causae agentis, quam quidem determinationem ipse vult esse determinationem quoad exercitium physicamque praedeterminationem Thomistarum, restringit atque coarctat ? *Atque id facit, quod plane notandum est, contra naturalem indolem omnis causae passivae, prout exposita definitione ejus manifestum est.* Vide locum S. Thomae p. praecedenti allatum ex q. 16 de Verit.

Et re quidem vera, ubi Cajetanus in suo commentario ad 1, q. 80, a. 1 explicat, quomodo appetitus sit potentia passiva *nullo modo quaestionem esse vult de exercitio actus, saltem quoties de libero appetitu agitur, sed conformiter ad principia S. Thomae de sola specificatione actus.* Ait enim : « Quoad secundum sciendum est, quod cum in appetitione omni sunt duo, scl. exercitium ipsius et specificatio, et utrumque inveniatur de se et de novo, oportet utriusque ponere aliquam causam in genere causae efficien-

(1) Videtur, inquam. Ferrariensis enim opinari videtur (ad l. 1 cont. Gent. c. 82 § « Ad secundum ») vel hic principium Commentatoris non intellexisse S. Thomam de liberis causis, sed de solis agentibus naturalibus.

(2) Ad utrumlibet vel contingens aequale sunt causae diversissimae rationis, v. g. sensus et externi et interni, intellectus etc. ; denique omnes illae causae ac potentiae, quae non sunt a natura ad certam speciem infimam actuum producendam determinatae, sed quae eam specificationem et determinationem a momento externo eas specificante sibi exspectant. Quod tamen ipsum non oportet semper in causa ipsa agente potentiaque tanquam in subjecto aliquid prius producere, ut haec deinceps causa contingens aequalis hoc modo intrinsecus aucta et determinata actum elicere possit vel debeat. Id non esse necessarium, elucet v. g. in intellectu, quando objectum sine ulla physica impressione sufficienter ei applicatur praesensque sistitur. Nihil in ipso prius fit et tamen ipse ex indifferentia sufficienter extrahitur.

tis [scl. late hanc vocem sumendo, ut ex sequentibus patet], alioquin daretur aliud a Deo inventum per se et de novo, absque per se efficiente, quod est impossibile omnino. *Exercitii autem appetitionis, si libera est, procul dubio appetitus ipse causa est activa; liberum enim est quod sui causa est, servit autem omne, quod agitur.* . . Et in hoc fere omnes convenimus. *Sed de specificationis causa quaestio est;* oportet enim vel appetitum vel objectum talem esse causam, praeter enim haec duo nihil per se requiritur ad appetendum, *supposito universali agente Deo glorioso, de quo non est sermo,* cum proprias causas actionum nostrarum quaerimus. Quod autem appetitus non est per se causa sufficienter effectiva ad specificationem sui actus, patet ex eo, quod » etc.

*Secundum ergo Cajetanum, qui sequitur S. Thomam, in hujusmodi quaestionibus non quaeritur nec de cooperatione Dei nec de determinatione actus quoad exercitium, sed de una determinatione actus quoad specificationem. Secundum vero P. Dummermuth manifesta arguentis intentio non est de hac determinatione posteriore sed de illa priore.* Cui potius credemus? Cajetano an R. Patri?

Respondebit hic fortasse, mox manifestum fore, inclinationem, cujus mentio fit in objectione, intelligi non posse aliud, nisi determinationem ipsius causae physicam ad agendum ab alia priore causa vere efficienter factam; propter ea scl. quae in responsione S. Thomas dicet. Nam in ea S. Doctor videtur objectionem quoad causas ex se contingentes plene concedere, quoad primam causam negare. Porro videtur R. Patri clarum esse, agi ibi de praedeterminatione physica Neo-Thomistarum causis ex se contingentibus necessaria.

At demus hoc responsum verum esse, licet verum non sit, assertio tamen R. Patris falsa maneret: *intentum* arguentis *manifesto* versari in necessitate asserenda determinationis efficienter et physice a priore causa producendae pro causis omnibus creatis, quomodocunque ad utrumlibet. Nam hoc non per se manifestum esset, sed ex responso colligeretur.

Ipsum autem jam responsum S. Thomae audiamus, et videamus, cujus causam juvet.

Respondet igitur D. Doctor: « Ad quintum dicendum, quod causa quae est ex se contingens, oportet, ut determinetur ab aliquo exteriori ad effectum; sed voluntas divina, quae ex se necessitatem habet, determinat seipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam ».

Responsionis hujus sensus hic est: Causa ad utrumlibet, *quae est in suo esse contingens* (1), cum ejus entitas, qua talis et per se, non sit sibi ad omnia plene sufficiens, quemadmodum sibi ad omnia sufficit Deus: indi-

(1) Nota hic, causas creatas posse ex se contingentes dici dupliciter: aut quoad effectum, quem ipsae producunt, qui potest sequi aut non sequi, aut quoad esse quod contingenter habent. Cum in hoc responso contingentia secundarum causarum opponatur necessitati, quae competit causae primae, quae ipsa tamen etiam suo modo est contingens ad effectus suos producendos, consequitur, causas secundas contingentes hic appellari ob ipsum esse seu ob exsistentiam contingentem.

get aliqua determinatione a causa exteriore proveniente, ut effectum aliquem possit producere; divina vero voluntas, licet sit ad utrumlibet, idque perfectissimo modo, ob contrariam rationem, quoniam sibi ad omnia est sufficientissima, nulla causa nullaque determinatione externa ad agendum indiget.

*Si autem jam quaeritur,* quod sane quaerendum est, *quidnam et cujus generis secundum S. Thomam sit illud momentum, quo causa contingens ad utrumlibet sufficienter ad actum proprium eliciendum determinetur,* nihil hic opus est incertis conjecturis uti; cum ipse S. Doctor mentem suam circa hanc quaestionem et plane et accurate aperuerit.

Adeamus locum, ad quem nos Cajetanus in suo ad hunc locum (1, q. 19, a. 3) commentario remittit. Exstat is l. 1 C[a] Gent. c. 82, § « Quamvis ». Ibi hanc quaestionis positae solutionem invenimus: « Quamvis, inquit S. Doctor, divina voluntas ad sua causata non determinetur [per sese et necessario ], non tamen oportet dicere, quod nihil eorum velit, *aut quod ad volendum ab aliquo exteriore determinetur.* Cum enim bonum apprehensum voluntatem sicut proprium objectum determinet [ scilicet quoad specificationem ], intellectus autem divinus non sit extraneus ab ejus voluntate, cum utrumque sit sua essentia, *si voluntas Dei ad aliquid volendum per sui intellectus cognitionem determinetur, non erit determinatio voluntatis divinae per aliquid extraneum facta.* [Atqui sic est]. *Intellectus enim divinus non solum apprehendit divinum esse, quod est bonitas ejus, sed etiam alia bona ut supra ostensum est; quae quidem apprehendit ut similitudines quasdam divinae bonitatis et essentiae,* non ut ejus principia; et sic divina voluntas in illa tendit, ut suae bonitati convenientia, non ut ad suam bonitatem necessaria ».

*Ideo* ergo secundum D. Thomam *divina voluntas non per aliquid externum determinatur, quia intellectus divini cognitio,* quae cum voluntate divina divinaque essentia una res et simplex est, *voluntatem divinam suo modo ad volendum determinat,* et quia res, quae a Deo intelliguntur, praecise ut sunt divinae essentiae similitudines, intelliguntur. *Quae determinatio voluntatis Dei,* ut illud jam hoc loco notem, *sane non potest ullo modo intelligi quoad exercitium actus* voluntatis divinae ad extra; sic enim Deus diversa a se necessario vellet, sicut ea necessario intelligit, *sed solum quoad specificationem* actus divini id intelligendum est. Restringentem vero ideo adhibui loquendi rationem, cum dixi « suo modo », quoniam certum quoddam *objectum* est, quod magis proprie specificat divinam volitionem, *increata nimirum Dei bonitas ut sic;* nullo vero modo *proprie* specificat divinam volitionem *cognitio* divinae bonitatis; atque multo minus aliarum rerum cognitio, quae a Deo diversae sunt.

Quia vero objectum, « bonum apprehensum », specificat suo modo actum; nec objectum actum voluntatis specificat nisi cognitum: *specificatio actus voluntatis lato quodam modo cognitioni ipsi adscribitur.* Quoniam vero *haec specificatio actus eum in ordine ad objectum circumscribit atque de-*

*terminat*, quod etiam suo modo vel de objectis voluntatis mere materialibus valet (nam objectum etiam materiale vere volumus, ejusque volitione vim volendi ad determinata media amplectenda quasi restringimus et circumscribimus), *ideo etiam affirmari recte potest*, quod a S. Thoma hoc loco reapse dicitur, *cognitione vel cogitatione determinari actum voluntatis in ordine ad volitum*. Denique quoniam cognitio, volitio, essentia in Deo idem sunt, *recte etiam asseritur, voluntatem divinam hoc modo determinari seipsa et non per aliquid a se diversum ad volitum*, eo magis quod res, quas apprehendit divina cognitio, apprehendit, ut similitudines quaedam sunt divinae ipsius bonitatis et essentiae (1).

*Ita jam patet, quod genus determinationis ab externa causa proficiscentis S. Doctor necessarium esse velit in causis creatis liberis, ut agere possint. Scilicet est illud, quod pertinet ad specificationem actus, non illud, quod pertinet ad exercitium actus. Exhibetur enim objectum, quod specificat proprie actum, mentis cogitatione*. Haec autem *cogitatio*, quae hac ratione manifesto ad specificationem actus voluntatis in ordine ad objectum pertinet, *entitative distincta* est et ab humana voluntate et a substantia animae humanae, atque illis, imprimis vero potentiae voluntatis, simpliciter externa est. Sic humana voluntas ab extrinseco in ordine ad objectum determinatur. Haec est explicatio ab ipso S. Doctore II. data de iis, quae in 1ª Parte, q. 19, a. 3 ad 5 innuit magis quam explicavit (2).

Quomodo vero R. P. Dummermuth hoc Doctoris responsum (ad 5) explicat? « Itaque discrimen est, inquit, inter causam quae est ex se contingens et causam quae ex se necessitatem habet. *Causa, quae est ex se contingens*, ratione suae contingentiae et potentialitatis, indiget, quod *a causa priore efficienter determinetur ad effectum*. Causa vero, quae ex se necessitatem habet, qualis est divina voluntas, non indiget quod a causa priore determinetur, sed ipsa determinat seipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam. Atqui omnis creata voluntas est causa ex se contingens, ut per se patet. *Ergo omnis creata voluntas, ut operetur, indiget quod a causa priore determinetur, id est praedeterminetur, efficienter et physice, seu ex parte potentiae quoad exercitium* ». Haec prorsus indigere probatione, R. P. Dummermuth sensit; addidit igitur probationem.

Pergit ita: « Dictum est « quoad exercitium »; *revera enim S. Thomas in hac responsione loquitur de determinatione physica seu quoad exercitium, et non de determinatione objectiva seu quoad specificationem*. Hoc constat primo ex argumento, cui respondet quod aperte procedit de causa praevie determinante per modum causae efficientis seu physicae ». — Hanc provo-

(1) Adhibere vocem determinationis relate ad objectum minime est a modo loquendi S. Thomae alienum ; v. g. de Malo q. 6, art. unic. § « Sic ergo » valde accomodate ad locum, quem modo tractamus, ait : « Sic ergo ad ostendendum, quod voluntas non ex necessitate movetur, oportet considerare motum voluntatis, et quantum ad exercitium actus et quantum *ad determinationem actus, quae est ex objecto* ». Cfr etiam 1. 2, q. 9, a. 1.

(2) Cfr Ferrariensis ad hunc locum l. 1. ea Gent. c. 82.

cationem ad intentionem arguentis nihil esse, supra vidimus. Est saltem gratuita R. Patris suppositio, arguentem vocem « inclinandi » de determinatione physica et quoad exercitium intellexisse. —

« Secundo idem colligitur ex verbis responsionis. Dicit S. Doctor, quod « voluntas divina, quae ex se necessitatem habet, *determinat seipsam* ad volitum ». Hoc verum est de determinatione quoad exercitium, *non autem de determinatione quoad specificationem;* nam hoc modo « *voluntas Dei ad aliquid volendum per sui intellectus cognitionem determinatur* » (1. 1. contra Gent. c. 82); sicut etiam voluntas creata determinatur quoad specificationem a proprio intellectu objectum praesentante. Ergo de determinatione quoad exercitium intelligenda est doctrina S. Thomae ». —

Si verba haec R. Patris sensum habent, debet profecto esse hic, ut quod ad exercitium voluntatis et libertatis divinae attinet, dici quidem debeat, voluntatem divinam seipsam determinare, quod autem attinet ad specificationem actus, dicendum sit, eam ab alio determinari. At hoc ipsum est illud, quod negat S. Doctor ll. cont. Gent. Non potest dici, voluntatem divinam ab alio determinari quoad specificationem actus, quando per intellectus sui cognitionem determinatur : ita ll. S. Thomas. De determinatione autem voluntatis divinae quoad exercitium ne cogitavit quidem S. Doctor, quando ejus determinationem per alium negat; adeo hujusmodi quoad exercitium determinatio, ubi de libera causa agitur, aliena est a mente Aquinatis. Dubitasne, num haec ita sint? Audi ergo ipsum Aquinatem. Opposuerat sibi initio capitis 82 quarto loco : « Item : si, quod est ad utrumlibet, indifferenter se habens, non magis in unum quam in aliud tendit, nisi ab alio determinetur, oportet quod Deus vel nihil eorum velit ad quae ad utrumlibet se habet, cujus contrarium supra ostensum est; vel quod ab alio determinetur ad unum, et sic erit aliquid eo prius quod ipsum determinet ad unum ». Vides eandem prorsus hic difficultatem a D. Thoma moveri quam iterum movet loco quinto qst. 19 in 1ª parte. Numquid ergo quidquam sollicitus est de excludendo alio determinante quoad exercitium a voluntate Dei? Ne verbo quidem hoc innuit. Sed unice in hoc incumbit, ut ostendat, si Deus determinetur quoad alia a se per sui intellectus cognitionem, eum non ab alio, sed a seipso determinari. Ergo quod hic R. P. dicit de determinatione excludenda a divina voluntate libere volente quoad exercitium, id in textu ne levissimum quidem fundamentum habet; quod vero in ipsius doctrina manifesto implicatur, posse scilicet recte dici, voluntatem divinam determinari quoad specificationem ab alio scl. a divino intellectu objectum praesentante, id aperte D. Thomae contradicit. Ait enim D. Thomas elevans allatam objectionem: « Quamvis autem divina voluntas ad sua causata non determinetur (scl. de se et necessario), non tamen oportet dicere, quod nihil eorum velit, aut quod ad volendum ab aliquo exteriori (in objectione fuit: « ab alio ») determinetur. Cum enim *bonum apprehensum voluntatem sicut proprium objectum determinet, intellectus autem divinus non sit extraneus ab ejus voluntate, cum utrumque sit sua es-*

*sentia, si voluntas Dei ad aliquid volendum per sui intellectus cognitionem determinetur, non erit determinatio voluntatis divinae per aliquid extraneum facta* ». Hic habetur manifesta inter S. Doctorem et R. Patrem pugna et contradictio. Quod cum ita se habeat, non est cur reliquam disceptationem R. Patris ad hunc locum Aquinatis ulterius prosequamur. Apertum est, eum hic doctrinam sui magistri non reddidisse et explicasse, sed deseruisse.

Quae insuper in hoc quarto articulo apud R. Patrem sequuntur dicta D. Thomae, sunt supra omnia exposita et elucidata, quamque nihil causam ipsius juvarent, uberrime demonstratum est. Vide supra pag. 154 sqq.

---

## ART. VI

### AD ARTICULUM QUINTUM R. P. DUMMERMUTH, IN QUO DISCEPTATUR DE ART. 4 EX 1. 2, Q. 10. (1).

Quamvis de doctrina hujus articuli S. Thomae jam supra pluribus egerimus (2), restant tamen quaedam attingenda. *Quaeritur a S. Doctore, utrum voluntas moveatur de necessitate a Deo* ». Circa propositum hujus articuli R. Pater haec animadvertit. « Certum est, inquit, p. 161, S. Doctorem in hoc articulo loqui *de motione physica* voluntatis. Inquirit enim in quaestione 10 *de modo quo voluntas moveatur a duplici motivo suo, ab objecto scilicet quoad specificationem* in tribus prioribus articulis; *et a Deo quoad exercitium* in articulo 4. Etiam certum est, S. Thomam agere de motione praevia; nam de illa motione tractat, qua voluntas creata a Deo movetur; talis autem motio praevia est motioni voluntatis, ut per se patet ».

Haec verba ita comparata sunt, ut facile legenti ingerant falsam conceptionem circa quaestionem, quae hic agitur. Integra quaestio decima est utique, « *de modo*, quo voluntas movetur ». At quando singulos quatuor articulos percurrimus, in quos quaestio divisa est, manifesto apparet, *modum, de quo agitur, situm esse in necessitate aut in non necessitate motivorum* (3) *voluntatem ad agendum moventium. Quaestio ergo non est, num objectum moveat voluntatem humanam quoad specificationem, Deus autem eam moveat quoad exercitium ;* sed quaestio, quae proprie agitur, haec

(1) Cfr Dummermuth p. 160 sqq.

(2) Cfr supra pag. 138 sq. Hic articulus ansam dedit, ut videtur, ad Neo-Thomismum invehendum, ut infra videbimus.

(3) Motivum est S. Thomae omne id, quod confert aliquid positive ad aliquem motum voluntatis excitandum, producendum vel eliciendum: sic etiam *intellectus* repraesentans bonum est motivum actus voluntatis. Cfr hic qst. 9 per totam.

est, num diversa, quae in voluntatis motum influunt motiva, voluntatem *aut necessario aut non necessario moveant.*

Inspiciendae dumtaxat sunt inscriptiones articulorum, ut hoc ita esse pateat.

Inscribitur articulus 1 : « Utrum voluntas ad aliquid *naturaliter* (i. e. necessario) moveatur » ; inscribitur articulus 2 : « Utrum voluntas moveatur *de necessitate* (1) a suo objecto » ; articulus 3 : « Utrum voluntas moveatur *de necessitate* ab inferiori appetitu » ; articulus denique 4 : « Utrum voluntas moveatur *de necessitate* ab exteriori motivo, quod est Deus ». — Unde falso opineris, S. Thomam in prioribus tribus articulis nihil docere quam quod pertineat ad specificationem actus per objectum, in quarto autem nihil quam quod ad actus exercitium pertineat, id, quod perperam R. P. verbis allatis significat. Imo de hac re signate et explicite, vel, si ita loqui placet, formaliter omnino nihil in his articulis profert ac disputat, quamquam id materialiter aliquatenus attingi, planum est. —

Habemus ergo quodnam sit punctum controversiae in tota quaestione 10. Quando porro in quarto articulo quaeritur : « Utrum voluntas moveatur de necessitate ab exteriori motivo, quod est Deus » : fateor, non hic primo et per se illud quaeri, num Deus mediante objecto [indirecte et moraliter] voluntatem ad agendum necessitet; quam in hac vita non necessitari ullo proposito objecto, ex praecedentibus articulis, jam constat. Agitur ergo revera de illo motionis genere, quod Dei est proprium. Hoc autem duplex est : unum Deo competit, quatenus ipse unus naturae rationali nisum inseruit in bonum commune. Cfr 1. 2, q. 9, a 6 in corp. et ad 3; et 1, q. 105, a. 4. Alterum ei competit, quatenus ipse potest directe et physice voluntatem inclinare atque immutare perfecte et imperfecte in omne id, quod ipsi placuerit. Cfr 1, q. 111, a. 2; de Ver. q. 22, a. 9. Nec de priore motione hic S. Thomas agit. Quae enim ad eam pertinent, satis prioribus articulis 1 et 2 expedita et declarata sunt. Relinquitur ergo, ut de posteriore immutationis genere hic dicat, ne gravissimum quoddam caput ad controversiam pertinens omisisse videatur.

Quodsi porro quaeritur, num quid S. Thomas de eo motionis genere hic dixerit, quod formali ad opera nostra concursu Dei continetur : respondetur, nihil in articulo occurrere, cur opinemur, eum de hac motione hoc loco quidquam sollicitum fuisse. Quinimo circa concursum rite conceptum haec quaestio, num de necessitate moveat voluntatem, inconveniens est, quemadmodum ex superioribus patet.

Quidquid vero de hac quaestione senseris, quod caput rei est nobis, id S. Thomas diligenter hic fecit : *talia* nimirum *hoc loco elocutus est principia, quibuscum praemotio ac praedeterminatio physica Thomistarum componi non possit.* Vide supra pag. 138.

(1) Adnimadvertit Cajetanus hic : « In titulo articuli necessarium sumitur vere et proprie, quod scl. impossibile est aliter se habere ».

At argumenta jam audiamus, quae R. Pater sibi videtur pro sua de praedeterminationibus physicis sententia in articulo invenisse.

« *Hoc inprimis, inquit, ostenditur ex argumentis, quae sibi opponit S. Thomas.* Primum est illud ipsum, quo communiter utuntur Molinistae contra Thomistas, ad probandum Deum non posse determinare voluntatem absque praejudicio libertatis. Quid vero respondet S. Doctor? Non dicit divinam motionem indifferentem esse, et a causa secunda determinari (1) seu modificari. Non recurrit ad praescientiam eventuum exploratricem, qua praevidet Deus, quaenam motio effectum infallibiliter habitura sit ex libero consensu et quaenam non (2). Non asserit ideo voluntatem creatam divinae resistere non posse, quia « tantae sunt divinae Omnipotentiae divitiae gratiarum, tam multiplices Providentiae rationes, ut modi viaeque deficere non possint, quibus Deus, *scientia media certissime dirigente*, ad quemlibet actum moveat et ducat ». (Schneemann. Controv. p. 17) (3). Haec omnia ne somniavit quidem S. Thomas. [ Certe haec S. Thomas non somniavit; sed ea mentis claritate, qua singulariter excellebat, satis distincte haec ipse omnia, satis perspicue pro ea, qua florebat aetate multis locis enuntiavit ]. *Recurrit ipse ad divinam voluntatem, quae tantae efficaciae est, quod non solum se extendat ut aliquid* (utique determinatum) *fiat per rem quam movet, sed etiam eo modo fiat, quo congruit naturae ipsius. Ideo voluntas creata divinae non resistit, quia Deus, quando voluntatem creatam ad aliquid movet vel determinat, sua motione non solum attingit substantiam actus, sed et modum libertatis.* Hanc responsionem quam perpetuo (?) adhibet S. Doctor, adhibent etiam Thomistae ad Molinistarum argumentum solvendum ».

Fortasse nonnemo optabit audire, quomodo hoc: quia Deus motione sua attingat modum libertatis (opinor, esse modum istum realem, quem fingunt Thomistae in omni actu libero prae necessario et indeliberato inveniri tanquam in subjecto), quomodo, inquam, hoc conferat quidquam ad hunc effectum, ut voluntas creata divinae motioni resistere non possit. At hoc transeat.

Non tamen transmittere ullo modo possumus aliud: *quod hic notio libertatis atque modus influendi Dei in agentia libera contra explicitam doctrinam S. Thomae a R. P. pervertitur.*

Atque in sectionibus 2ª et 3ª hujus operis multis argumentis effecimus, secundum S. Thomam libertatem praecise in eo consistere, ut agens determinet seipsum et non ab alio determinetur, ne ab ipso Deo quidem, si tamen determinatio ad unum agendum stricte et formaliter sumitur.

*In hoc autem articulo modus, quo Deus communiter saltem et ordinarie in liberas causas influit ita describitur, ut hoc influendi modo harum causarum*

(1) Contenditne R. Pater, hoc nunquam S. Thomam dicere ?— Videat locos supra explanatos p. 121: q. 1 de Pot. a. 4 ad 3; q. 5 de Ver. a. 9. ad 10; 3 cont. Gent. c. 66, n. 5. etc.

(2) Cfr ut cernatur, quam vere hoc dicatur, 1 q. 116, a. 3 et quae aliquanto ante pag. 284 ad eum locum disputavimus. Praeterea q. 6 de Ver. a. 3 ad 8; Quodl. 12. a. 3 ad 2.

(3) Hic quaeso cfr q. 6 de Ver. a. 3 et quae supra pag. 170 sq. in hunc articulum dicta sunt.

*indifferentia non tollatur.* « Sed contra est, inquit S. Doctor, quod dicitur Ecclesi. 15 : « Deus ab initio constituit hominem, et reliquit eum in manu consilii sui » ; non ergo ex necessitate movet voluntatem ejus ».

« Respondeo dicendum, quod sicut Dionys. dicit 4. cap. de div. nom. « Ad providentiam divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare ». Unde omnia movet secundum eorum conditionem; ita quod ex causis necessariis per motionem divinam consequuntur effectus ex necessitate: ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingenter. Quia igitur voluntas est activum principium *non determinatum ad unum,* sed indifferenter se habens ad multa: sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinat sed remanet motus ejus contingens et non necessarius, nisi in his ad quae naturaliter movetur ».

Non igitur Deus voluntatem humanam ad unum simpliciter et in particulari determinat; sed quamvis Deus aliquo modo possit dici ad unum determinare hominem, scilicet quoad specificationem et objectum, tamen hujusmodi determinatio laxiore tantum modo determinatio vocatur et est. Non est determinatio ex necessitate, non est determinatio simpliciter et ad exercitium actus, quae, ut supra pag. 292 sq. ex S. Thoma demonstravimus, et hic cognoscitur ex verbis: « principium non determinatum ad unum », est plane idem atque determinatio ex necessitate (1).

Quando igitur S. Thomas hic negat, hominem determinari a Deo ex necessitate, negat, eum determinari a Deo simpliciter, negat, eum praedeterminari physice modo Thomistico, quia ea praedeterminatio physica est certe determinatio agentis ad unum simpliciter. Est enim non solum determinatio ad determinatum objectum, sed etiam ad determinatum actum, imo est determinatio etiam ad modum actus.

*Si ergo S. Thomas respondisset ad primum, quod R. P. Dummermuth eum hic respondentem facit, aperte sibi contradixisset: secundum enim articulum Deus in humanam voluntatem ita influit, ut ejus indifferentia maneat, homoque perseveret esse dominus sui actus; tali vero responso in sensu R. Patris sublata esset divino influxu omnis indifferentia; esset homo adstrictus divinitus ad unum agendum simpliciter,* quamvis vel sic homo a Thomistis dominus sui actus appelletur.

Si vero R. Patris interpretatio hujus loci falsa est, quomodo jam *responsum ad 1 ipsi* interpretabimur? Ut interpretatio rite fiat, praemittimus ipsam objectionem et responsum:

« Ad quartum, inquit, sic proceditur : Videtur quod voluntas ex necessitate moveatur a Deo. Omne enim agens, cui resisti non potest, ex necessitate movet. Sed Deo cum sit infinitae virtutis, resisti non potest. Unde dicitur ad Rom. 9 : « Voluntati ejus quis resistit » ? Ergo Deus ex necessitate movet voluntatem ».

« Ad primum ergo dicendum, quod voluntas divina non solum se extendit, ut aliquid fiat per rem, quam movet: sed ut etiam eo modo fiat,

(1) Mox in ipso hoc articulo, quam hoc verum sit, etiam uberius explicabitur.

quo congruit naturae ipsius. Et ideo magis repugnaret divinae motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod suae naturae non competit, quam si moveretur libere, prout competit suae naturae ».

Dicimus igitur, fieri utique non posse, ut ei voluntati Dei, qua simpliciter et absolute aliquid vult — voluntate, ut aiunt beneplaciti absoluti — aliquis resistat, sed hoc ideo est, quia divina voluntas atque omnipotentia tantae est latitudinis ( « adeo se extendit » ), ut licet finem suum absolute intentum certissime assequatur, mediis tamen eum assequatur, quae modo operandi liberae creaturae conveniant : scl. quae ejus indifferentiam antecedentem sartam tectam servent i. e. mediis utitur de se indifferentibus.

*Atque haec adeo doctrina D. Thomae est, ut vel in ordine divinae praedestinationis S. Doctor omnino vetet, ne in ipso praedestinato aliquid cogitemus, quod ita comparatum sit, ut ex sese praedestinatum in finem salutis transmittat.* Hujusmodi autem aliquid essent praedeterminationes physicae.

Haec constant ex doctrina S. Thomae in Quodlib. 12, a. 3 ad 2. Ea jam audiamus. « De formis dicendum, inquit, quod aliter est *de formis realibus et aliter de praedicatis, quae important aliquid pertinens ad ordinem rationis,* quia *in primis scl. realibus,* si in iis debeat habere locum talis distinctio [ nimirum attributio alicujus rei recte facta subjecto secundum se considerato, et negatio ejusdem rei ab eodem subjecto, ut subjectum est sub quadam forma ] *oportet inesse separationem in re et in consideratione ; in secundis non requiritur, sed oportet quod res cadat sub alia consideratione : sic dico, quod iste praedestinatus potest considerari vel ut in se, vel ut divinae cognitioni relatus, et sic uno modo attribuitur illi, quod potest damnari, alio modo non* ».

Si hic S. Thomas in praedestinatis ut in subjectis supponeret aliquam formam vel, si ita placet, aliquas intentiones transeuntes reales, quibuscum effectus perseverantiae in bono ab intrinseco necessario connexus esset, quemadmodum id supponunt debentque supponere Thomistae, doctrina illata falsa esset. Quodsi enim ita est, non potest ullo vero sensu secundum D. Doctorem dici : *posse praedestinatum damnari,* nisi illa forma prius re auferretur. Atqui id tamen dici potest vero aliquo sensu, etiam manentibus omnibus, quae intrinsecus ex praedestinatione praedestinato obveniunt. Ergo non mediis formisque realibus vel intentionibus transeuntibus, quas ex se repugnat deficere, *ergo non praedeterminationibus physicis, Deus praedestinationis effectum certissime et infallibiliter consequitur.* Cf. de Ver. q. 6, a 3 ad 7 et 8 ; 1 Dist. 40, q. 3, a 1 ad 4.

*Imo cum S. Doctor insuper addat ll., tantummodo sub hoc respectu vere dici, praedestinatum non posse damnari, quatenus eventus salutis ad divinam scientiam refertur : infallibilitas hujus eventus in homine praedestinato a divina scientia formaliter repetitur. Atqui hoc optime cum nostro, nullo modo cum systemate Neo-Thomistico congruit.*

Eadem doctrina traditur in 1, q. 14, a. 3 ad 3 his verbis : « Ad tertium,

inquit S. Doctor, dicendum, quod ea, quae temporaliter in actum reducuntur, a nobis successive cognoscuntur in tempore, sed a Deo in aeternitate, quae est supra tempus. Unde nobis, quia cognoscimus futura contingentia in quantum talia sunt, certa esse non possunt, sed soli Deo, cujus intelligere est in aeternitate supra tempus. Sicut ille, qui vadit per viam, non videt illos, qui post eum veniunt, sed ille, qui ab aliqua altitudine totam viam intuetur, simul videt omnes treanseuntes per viam. Et ideo illud [futurum], quod scitur a nobis, oportet esse necessarium etiam secundum quod in se est, quia ea, quae in se sunt *contingentia* futura, a nobis sciri non possunt. *Sed ea, quae sunt scita a Deo, oportet esse necessaria secundum modum, quo subsunt divinae scientiae, ut dictum est (in corpore articuli), non autem absolute, secundum quod in propriis causis considerantur. Unde et haec propositio: omne scitum a Deo necessarium est esse, consuevit distingui, quia potest esse de re et de dicto. Si intelligatur de re, est divisa et falsa.* Et est sensus: omnis res, quam Deus scit, est necessaria. Vel potest intelligi de dicto, et sic est composita et vera; et est sensus: hoc dictum, scitum a Deo esse est necessarium (1).

« *Sed obstant quidam dicentes quia ista distinctio habet locum in formis separabilibus a subjecto,* ut si dicam, album possibile est esse nigrum. Quae quidem de dicto est falsa et de re est vera. Res enim quae est alba, potest esse nigra; sed hoc dictum, album esse nigrum, nunquam potest esse verum. In formis autem inseparabilibus a subjecto non habet locum dicta distinctio, ut si dicam, corvum nigrum possibile est esse album, quia in utroque sensu est falsa. *Esse autem scitum a Deo est inseparabile a re; quia quod est scitum a Deo, non potest non esse scitum.*

« *Haec autem instantia locum haberet, si hoc quod dico scitum importaret aliquam dispositionem* (2) *subjecto inhaerentem, sed cum importet actum scientis, ipsi rei scitae, licet semper sciatur, potest aliquid tribui secundum se, quod non attribuitur ei in quantum stat sub actu sciendi.* Sicut esse materiale attribuitur lapidi secundum se, quod non attribuitur ei secundum quod est intelligibile ».

Ergo etiam ex hoc loco idem eruitur, quod supra docuimus: formae seu quasi formae (« aliqua dispositio », inquit S. Doctor) subjecto inhaerentes, quae certum effectum secum ferunt, ex doctrina S. Thomae hoc loco tradita, libertatem effectus tollunt, quia necessitatem absolutam inducunt, donec re separentur. Quare quod jam attinet ad praedeterminationes Neo-Thomistarum dicendum est, iis libertatem effectus penitus auferri. Etenim 1° quidem subjecto ut formae vel quasi formae (dispositiones) vere in-

(1) Sensus est: scitum a Deo, quatenus praecise Dei cognitioni, quae falli non potest, substat, est necessarium. Nam id, quod est, quatenus est, simul non esse vel aliter esse non potest. At hoc de rei necessitate, quae substat divinae cognitioni et scientiae, simpliciter nihil praejudicat: potest enim res esse necessaria necessitate antecedenti, et ita est vere et simpliciter necessaria; potest etiam esse necessaria tantum necessitate consequenti; sic autem est necessaria secundum quid et consequenter, simpliciter vero contingens et libera.

(2) Nota vocem « dispositionis », quae minus dicit quam forma et amplius patet.

haerent, etsi transeunter tantum inhaerent; 2° certum effectum, atque in causa nostra actum vitalem, quem Thomistae liberum dicunt, subjecto inhaerentes secum afferunt. Ergo cum secundum S. Thomam necessitate absoluta inducunt.

Doctrina vero Molinistarum cum principiis S. Thomae, etiam hoc loco enuntiatis, praeclare congruit. Secundum ipsos enim, quae rei a Deo scitae convenit necessitas, quoties res scita liberum futurum est, non provenit a forma vel quasi forma subjecto inhaerente, sed ab *una* scientia Dei, quae utique cum suum objectum esse supponat, est necessitas mere consequens, nequaquam vere antecedens et absoluta. — Sed de hac quaestione satis.

Pergit jam R. Pater: « In secunda objectione S. Thomae (contra doctrinam articuli hujus 4[i]) notanda sunt haec verba: « Ergo voluntas ex necessitate vult *omne illud, ad quod a Deo movetur* ». In tertia notentur sequentia: « Sequitur impossibile, si ponatur quod voluntas non velit hoc, ad quod Deus eam movet, quia secundum hoc operatio Dei esset inefficax. Non ergo est possibile, voluntatem non velle hoc, ad quod Deus eam movet. Ergo necesse est eam *hoc* velle ». « Aperte, pergit R. P., procedunt argumenta haec [hae objectiones], de motione determinante. Quis autem capere potest, S. Thomam talia sibi objicere, nisi sentiret, Deum movere voluntatem liberam ad actum certum et determinatum » ?

Fac nos hoc ipsum, quod R. P. his ultimis verbis asserit, concessisse: S. Thomam reapse supponere in his objectionibus influxum quendam physicum in voluntatem (motionem quandam) ad certum et determinatum actum; hoc tamen totum non necessario importat, ut motus ille fiat determinatione voluntatis simpliciter perfecta ad agendum hunc actum, sed necessario id spectat tantum ad alterutrum, *aut* ad determinationem perfectam *aut* ad determinationem imperfectam et secundum quid, ad quandam imperfectam inclinationem voluntatis in hoc objectum et in hunc actum, *cum infallibili praevisione exitus;* quo quidem influxus genere etiam posito, libertas secundum omnes Molinistas intacta manet. Ergo difficultas ob ea, quae R. P., suo modo interpretans mentem S. Thomae, ex ejus objectione hausit, Molinistis nulla creatur. Itaque R. P. aliquatenus aequivoce locutus est, quando scripsit: « Aperte procedunt argumenta haec de motione determinante », quod obvie intelligitur de una determinatione ad agendum simpliciter, cum ex textu S. Thomae ea, etsi in concedendo liberalissimus sis, tantum sub disjunctione sequatur (1).

(1) Ceterum potest procedendi modus R. Patris cuipiam satis singularis videri. Affertur in defensionem causae suae a R. P. objectio, quam sibi opponit auctor, tanquam argumentum *per se* aptum ad inveniendum et cognoscendum, quid hic scriptor in re, de qua agitur, senserit. Sane non hoc existimamus singulare esse, quod in alicujus scriptoris sententia investiganda etiam ratio habeatur eorum, quae hic sibi scriptor opposuit; sed hoc singulare esse censemus, ipsam per se objectionem pro argumento cognoscendae mentis et sententiae scriptoris assumi; cum quid in objectione veri aut falsi insit judicio scriptoris, ex responso disci debeat. « Ex mente » enim scriptoris in tali casu arguere, potissimum quando de hac ipsa mente summa controversia est, certe locus est plenus hallucinationis et periculi.

At numquid vera aliqua difficultas pro Molinistis ex iis enascitur, quae S. Thomas reapse ad difficultates positas respondet? Hoc sane gravius. Opinatur R. P. ita esse: quoniam S. Thomas non respondet ea, quae R. P. imaginatur, eum debuisse respondere, si a partibus Molinistarum revera stetisset. « Asseritne, inquit, quod praesente divina motione, potest liberum arbitrium indifferenter velle aut nolle, et velle hoc aut illud, ac proinde quod divina motio non est causa efficax hujus aut illius effectus singularis, ut volunt Molinistae (1). Dicitne cum iisdem, quod divinae motioni in sensu composito voluntas creata resistere potest? Omnino contrarium asserit Angelicus: « Si Deus movet voluntatem ad aliquid, incompossibile est huic positioni, quod voluntas ad illud non moveatur, non tamen est impossibile simpliciter ».

Quid responsi dabimus? Fac, bonum aptumque esse responsum, quod R. P. tanquam ex mente Molinistarum proficiscatur, memorat, cum tamen ab eorum mente abhorreat, ut in nota praecedenti expositum est: numquid quia potuit dari, etiam debuit dari id responsum, si aliae aptae responsiones praesto erant? — At quod a R. P. suggeritur responsum, ineptum satis fuisset ad solutionem propositae difficultatis, nec ullus unquam Molinista tale responsum dabit.

In quanam igitur re sita est difficultas objectionis secundae? In ambiguitate vocis « naturalis ». Naturale enim dicitur id, quod Deus ita operatur in re, ut ejus internam propriamque naturam constituat; naturale vero [ i. e. cum natura aliquo modo nexum ] dicitur etiam hoc, ut creatura subjiciatur ad nutum Deo. Per prius utique inducitur necessitas tendendi in id, ad quod naturaliter creatura determinatur, ita saltem ut ejus contrarium velle vel in contrarium tendere non possit; per alterum vero quaenam necessitas, et num omnino aliqua necessitas in creatura inducatur, a Dei actione in creatura seu a modo pendet influxus Dei in eam. Haec est quoad substantiam sententia eorum, quae ad secundum hic S. Doctor respondet. Audiamus ipsum.

« Ad secundum dicendum, quod naturale est unicuique, quod Deus operatur in ipso, ut sit ei naturale [ ipsius natura ]. Sic enim unicuique convenit aliquid, secundum quod Deus vult, ut ei conveniat; *non autem vult, quod quidquid operatur in rebus, sit eis naturale,* puta quod mortui resurgant: sed hoc vult unicuique esse naturale, quod potestati Dei subdatur ». Objectio autem fuerat haec: « *Voluntas ex necessitate movetur in illa, quae naturaliter vult.* Sed hoc est unicuique naturale, quod Deus in eo operatur », ut August. dicit 26 contra Faustum. Ergo voluntas ex necessitate vult omne illud, ad quod a Deo movetur ».

(1) Hic Molinistis a R. P. aliquid falso imponitur. Etenim etiam secundum Molinistas Deus per motus praevios divinitus immissos, quoties vult, est causa efficax horum singularium motuum liberi arbitrii, licet causa liberum arbitrium ad agendum simpliciter determinans non sit: et 1° quidem est causa efficax quatenus motibus praeviis est vera et infallibilis causa moralis, quae inducat liberum arbitrium ad cooperandum; 2° quatenus motibus praeviis vires liberi arbitrii intrinsecus et physice *auctae* ad istos actus deliberatos producendos physice et connaturaliter operantur.

Numquid eadem prorsus responsio aptius suggeritur a R. P. ad tertiam objectionem elevandam ? Haec tertia objectio fuit hujusmodi : « Possibile est, quo posito non sequitur impossibile. Sequitur autem impossibile, si ponatur, quod voluntas non velit hoc, ad quod Deus eam movet, *quia secundum hoc operatio Dei esset inefficax*. Non ergo est possibile voluntatem non velle hoc, ad quod Deus eam movet. Ergo necesse est eam hoc velle ».

*Difficultas est, quomodo efficacia divinae voluntatis et motionis componi possit cum possibilitate declinandi id, ad quod a Deo voluntas moveatur. Si enim voluntatem id non velle, omnino impossibile esse dicitur, necesse est, voluntatem hoc velle actumque est de libertate.* Suppone igitur responsum illud datum esse a S. Thoma, quod R. P. suggessit : « praesente divina motione potest liberum arbitrium indifferenter velle aut nolle, et velle hoc aut illud, *ac proinde divina motio non est causa efficax* hujus vel illius effectus singularis » ; quam hoc inepte respondisset! *quod componere debuit, non composuisset!* quam causam extricandam suscepisset, eam prodidisset!

Quid igitur respondet S. Doctor ? Respondet hoc : « Si Deus movet voluntatem ad aliquid [ simpliciter et absolute id volendo, non conditionate tantum ] (1), impossibile est poni, quod voluntas ad illud non moveatur, *non tamen est impossibile simpliciter*. Unde non sequitur, quod voluntas a Deo ex necessitate moveatur ».

Contendet R. P., hoc responsum pugnare contra Molinistas, esse conforme doctrinis Thomistarum : esse enim illam ipsam distinctionem, quam Thomistae dare soleant de sensu composito et de sensu diviso.

At merito dubitatur, num admissis praedeterminationibus physicis id jure a Thomistis dicatur. Nam illis praedeterminationibus statutis ea distinctio in doctrina S. Thomae locum nullum habet. In loco enim, quem nuper attulimus ex Quodl. 12, distinctio statuitur inter formas *reales in subjecto* et formas *mere praedicatas de subjecto*. Priores debent a subjecto realiter abesse, ut distinctio inter sensum divisum et sensum compositum subjecto recte applicetur : quamdiu enim aliqua hujusmodi realis forma in subjecto manet, « non potest aliquid attribui subjecto *nec secundum potentiam* nec secundum actum », quod non conveniat cum ista forma, sed hoc ea forma supposita prorsus extra potentiam subjecti constitutum manet. Eandem doctrinam repetit Angelicus q. 6 de Ver. a. 3 ad 8. Est autem evidens, *praedeterminationes physicas* esse hujusmodi formas seu quasi formas *reales in subjecto, non mere praedicatas de subjecto,* ut v. g. scientia est forma dumtaxat praedicata de scito, volitio de volito etc. Prius exemplum ipse S. Doctor loco laudato de Ver. adhibet. Ergo disertae doctrinae Angelici adversatur, qui praedeterminationibus physicis statutis adhibet distinctionem de sensu diviso et de sensu composito ad salvandam actionis libertatem. Haec distinctio in nostra quidem theoria adhiberi potest, in theoria Thomistarum non potest : in horum theoria « est impossi-

(1) Ita plane intelligendus textus ; secus si fieret, negarentur gratiae vere sed mere sufficientes, ut supra demonstratum est.

bile simpliciter », voluntatem ad illud non moveri, ad quod Deus media praedeterminatione physica eam moveat, nec id tantum est impossibile ex suppositione et secundum certam considerationem, sed est impossibile et secundum potentiam et secundum actum.

Nobis vero licet eam distinctionem usurpare. Nam secundum nos id, quod divinitus fit in voluntate, *non ex sese efficit,* ut divina voluntas absoluta non possit carere intento exitu, sed id eatenus tantum efficitur, *quatenus ea motio substat divinae scientiae,* quae in sua praevisione falli nequit. Nobis ergo cum S. Thoma dicere licet : « si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quod voluntas ad illud non moveatur ; non tamen est impossibile simpliciter ». Fieri simpliciter et physice potest, ut voluntas ita mota a Deo, tamen ad id, ad quod divinitus moveatur, ipsa se non moveat, quia impossibilitas declinandi derivatur unice a divina scientia, cui substat et motio Dei et motio creaturae, quae quidem scientia demonstrat, haec si motio huic voluntati in his adjunctis concedatur, quid sit ipsa actura, scl. in re proposita, eam esse consensuram.

Atque haec possunt sufficere. Nam pleraque, quae circa hunc articulum 4 R. Pater addit, quam nihil valerent, supra ostendimus (1).

Inter alia enim R. P. affert singularem illam interpretationem cap. 82, l. 1 cont. Gent. de determinatione alicujus virtutis ex parte sui et ex parte ejus, ad quod dicitur, quasi nimirum hominis voluntas possit determinari ad unum simpliciter agendum ex parte sui, et eadem tamen manere indeterminata ex parte ejus ad quod dicitur, non attendens ad hoc : doctrinam S. Thomae convenire optime *Deo* propter *eminentem* ejus sufficientiam ad omnia, ob quam scilicet una sua simplicissima essentia potest se determinare ad omnia et singula, quae vult, sine ulla in seipso facta nova physica determinatione vel mutatione ; minime vero convenire hominum voluntatibus ob contrariam rationem. At dicta repetere non oportet (2).

(1) Cfr p. 141 et 142.

(2) Pag. 168 sq. R. Pater Dummermuth P. Schneemann atque Bastidam exagitare conatur, quod aliquid admodum absurdi dixerint. Agebatur de hac S. Thomae expressione explicanda, quae in corpore hujus articuli 4 occurrit : « sic Deus movet (voluntatem), quod *non ad unum ex necessitate determinat* ». Dixerat P. Schneemann, illud « ex necessitate » non contrahere, sed explicare notionem « determinationis ad unum simpliciter » (Schneemann p. 75). Bastidam vero, ait R. P. in Congregat. de Auxil. Disputatione 9 coram Paulo V. similia protulisse, sed paululum aliter. Bastida scil. in eo institit, quod S. Thomas non dixit : « Deus determinat quidem voluntatem ad unum, neque tamen ex necessitate », quod sane causae Thomistarum favisset, sed particula « non » praemissa dixit : « non ad unum ex necessitate determinat ». Et sane ad efficiendam sententiam Thomisticam particula negativa ante « ex necessitate » fuerat collocanda « ad unum non ex necessitate » [ vel : « non ex necessitate ad unum » ] ; ut nunc verba sunt, illud per se negatur « ad unum », quod Thomistae nolunt. Sic ex grammatica et usu saltem multo communiore. Bastidae vero secundum R. P. Dummermuth « recte respondit P. Thomas de Lemos, Ord. Praed., hoc omnino frivolum esse. Quando enim dicitur quod Petrus non ex necessitate currit, antecedit negatio. Quamvis autem antecedat, non significatur quod Petrus non currat, sed quod non currat necessario ».

Huic « rectae » responsioni sodalis sui R. Pater ipse aliud praeclarum addidit exemplum ad ostendendum quam frivola, quamque absurda Jesuitae in suae causae defensionem proferant. S. Thomas in 1 P. q. 82, a. 2 inquirit : « Utrum voluntas ex necessitate velit, quaecunque vult », atque respondet « dicendum, quod voluntas non ex necessitate vult, quaecunque vult ». Vides praemitti hic negationem. Ergo secundum illos Jesuitas jam possumus hoc interpretari sic : « voluntas non vult quaecun-

Fortasse tamen alicui exorietur quaedam difficultas, quando illa legerit, quae R. Pater ex q. 17 de Verit. art. 3 affert (1). Ibi enim haec sunt verba : « Secunda necessitas voluntati imponi potest, (cum prima imponi ipsi non possit), ut scilicet necessarium sit hoc eligere, si hoc bonum debeat consequi vel hoc malum debeat vitare ». Potest cuipiam videri, hic docere S. Thomam, cum necessitate agendi ineluctabili atque physica componi posse voluntatis electionem atque libertatem. At qui hoc opinaretur, egregrie deciperetur. *Agitur enim hoc loco proxime de necessitate agendi vel eligendi, quae oritur ex cognito praecepto. Si quis enim vult bonum recti ordinis servare, necessitas adest eligendi rem praescriptam.* Sed haec

que vult ». « Ruit, exclamat R. P. Dummermuth, principium contradictionis, primum principium ontologicum cognitionis nostrae ». Jam enim « *non est, quod est*, non vult, quae vult ».

At cur hujusmodi tragoediae in re simplicissima excitantur? Quid dicas, si quis de gehenna agens dicat vel scribat : « non est ibi aqua refrigerans, quae vel levissime intolerabilem sitim damnatorum leniat » ? Num interpretaberis sententiam hoc modo ut dicas: esse quidem ibi aquam, at non refrigerantem, prouti hic R. P. dicit: locum quidem habere in liberis nostris actionibus determinationem (per alium) ad unum, at non necessitantem?

Cur autem R. Patris Dummermuth et sodalis ejus, Thomae de Lemos, exempla incongrua sunt? Quia non attenderunt ad indolem verborum, quibus accuratior determinatio adjungitur. Certe cum in voce currendi nulla necessitas lateat, nec ea lateat in voce volendi ut sic, absurdum esset dicere, addita voce « ex necessitate » distinctius et expressius id efferri, quod jam in ipsis verbis currendi et volendi implicite continebatur. Numquid igitur verbi determinandi atque ad unum determinandi eadem vis et conditio est? Vox determinandi circumscriptionem, coarctationem ejus, quod [antea] aliquo tandem modo latius ad varia patebat, semper exprimit. Quo vero magis aliquid determinatur, quoque angustioribus limitibus atque terminis circumscribitur et contrahitur, eo minus remanet latitudinis, atque in potentia libera eo minus reliquum est libertatis ad seipsum movendum atque vertendum in diversas directiones, in diversas partes, donec tandem determinatione potentiae liberae ad unum simpliciter facta, omnis liber usus quoad eam rem, de qua agitur, a potentia ablatus est. Manifestum ergo est id, quod volumus. Si illud unum, de quo agitur, simpliciter sumitur atque unum particulare est, etsi potentia, in quam illa ad unum determinatio aliunde cadit, de se libera est, nihilominus necessitatis vinculis adstringitur; unde patet, notionem necessitatis jam in ipsa expressione determinationis ad unum, quoties determinans a subjecto determinato diversum est, contineri. Nam idem si est determinans et determinatum, in ipsa determinatione, quam per seipsum facit, usus libertatis habetur.

Ergo nequaquam aliquid absurdi dixit R. P. Schneemann, quando pronuntiavit illud additum « ex necessitate » in formula « determinandi ad unum » non novum addere ei momentum, sed illud, quod jam in verbis determinandi ad unum contineretur, ut magis eluceret, distincte efferri. — Nec porro Bastida aliquid absurdi dixit, quando animadvertebat, praemissam esse particulam « non ». Etenim praemissae negationis ea virtus est, ut omnia et singula momenta, quae ei subduntur, tollere et negare vel debeat vel saltem *possit*. Quod accidit reapse in exemplo a nobis allato: non aqua refrigerans in gehenna invenitur. Quis enim dubitat, negari ea sententia, ullam in gehenna aquam inveniri? Si postposita negatio esset, hoc sane locum habere non posset. Hoc in laudato exemplo accideret, si diceres: est ibi aqua, neque tamen (vel: non) refrigerans. Cum haec neget R. P., et in logicam et in grammaticam peccat. — Concludamus. Ex indole ergo potissimum phrasis subjectaque materia judicium ferre oportet, num negatio praemissa unum tantum momentum in complexo, cui praeponitur, neget, prouti accidit in exemplis R. P. Dummermuth et P. de Lemos: negatur *sola necessitas* cursus vel volitionis; an potius *neget prorsus omnia, quae in illo complexo continentur*, non unam additam determinationem sed fundamentalem etiam notionem, quacum addita accuratior determinatio re identificatur, prouti accidit in phrasi S. Thomae, de qua agimus. Negatur enim non hoc solum, determinationem illam afferre necessitatem, sed ipsa ad unum determinatio ea phrasi negatur, idque eo magis, quod « non » est positum ante « ad unum ».

Omnes igitur illos locos, in quibus S. Thomas negat, liberas causas a Deo ad unum ex necessitate determinari, jure meritoque nostrae causae ut invicta testimonia Aquinatis vindicamus.

(1) Pag. 172 in fine.

necessitas sane est necessitas mere moralis et *conditionata*, certe non necessitas ineluctabilis et physica. Et similis necessitas saepe homini, etiam in aliis rebus, offertur: quicunque enim vult aliquem finem, utut libere cum vult, debet velle media necessaria; et quando unum tantum est subsidium, unum *hoc* debet velle. At quis unquam cogitavit, hic adesse necessitatem ineluctabilem et physicam, non mere moralem, hypotheticam, usum libertatis supponentem et involventem, quam homo omni momento pro arbitratu excutere potest?

Quam autem apte R. P. in sua sententia jam illud subjungat, quod reapse subjungit, unusquisque facile videt. « Hic addatur, inquit, hanc secundam necessitatem, quae voluntati imponi potest, quae est conditionata, non solum posse provenire ex suppositione finis, ut hic docet S. Thomas, sed etiam ex suppositione divinae motionis (nimirum praedeterminantis physice), ut docuit art. 4 ad 3: « Si Deus movet voluntatem ad aliquid, incompossibile est huic positioni, quod voluntas non moveatur, non tamen est impossibile simpliciter ». Numquid reapse R. P. etiam hoc concedere vult: quemadmodum homo cognita per conscientiam praecepti necessitate potest revera et effective ipsi non obsequi et a praecepto declinare: ita posse hominem revera et effective non sequi motionem divinam praedeterminantem, et posse agere effective quod ei contrarium est? Ubi primum hanc concessionem fecerit R. P., fatebimur, allatum exemplum in praedeterminationes physicas optime convenire. Sed praedeterminationum physicarum natura ita esset totaliter mutata et sublata, ut praedeterminationes physicae ad unum agendum jam non essent. De auctoritate addita supra diximus (1).

(1) Non possum hic omittere alios duos locos ex S. Thoma superiori consimiles, quos R. P. Dummermuth contra P. Schneemann discutiendos suscepit, quia hic opinatus non immerito est, eos systemati Molinistarum non mediocriter favere, adversari Neo-Thomistis. Scripserat hic Pater pag. 89 sui operis haec: « Evidens Billuart argumentum derivare sibi videtur ex illa a S. Thoma affirmata infallibilitate motionis divinae : « nihil urgentius, nihil clarius ». « Qui loci, ita pergit P. Schneemann, si evidentes sunt, non Thomistarum sententiam probant, sed omnia ei contraria. Primo loco ab illo [ Billuart. Diss 7. art. 6 de gratia efficaci ] affertur 1. 2ae q. 10, art. 4 ad 3 : « Si Deus movet voluntatem ad aliquid, incompossibile est huic positioni, quod voluntas ad illud non moveatur; non est tamen impossibile simpliciter ». Quid tandem haec verba probant ? « Impossibile simpliciter, et impossibile ex aliqua positione », quid sibi volunt? Respondeat auctor ipse S. Thomas. Lect. 15 in Libr. 1 Perihermeneias et lect. 15 in Libr. 2 Physicorum exponit, nihil aliud esse necessarium vel impossibile ex suppositione nisi hoc : « Si est, impossibile est illud simul non esse ». Necessarium simpliciter esse id, cujus necessitas e causa praecedenti apta sit; id igitur quod ex causa efficienti *necessario* consequatur, necessarium esse simpliciter. — Hoc ad superiorem locum transferatur. Si non moveri voluntas non potest ideo, quod, cum est in motu, carere motu non potest, quemadmodum Jesuitae docent, necessitas est ex suppositione; sin vi propria naturaque causae efficientis efficitur, ut non actu moveri voluntas non possit, atque sic movetur praedeterminatione physica, tum demum actus necessarius est simpliciter. — Jamvero necessarium esse simpliciter, quod illa Dei motio efficiat, prorsus negat S. Thomas. Occupavit igitur ac refutavit interpretationem Bannesianorum; cum eoque Molinistae optime consentiunt ». Hucusque R. Pater Schneemann.

Respondet R. P. Dummermuth (Pag. 174 sqq.): « Revera argumento, quo ex S. Thoma probat P. Billuart infallibilitatem [ debuit dici: necessariam efficaciam ] divinae motionis, nihil urgentius, nihil clarius est; at vero argumento, quod opponit P. Schneemann nihil debilius esse potest ». — Grandia verba! Videamus, quomodo haec probentur!

## ART. VII

### AD ARTICULUM SEXTUM R. P. DUMMERMUTH, UBI LOCUS EX L. 3 CONT. GENT. C. 89 PETITUS POTISSIMUM PERPENDITUR.

Jam ad sextum articulum R. P. Dummermuth gressum facimus. Nihil difficultatis continetur in primo, quem R. Pater laudat, loco (p. 181 sq.) Est cap. 88 lib. 3 cont. Gent. Nam conclusio, « quod substantiae separatae creatae non possunt esse causa directe electionum et voluntatum

« Vim testimonii S. Thomae ex art. 4 ad 3 desumpti, eludere conatur Rev. Pater [ Schneemann ] recurrendo ad doctrinam quam habet Angelicus, in l. 1. Perihermeneias et in Lib. 2 Physicorum.

« Primo loco, Lect. 15 dicit S. Thomas: « Omne quod est, necesse est, *esse quando est*, et omne quod non est, necesse est non esse, *quando* non est. Et haec necessitas fundatur super hoc principium: «Impossibile est simul esse et non esse »; si enim aliquid est, impossibile est illud simul non esse; ergo necesse est tunc illud esse. Nam impossibile non esse idem significat ei quod est necesse esse. Et similiter, si aliquid non est, impossibile est illud simul esse, ergo necesse est non esse, quia etiam idem significant. Et ideo manifeste verum est, quod omne, quod est, necesse est esse, quando est, et omne quod non est, necesse est non esse pro illo tempore, quando non est : *et haec est necessitas non absoluta, sed ex suppositione*. Unde non potest simpliciter et absolute dici, quod omne quod est, necesse est esse, et omne quod non est, necesse est non esse; quia non idem significant, quod omne ens *quando* est, sit ex necessitate, et quod omne ens *simpliciter sit ex necessitate;* nam primum significat necessitatem ex suppositione, secundum autem necessitatem absolutam. Et quod dictum est de *esse,* intelligendum est, similiter de *non esse;* quia aliud est *simpliciter* ex necessitate non esse, et aliud ex necessitate non esse *quando* non est ».

« Secundo loco, Lect. 15 sic habet S. Doctor : « Quaerit Philosophus, utrum in rebus naturalibus est *necessarium simpliciter*, id est, *absolute*, aut necessarium *ex conditione* sive *ex suppositione*. Ad cujus evidentiam sciendum est, quod *necessitas, quae pendet* [ simpliciter et adaequate ] *ex causis prioribus, est necessitas absoluta,* [ en definitio et principium universale; sequitur exemplum et applicatio ], ut patet, inquit, ex necessario quod dependet a materia. Animal enim esse corruptibile, est necessarium absolute; consequitur enim ad hoc quod est animal esse compositum ex contrariis. Similiter etiam, quod habet necessitatem ex causa formali, est necessarium absolute, sicut hominem esse rationalem... Et simul quod habet necessitatem ex causa efficiente, est necessarium absolute; sicut necessarium est esse alternationem noctis et diei propter motum solis. *Quod autem habet necessitatem ab eo quod est posterius in esse, est necessarium ex conditione vel suppositione;* ut puta, si dicatur, necesse est hoc esse, *si* hoc *debeat* fieri: et hujusmodi necessitas est ex fine, et ex forma in quantum est finis generationis. Quaerere ergo utrum *in rebus naturalibus* sit necessarium simpliciter aut ex suppositione, nihil aliud est quam quaerere utrum in rebus naturalibus necessitas inveniatur ex fine, aut ex materia ». Haec S. Thomas. Pergit jam R. P. Dummermuth : « *Primo.* Falsum est, S. Thomam docere in Lib. 1. Perihermeneias, Lect. 15, necessarium vel impossibile ex suppositione nihil aliud esse nisi hoc: « Si est, impossibile est illud simul non esse ». Dicit quidem S. Doctor, quod omne quod est, quando est, necesse est esse, et quod haec necessitas sit ex suppositione: at nequaquam asserit, necessitatem ex suppositione nihil aliud esse nisi hoc ».

Sistamus hic aliquantulum. R. Patri damus, R. Patrem Schneemann non quidem errasse, quando definitionem necessitatis ex suppositione secundum S. Thomam exhibebat, non nihil tamen a modo loquendi D. Thomae recessisse. Concedimus igitur, necessitatem ex suppositione latius patere, quam verba P. Schneemann *directe* indicant. Scilicet ex loco altero, Lect. 15, l. 2 Physicorum, eam ita circumscribendam esse liquet, ut *necessarium ex suppositione illud sit, cujus necessitas non pendeat simpliciter et adaequate ex causis prioribus; quod autem ita est necessarium, ut ejus necessitas ex causis prioribus simpliciter et adaequate aptetur, id est necessarium simpliciter. Quamobrem, quod tantum ideo necesse est ( nunc ) esse, quia ( nunc ) est, nec ex alio priore fonte essendi vel existendi necessitatem perfecte et adaequate haurit, id sane tantum ex suppositione necessarium es*

nostrarum»; potest vero id esse Deus: ab omnibus conceditur estque a nobis supra identidem concessa atque explicata.

Quam indolem cum casus in l. 1 Perihermeneias lect. 15 prae se ferat: profecto quod ita tantum necessarium est, prouti ibi supponitur, id tantummodo necessarium est ex suppositione. Atque hic sensus est illius sententiae, quae ibi occurrit, quamque supra describens textum Aquinatis distinxi. Ait etenim S. Thomas: « et haec est necessitas non absoluta, sed ex suppositione », quasi dicat: quidquid hujusmodi est, indolem habet necessitatis, non absolutae, sed ex suppositione.

Cujus autem generis haec indoles secundum S. Doctorem sit, id ex altero loco l. 2 Physicor. lect. 15 accuratius discimus. Ibi enim S. Thomas strictam *definitionem* necessitatis absolutae et necessitatis ex suppositione seu conditionatae exhibuit, prouti id necessitas argumentationis exigebat.

Quodsi ibi paulo post dicit: « necessarium ex suppositione esse illud, quod habet necessitatem ab eo, *quod est posterius in esse* », id profecto non positive sed negative intelligendum est; scilicet hujusmodi debet esse *non prius* in esse. Aliter si esset, casus in lect. 15 l. 1 Perih. allatus necessitatem ex suppositione non inferret; cum nihil seipso posterius sit, sed tantum non prius. Atque ita si interpretamur, scilicet negative, definitio necessarii ex suppositione convenit e contrario cum eo, quod absolute necessarium esse declaratur. Ex his patet, cur non simpliciter supra concesserimus, P. Schneemann errasse. *Nam quidquid non est adaequate et simpliciter in causis, id tum tantum determinate ullo modo est, habetque tum tantum essendi necessitatem, quando est reapse in se et in rerum natura;* cetera vero jam in suis causis determinate insunt, et in illis jam habent essendi necessitatem simpliciter, atque hujusmodi tantum sunt et dicuntur simpliciter necessaria.

Revertamur jam ad argumentum a P. Schneemann contra Billuart aliosque Thomistas institutum. Facile nunc perspicitur, quam levi indigeat correctione, ut perfecte ad mentem S. Thomae aptatum sit, quamque ea correctione facta integrum in suo robore perseveret. Scripserat R. P. Schneemann haec: « Lect. 15 in Lib. 1, Periherm. et lect. 15 in Lib. 2 Physicor. exponit [ S. Thomas ], *nihil aliud esse necessarium vel impossibile ex suppositione nisi hoc :* « *Si est,* impossibile est, illud simul non esse ». Necessarium simpliciter id, cujus necessitas ex causa praecedente ( simpliciter ) apta sit ».

Jam pone pro his alia haec verba: *Statuit laudatis locis S. Doctor impossibile ex suppositione* locum habere, quoties ideo dumtaxat aliquid est impossibile non esse, *quia est; necessarium vero simpliciter in omni re usuvenire, cujus necessitas ex prioribus causis simpliciter pendet vel apta est.* Jam argumentum coeptum verbis P. Schneemann continuemus et absolvamus : « Si non moveri voluntas non potest ideo, quod cum sit in motu, carere motu non potest — quemadmodum Jesuitae docent — necessitas est ( tantum ) ex suppositione; sin vi propria naturaque ipsa causae efficientis effícitur, ut non actu moveri voluntas non possit — atque sic plane movetur praedeterminatione physica — tum necessarium est simpliciter. Jamvero necessarium esse simpliciter, quod illa Dei motio efficiat, de qua 1. 2ae q. 10, a. 4 ad 3, prorsus negat S. Thomas ».

Quid jam est in hoc argumento, quod jure reprehendatur? Vides igitur argumentum integrum perseverare. Non enim vis ejus reposita erat in exclusiva locutione, qua usus est P. Schneemann, quamvis in idem redeat, sed in locutione simpliciter assertiva, quae in illa continebatur. Manet ergo R. P. Schneemann, ( si loquendi formula erravit ) re ipsa prorsus recte argumentatum esse contra Thomistas et ostendisse invicte, doctrinam, quam S. Thomas tradit de diversis necessitatis generibus cum interpretatione nostra cohaerere, cum interpretatione Thomistarum 1. 2ae q. 10 a. 4 ad 3 non cohaerere. Nec juvat quidquam R. P. Dummermuth affirmasse, hoc testimonio pro doctrina Thomistarum « nihil evidentius, nihil clarius » inveniri posse. Quinimo si firmissima in causa Thomistarum tam infirma sunt, quid de ceteris judicandum?

Unde porro sequitur id, quod deinceps R. P. Dummermuth p. 175 sq. profert, partim verum esse, partim esse falsum. Atque verum est, necessitatem, quae ex fine consequendo ad media revolvitur, esse necessitatem ex suppositione, quia scl. *finis ut consequendus causa est,* quae sit effectu, volitione scl. medii, *in esse posterior;* quemadmodum item verum est, tantum necessitatem ex suppositione adesse, quando ideo dumtaxat necesse est esse aliquid, quia est.

Addit vero R. P., necessitatem ex suppositione etiam haberi: « *ex suppositione causae efficientis,* non cujuscunque sed talis, *quae* non solum *se extendit,* ut aliquid fiat per rem quam movet, *sed ut etiam eo modo fiat quo congruit naturae ipsius* ». Haec profecto accommodatio ad naturam rei, quae movetur, non sufficit, ut habeatur necessitas tantum ex suppositione. Fac enim motum moventis accommodari naturae rei, quae est in agendo necessaria, numquid inde necessitas tantum consequitur suppositionis? Cfr Dummermuth p. 175 « Primo ».

Majoris difficultatis est id, quod continetur sequenti apud D. Thomam capite 89 ( Cfr Dummermuth p. 183 ), propter unam, quae in eo capite occurrit, sententiam: « Quidam vero, inquit, non intelligentes qualiter

A vero alienum est illud quoque, quod R. P. p. 176 sub « Secundo » tradit. Ait enim: « Falsum est in Lib. 2. Phys. Lect. 15. S. Doctorem absolute dicere, necessarium simpliciter esse illud quod ex causis prioribus *quibuscunque* dependet. Non de *quibuscunque* causis prioribus loquitur S. Thomas, *sed de mere naturalibus, ad unum determinatis.* Hoc evidens est ex intentione Philosophi, cujus scriptum [ Octo libri Physicorum Aristotelis ] commentatur S. Doctor, tum ex contextu ipsius Angelici, tum ex exemplis quibus doctrinam suam illustrat ».

Quid ad hoc dicemus? Dicimus, assertionem R. Patris falsam esse, licet evidens dicatur ex triplici fonte. Nam etsi inquisitio Philosophi in libris Physicorum est de hac re: « *utrum necessarium ex suppositione an et simpliciter sit in ipsis rebus naturae* »; *non ideo* ponuntur *definitiones* « ejus quod est ex suppositione necessarium et ejus quod est necessarium absolute » *restrictae ad unas res naturales.* Contra *debent* poni universales, ut clare cerni possit, num ea necessitas, quae in aliis rebus obtinet, etiam in rebus naturae usuveniat. Hoc sane est evidens; secus enim luditur in argumento.

Attamen ad solas res physicas hic Angelicus datas definitiones applicat: quasi principium et definitio non latius pateat, quam ejus in concreto aliquo loco applicatio et per exempla illustratio. Definitio universalis est, illustratur vero a S. Doctore per tales causas priores, quales in rebus materialibus usu veniunt propter indolem tractatus.

Aliud vero nihil in contextu occurrit, quod vel leviter suadeat, non universalem et strictam definitionem « ejus quod est necessarium ex suppositione et ejus quod est necessarium simpliciter », a S. Thoma allatam esse. Manet ergo, hoc etiam secundum assertum R. Patris veritate carere.

« Tertio. Falso, inquit R. P., et inepte transfertur doctrina utriusque loci ( 1 Periherm., et 2 Physic. ) ad testimonium, quod habetur in responsione ad 3, articuli 4. In hac enim responsione non dicit S. Thomas: « Si voluntas est in motu, impossibile est eam motu carere », quae est necessitas ex suppositione, fundata super principium contradictionis, quam necessitatem nemo negat; sed dicit S. Doctor : « Si Deus movet ( quoad exercitium ) voluntatem ad aliquid, incompossibile est huic positioni quod voluntas ad illud non moveatur », *quae est necessitas ex suppositione primae causae, efficaciter moventis voluntatem creatam ad actum liberum, quam necessitatem Jesuitae non docent, tuentur autem Thomistae* ». Hucusque R. Pater.

Ad hoc dicimus, necessitatem ex suppositione sane nec docent nec tuentur Jesuitae, quando, uti fit a Thomistis, contenditur, motionem Dei efficacem circa voluntatem humanam locum habere *mediis praedeterminationibus physicis:* sic enim non habetur necessitas ex suppositione, sed vera necessitas absoluta. Quando vero motio Dei non statuitur efficax esse nisi ob respectum, quem habet ad infallibilem scientiam Dei, et ob quem respectum, mediis etiam de se indifferentibus Deus certissime effectum suum consequitur, prouti intelligunt Jesuitae, negatur, eos non docere « necessitatem ex suppositione primae causae moventis efficaciter ( sed mediis de se indifferentibus ) voluntatem creatam ad actum liberum ».

Luditur igitur hic nonnihil et aequivocatur a R. P. in vocibus: « necessitas *ex suppositione primae causae*, efficaciter moventis » etc. Utique necessitas, de qua hic agitur, provenit in omnium sententia a motione praevia primae causae, *quae* igitur *movens efficaciter hic supponitur.* Attamen non omnis necessitas a supposita motione vel motu efficaci primae causae proveniens propterea jam mera necessitas est ex suppositione. Aliter enim, si Deus voluntatem humanam seipso perfecte immutaret, atque hoc modo ex doctrina s. Thomae vere necessitaret, esset ea nihilominus ex suppositione necessitas et non necessitas homini absoluta, quod falsum est. Ut ergo tantum necessitas ex suppositione agenti creato motione illa afferatur, debet motio non simpliciter antecedenter et *ex natura sua* inferre actionem creaturae, sed, utut eam efficaciter infert, debet eam inferre aliquo modo consequenter. Quod quidem quomodo fieri possit in illis motionibus Dei, Molinistae explicant; Thomistae vero non possunt explicare, quoniam praedeterminationibus physicis statutis necessitas operandi voluntati creatae ex causa priore simpliciter et omni modo antecedente aptatur; quare praedeterminatio physica affert voluntati creatae necessitatem absolutam, non ex suppositione tantum.

Patet jam, non inepte hic applicari doctrinam S. Thomae l. 2 Physic. et l. 1 Periherm.

At objicit R. P. : S. Thomas nequaquam ( 1, q. 19, a. 8 ad 3 ) concedit sine distinctione principium illud: « Quod habet necessitatem ex priori, est necessarium absolute », sed tunc tantum quando causa prior non potest suum influendi modum convenienter moderari. Nam ad objectionem : « Illud.

motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque praejudicio libertatis voluntatis, conati sunt has auctoritates (1), male exponere, ut scilicet dicerent quod Deus causat in nobis velle et perficere in quantum dat nobis virtutem volendi, *non autem sic quod faciat nos velle hoc vel illud,* sicut Origenes exponit [περὶ ἀρχῶν Lib. 3 ], liberum arbitrium defendens contra auctoritates praedictas ».

Quae distinxi verba, aliquam difficultatem videntur continere. Etenim potest videri alicui, his verbis indicari aliquid, quod Thomistis recentioribus faveat. Namque videri potest hic S. Thomas revera adstruere praemotionem quandam divinitus datam et plane necessariam ad singulos actus, quibus aliquid idque determinatum velimus. Quod etsi ita esse concederemus, Thomistis ob hoc unum testimonium causa minime addicenda — placet enim semel etiam sic argumentari, quamvis satis apertum sit, nihil opus esse huc descendere. Duas potissimum afferimus rationes. Una est haec, quia summum hoc evinceretur, S. Thomam sibi ipsi non satis constitisse. Plurimos enim locos esse vidimus, in quibus se praedeterminationum physicarum manifestum adversarium profitetur atque demonstrat. Si ergo hunc locum velles interpretari ita, ut hic physicas praedeterminationes ad omnes et singulos voluntatum actus necessarias esse docuisset, haberes jam illud, S. Thomam modo hoc, modo ejus contradictorium defendisse. Cum autem aequitati magis profecto consentaneum sit opinari, S. Doctorem semel, idque verbis non admodum distinctis, quaeque semper aliquam dubitationem admittunt, num hic reapse sensus eis subsit, aliquid pronuntiasse, quod cum placitis suis maxime disertis, alias frequenter traditis, minus conveniat, quam eum in perpetuo fere errore versatum esse; concedendum sane esset, hic ipsi aliquid humani accidisse, alias autem veram doctrinam eum secutum esse. — Si contra hoc opposueris, incredibile tibi videri, S. Thomam hic significare voluisse obscuris satis verbis doctrinam, quae a doctrina alias adeo constanter ab ipso

quod habet necessitatem ex priori, est necessarium absolute; sicut animal mori est necessarium, quia est ex contrariis compositum », hoc modo respondet : « Ad tertium dicendum quod posteriora habent necessitatem a prioribus secundum modum priorum. Unde et ea, quae fiunt a voluntate divina, talem necessitatem habent, qualem Deus vult ea habere, scl. vel absolutam vel conditionalem tantum. Et sic non omnia sunt absolute necessaria ». Cfr Dummermuth p. 177 sq. Respondetur : hoc vere dici, sed non esse contra nos, nec juvare Thomistas. Etenim nunquam defendimus, *dependentiam quamcunque* a causis prioribus in esse secum ferre necessitatem absolutam pro effectu. Hoc enim si diceres, negares omnem liberum effectum. Nam omnis effectus a causa sua physica ut ab aliquo, quod ipso prius est, dependet, *sed tum tantum*, dicimus dependentiam illam inferre absolutam necessitatem, *quando effectus, adaequate et simpliciter a causis prioribus dependet,* prout usuvenit statutis praedeterminationibus physicis. Quandovero aliqua causa prior suum influxum ita moderatur eumque influxus modum adhibet, ut non ab hoc ipso solo motu ut sic, sed ab ipso ut substat cognitioni divinae, derivetur necessario effectus, semper concessimus, non afferri necessitatem absolutam, sed tantum conditionatam. At tunc neque effectus a causis prioribus adaequate et simpliciter dependet ut apparet. Cognitio enim omnis supponit aliquo modo suum objectum. Sed haec hactenus.

(1) « Cor regis in manu Domini ; quocunque voluerit, inclinabit illud ». Prov. 21, 1. — « Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate ». Phil. 2, 13.

tradita plane aliena sit, respondeo, id omnino ex nostra mente dictum esse; *neque enim nos ullo modo credere possumus, S. Doctorem hic constantem suam doctrinam deseruisse.* In qua nos sententia confirmat altera ratio, quam jam addemus.

Fac ergo, S. Thomam hic pronuntiasse, prae*motionem* aliquam physicam homini necessariam esse ad omnes et singulos voluntatis actus, quos eliciturus sit, numquid hac ratione pronuntiasset, prae*determinationes* physicas ad hos actus esse necessarios? *Minime* gentium. Hoc contendere idem esset, ac si quis contenderet, in hac assertione: Deum creasse aliquod animal, contineri sententiam alteram, Deum creasse hominem; esset perversissima a genere ad speciem affirmative concludendi ratio. Sic vero hic plane eveniret. Nam praemotio, ut supra vidimus, genus est, praedeterminatio species; est enim praedeterminatio certis virtutibus praedita praemotio, quae quidem virtutes praemotioni ut sic propriae non sunt. — Plus autem quam praemotionem quandam de se ad certum actum tendentem, etsi maxime coneris, ex his verbis: « Deus facit nos velle hoc vel illud », extorquere minime poteris.

An quo jure dicas, Aquinatem, quando haec verba scripsit, praedeterminationes physicas in mente habuisse tanquam id, quo Deus nos faceret velle? Ob doctrinam alias constanter traditam id nequaquam asserere licet, ut demonstravimus; constanter enim contrarium docuit. At fortasse id ideo licet, quia nisi physica praedeterminatione Deus in voluntatem operaturam influat, nullo modo vere dici poterit, Deum efficere, ut voluntas operetur velitque hoc aut illud? Sed fac, Deum sollicitare voluntatem ad certam operationem, donec tandem victas manus homo dederit, eamque operationem reapse velit ac ponat, numquid vel ita Deus non facit voluntatem hoc vel illud velle? Si porro dicamus, Deum occulte iis modis influere in voluntatem, qui praedeterminationes physicae non sint, omnemque humanam observantiam et conscientiam fugiant, quomodo nos refutabit Thomista? Nam hoc profecto offendere non debet, quod eos influendi modos occultos ponimus et ab humana observatione absconditos; quia praedeterminationes physicas non magis quisquam unquam in se percepit et expertus est. Quod autem eos occultos modos contendimus non esse physicas praedeterminationes, id adversari huic loco, Thomista affirmare non posset, nisi ostenderet, praeter hunc specificum et libertati actionum adversantem praemotionis modum, alium nullum divinae praemotionis modum S. Thomam cogitare potuisse. Quod qua ratione ostendi poterit?

Sed jam ad rei caput veniamus. Caput autem rei nostra sententia hoc est, *nihil hoc toto loco occurrere de praemotionibus vere physicis, quae in actuali quodam influxu Dei in potentiam ad singulos voluntatis actus essentialiter necessario positae sint.* Quid ita? quia nobis perspicuum esse videtur, S. Thomam non adeo, non principaliter, *agere de ullo mere actuali et transeunte influxu Dei in voluntates seu potentias ipsas, qui simul sit praevius quique ad omnem actionem necessarius sit, sed ipsum agere de duobus aliis*

*potissimum momentis,* quae et a Deo ut ab immediata causa ipsorum proficiscuntur et in singulis voluntatum motibus necessario interveniunt. Ex horum autem motuum numero illa actualis praemotio non est. *Unus est concursus Dei simultaneus; alter est insitum homini desiderium beatitudinis in communi, seu quod re in idem redit, est innata omni homini appetentia boni universi.* Ajo haec duo momenta a S. Thoma potissimum attendi; praemotionem autem physicam actualem, quae ad singulas operationes necessaria sit, nullo modo adstrui. Id ita esse, constabit, singula hujus capitis argumenta si inspexerimus.

« Dicitur Is. 26, 12 : « Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine ». Quid ex his verbis infert Aquinas? « Unde non solum virtutem volendi a Deo habemus, sed etiam operationem ». Nec amplius quidquam ex loco jure concludere licuit. Non potuit ex eo inferri, Deum omnia opera nostra operatum esse in nobis praeveniendo semper operationes nostras, et multo sane minus nos physice ad ea praedeterminando; sed contentos nos esse oportet eo genere divinae operationis, quocunque vera evadat haec sententia : « omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine »; vera est autem, si omissa praemotione atque praedeterminatione physica unam simultaneam Dei nobiscum cooperationem statuimus. Sic enim cooperando Deus vere operatur opera nostra in nobis.

Alterum Aquinatis argumentum ita se habet (1). « Hoc ipsum quod Salomon — Prov. 21, 1. — dicit : « Quocunque voluerit, inclinabit illud », ostendit non solum divinam causalitatem ad potentiam voluntatis extendi [prouti concedebat Origenes], *sed etiam ad actum ipsius* ». Hic formaliter quidem aliud nihil concluditur, quam oportere nos admittere, causalitatem divinam extendi usque ad operationem voluntatis ipsam. Extenditur autem sic etiam uno statuto concursu simultaneo.

At virtualiter plus aliquanto in ipso argumento inest atque innuitur: in Dei manu ac potestate situm esse, ut hominis cor *efficaciter* vertat moveatque in omnem partem; perducat ipsum ad omne consilium intentionemque omnem, ad quae eum perducere efficaciter velit, idque sine libertatis detrimento. Deum hoc posse facere atque reapse saepe facere, id nemo inficiatur. At *quomodo* hoc Deus in re aliqua proposita efficiat, num causalitate divina immediata an mediata, num aliqua praemotione physica an morali tantum, id omnino siletur. Fateor igitur, hic modum influendi Dei in voluntatem nostram a S. Thoma (obiter) tangi, qui si ponatur, summa proprietate sermonis jam affirmatur, Deum hominem fecisse velle hoc vel illud, nec tamen physica praedeterminatione opus est.

Tertium argumentum non tam late patet. Ait S. Doctor (2): « Deus non solum dat rebus virtutem, sed etiam nulla res potest propria virtute agere,

(1) Apud Dummermuth, p. 183.
(2) Apud Dummermuth, p. 194.

nisi agat in virtute Ipsius. Ergo homo non potest virtute voluntatis sibi data uti, nisi quantum agit in virtute Dei. Illud autem in cujus virtute agens agit, est causa non solum virtutis sed etiam actus... Deus igitur est causa nobis non solum voluntatis, sed etiam volendi ». Hunc locum ex superioribus disputationibus optime novimus; plus ipso asseri quam concursum Dei simultaneum, nemo recte dixerit.

Quarto loco a S. Doctore arguitur sic (1): « Perfectius invenitur ordo in spiritualibus quam in corporalibus. In corporalibus autem omnis motus causatur a primo motu. Oportet igitur, quod in spiritualibus omnis motus voluntatis a prima voluntate causetur, quae est voluntas Dei ». — Nec hoc argumento quaedam motio Dei, quae praeveniat voluntatem creatam, efficaciter adstruitur. Neque enim hoc modo corporale agens secundarium a primo agente corporali in agendo dependet, ut prius semper in singulis suis actionibus immediatum quendam influxum in seipso ab illo pati debeat, ut deinde possit agere; quamvis sine aliquo ejus influxu nulla actio corporalis secundum S. Thomam locum habeat.

Perventum est ad quintum S. Thomae argumentum. « Superius (C^a Gent. l. III, c. 70) ostensum est, quod *Deus est causa omnis actionis et operatur in omni agente*. Est igitur causa motuum voluntatis ». Concursu simultaneo huic argumento satisfieri, quicunque superiora legit, facile videbit.

Concludamus. Dicemusne, S. Thomam thesim aliquam statuisse, plura deinceps argumenta ei subjecisse, quorum ne unum quidem eam veram esse ostendat? Atque sic plane se res haberet, si S. Thomas hic demonstrandum suscepisset, nisi *praecessisset* impulsus divinus particularis et transiens in ipsam causam secundam atque in voluntatem receptus esset, hanc agere nihil prorsus vi sibi innata posse, etiamsi Deus simultanee concurreret. Quicunque igitur hoc sensu interpretatur S. Doctoris verba: « Deus facit nos velle hoc vel illud », S. Doctori injuriam infert. Affirmare enim debet, ipsum argumenta quidem plura attulisse, nullum tamen efficax.

Opinamur igitur, S. Thomam his verbis non amplius quidquam dicere voluisse, nisi hoc, *Deo veram efficientiam causalitatemque variorum actuum voluntatum nostrarum, etiam ut hi vel illi actus sunt, esse adscribendam; non vero statuisse S. Doctorem particularem quendam influxum divinum transeuntem et praevium atque praedeterminantem ipsam potentiam ut aliquid ad agendum humanae voluntati penitus necessarium.*

Nec sexta et ultima ratio hujusmodi praevium influxum necessarium esse docet. « Arguit Aristoteles in 8 Eudemicae Ethicae per hunc modum: Hujus quod aliquis intelligat, consilietur et eligat et velit, oportet aliquid esse causam: quia omne novum oportet quod habeat aliquam causam. Si autem est causa ejus aliud consilium et alia voluntas praecedens, cum non

(1) Ibid. p. 195.

sit procedere in his in infinitum, oportet pervenire in aliquod primum [quod nimirum est origo et causa omnium motuum, qui sequuntur]. Hujusmodi autem primum oportet esse aliquid, quod est melius ratione: nihil autem est melius intellectu et ratione nisi Deus. Est igitur Deus primum principium nostrorum consiliorum et voluntatum ».

Hanc doctrinam Philosophi non uno hoc loco memorat Angelicus. Cfr v. g. q. 6 de Malo a. 1; 1, q. 82, a. 4 ad 3; 1. 2, q. 9, a. 4. Hunc ultimum locum puto, si tamen in contextu orationis consideretur, clarius quam ceteros exhibere, quid sibi S. Thomas voluerit, quid statuerit. Priusquam tamen argumento huic sexto ex hoc loco S. Doctoris (1ª 2ae) lumen quoddam inferre conemur, placet aliquam animadversionem ex P. Suarezio l. 3 de Grat. c. 44 n. 20 et 21 praemittere. Nam quod summum ex hoc loco concludi potest, unum est hoc: « Licet voluntas moveat per consilium ad electionem mediorum; ad primam tamen intentionem finis non se movere, sed a Deo moveri » seu, si placet, licet id minore etiam cum fundamento dicatur, a Deo physice praedeterminari. « Verumtamen, ita pergit Doctor Eximius, licet hoc totum concederemus, inde nihil probaretur de concursu praevio praedeterminante et *essentialiter necessario* ad actus voluntatis, *vel propter essentialem dependentiam a prima causa vel propter indeterminationem suam*. Nam etiam post intentionem finis est voluntas de se indeterminata ad media, et in omnibus actibus suis pendet a prima causa, ut a primo movente. Quocirca etiamsi demus, primam finis intentionem esse peculiari modo a Deo, non esset propter praeviam motionem distinctam ab illa volitione prima et praedeterminantem voluntatem ad illam, sed quia Deus immediate et per se aliquo peculiari modo facit illum actum ». Quid ita? quia cum ex sententia Thomistarum illa praedeterminans motio requiratur *ob rationes, quae in omni actu liberae voluntatis essentialiter usuveniant*, si vel in uno actu non est necessaria, in nullo potest jam censeri ob *eas* rationes necessaria. Atqui in electione mediorum non est necessaria ex ipso illo quem tractamus loco; ad hanc enim electionem faciendam consilio proprio voluntas sufficienter instruitur ac movetur. Ergo ne hoc quidem jam dici potest, ex illis rationibus requiri eam in finis intentione, vel, si ita loqui placet, in ipsius finis electione.

Imo tantum abest, ut haec ultima 6ª ratio faveat doctrinae Thomisticae, ut vix quidquam possit esse ei magis adversum. Nam Thomistae statuunt, praedeterminationem necessariam esse ob rationes, quae in *omni* voluntatis actu valent; *S. vero Thomas eam requirit, si tamen requirit, in prima finis intentione. Ergo jam ex hac parte plane ingens inter discipulos et magistrum discrimen.* Verum illud jam indagandum, quomodo et per quid illud primum, scl. Deus, omnium motuum, quae in voluntate consequuntur, causa evadat et origo (1).

(1) Cfr Schneemann, p. 77 sq.

Quaest. 9, art. 4 in 1ª 2ae quaerit S. Doctor: « Utrum voluntas moveatur ab aliquo exteriore principio »; et respondet affirmative, postquam simile omnino, imo idem argumentum instituit atque illud est, quod hic in sexta ratione prae manibus habemus. In articulo deinde 5. negat hoc exterius principium movens corpus coeleste esse. In sexto vero articulo quaestio absolvitur, statuendo Deum esse hoc exterius principium, quia *unum illud, quod est voluntatis causa,* potest ita movere voluntatem, ut motus, licet extrinsecus adveniat, voluntarius tamen sit et maneat. « Voluntatis autem causa nihil aliud esse potest quam Deus ». Hoc patere dicit dupliciter. « Primo quidem ex hoc, quod voluntas est potentia animae rationalis, quae a solo Deo causatur. Secundo vero [et magis particulariter] ex hoc, quod voluntas habet ordinem ad universale bonum; unde nihil aliud potest esse voluntatis causa nisi ipse Deus, qui est universale bonum. Omne autem aliud bonum per participationem dicitur et est quoddam particulare bonum. Particularis autem causa non dat inclinationem universalem ». Cujus ulterior ratio haec est, quia omnis causa sibi assimilat effectum nec potest exire extra ambitum suum. Hic jam manifestatur, qua ratione S. Thomas sentiat, *Deum esse omnium motuum voluntatis originem vel causam, scl. eo, quod hominum voluntati ordinem ad bonum universale natura inseruit.* Quod clarius etiam enuntiat ibid. q. 9, a. 4 ad tertium. « Ad tertium, inquit, dicendum, quod *Deus movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum,* et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle; sed homo per rationem [consilium] determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum vel apparens bonum. Sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam, ut infra dicetur ». Huic expositioni optime consonant illa, quae alias saepissime tradidit. Cfr v. g. de Ver. q. 22, a. 8; ibid. q. 6, ad 5; 1, q. 103, a. 8. Deus igitur in omni particulari motu etiam ideo nos movet facitque nos velle hoc vel illud, quoniam omnis particularis motio nostrae voluntatis singularis quaedam applicatio et explicatio est illius impulsionis universalis in bonum generatim, quam ab auctore naturae innatam habemus, et quae cum ipsa natura confunditur.

Dices, hac interpretatione admissa nihil doceret hic S. Doctor, quod non vel ipse Origenes docuerit. Nam etiam ipse loco laudato (1) haec habet: « Moveri quidem in genere recepimus a Deo. Nos autem sumus, qui utimur hoc motu aut ad pejora aut ad meliora. Sic agendi vim, qua animalia sumus, a Deo accepimus et velle a rerum creatore. Nos autem et facultatem volendi ad optima aut quae iis sunt contraria adhibemus, similiter etiam vim agendi ».

Respondetur 1°, et principaliter, concursum omnino Origenes neglexit; respondetur insuper 2° ut quid S. Doctor in Origene vituperaverit, asse-

(1) Migne, Orig. t. 1. P. G. XI, col. 293.

quamur, non adeo attendenda sunt singula Origenis verba, singulaeque quae apud Origenem inveniuntur sententiae, sed totus tenor illius expositionis, quam « de libertate arbitrii » conscripsit, attendendus est. Nam si sola quae modo laudavimus Origenis verba respexeris, ea fortasse similia illis inveniuntur, quae S. Thomas ipse loco modo ex 1ª 2ae allato usurpavit. *Et tamen vel sic magna inter utrumque, S. Thomam et Origenem, deprehenditur differentia.* Scilicet videtur Origenes, aut saltem ita videri potest, concepisse libertatis notionem ita ut haec nudam dicat potentiam seu vim agendi et eligendi aliquid cum indifferentia, sine ulla boni appetentia a natura data et determinata; fere eo modo, quo posteriore aetate liberam voluntatem concipiebant Pelagiani (1). Hic autem libertatem concipiendi modus Angelico displicebat, et merito. Voluit autem ipse voluntatem liberam potentiam esse, quae ita esset activa et electiva, ut esset simul *in bonum divinitus ordinata,* atque ut ipsa amplecteretur homo secundum divinam intentionem tantummodo verum bonum. Sed quoniam haec ordinatio naturalis, etsi facta est in ordine ad hoc, ut homo verum tantum bonum amplecteretur, tamen facta est dumtaxat ad bonum in communi, homo omnino quidem deserere ordinem boni in suis electionibus et operationibus non potest, potest tamen bonum inferioris ordinis bono ordinis essentialiter superioris praeferre, atque ita naturali illo nisu abuti, quo eum Deus, ut sectaretur verum bonum, donavit. Cfr quae supra p. 274 sqq. ad q. 103, a. 8 partis 1ae diximus.

Liquet jam, quomodo actus boni a S. Thoma vere et proprie secundum totum suum esse, etsi vario modo, in divinam causalitatem reducantur. Atque hac ratione vel in ipsis actibus, qui simpliciter mali sunt, illud deficiens bonum, quod in ipsis semper invenitur, a Deo ortum ducit. Nec tamen vel sic inciditur in maximum illud incommodum, quod Deus debeat dici simpliciter auctor malarum actionum, quod dicere necesse esse videtur in illorum sententia, qui volunt cum R. P. Dummermuth, homines a Deo ad actiones etiam malas physice praemoveri, imo praedeterminari; nam si ulla est formalis ad malum cooperatio, certe videtur esse illa, quae homines ad operandum id, quod est ipsis malum, physice praemoveat, imo praedeterminet.

Atque hac consideratione ultimam tandem attigimus rationem, cur verba illa S. Thomae: « Deus facit nos velle hoc vel illud », si universaliter intelliguntur, prouti hoc loco sane intelligenda sunt, non cum summo, quo fieri possit, rigore accipienda esse arbitremur. Nobis enim difficillimum, ne dicamus impossibile videtur, hujusmodi sententias a blasphemiae reatu excusare: Deus nos facit velle odium Dei, perjurium, blasphemiam et alia hujusmodi. Eae tamen evitari non possunt, si verba illa S. Thomae summo cum rigore accipiuntur. Hoc tunc fit, quando ipsis haec sententia subjicitur, ut affirmetur, Deum non tantum id operari, quod nos

(1) Cfr Scheeben, Handbuch der Dogmatik 3, 2 n. 172 sqq. pag. 736 sqq.

operamur, sed insuper, Deum physica vi efficere, ut hanc praecise actionem potius quam illam operemur. Qui autem hoc modo Deus non est causa efficiens blasphemiae formaliter? Quae cum ita sint, censemus his verbis S. Thomam nihil aliud dicere voluisse quam hoc: Deus vere efficit et vera causa est, ut evadamus volentes hoc vel illud, maxime ideo, quia ipse omnem realitatem, qua volumus, ut prima omnium causa nobiscum in singulis actibus physice producit, deinde vero etiam, quia ipse naturae humanae vim agendi illumque instinctum impulsumque ad bonum generatim inseruit, quod fundamentum est omnis volitionis, et cujus omnis volitio nihil est nisi manifestatio et singularis quaedam explicatio et applicatio.

## ART. VIII

### QUAE R. P. DUMMERMUTH IN DOCTRINA ORIGENIS NOMINATIM REPREHENDENDA VIDEANTUR.

Nunc paucis de singulis dicendum, quae videntur R. Patri Dummermuth apud Origenem reprehensione digna. Primum vituperat, quod ille dixerit, eadem energia Deum exercere in unum misericordiam; indurare alterum (1). « Quemadmodum si sol vocem emittens diceret, ego liquefacio et exsicco; licet haec contraria sint, nihil tamen pro re subjecta falsum diceret, cum uno eodemque calore cera liquefiat, lutum exsiccetur ». Si Origenes reapse his verbis sensum locorum, de quibus explicandis agitur: « Ego indurabo cor Pharaonis » (Exod. 4, 21), et « Cujus vult miseretur et quem vult indurat », *exhaurire* vult, est profecto, quod in hac explicatione jure reprehendatur. Ceterum unum idemque donum Dei uni afferre salutem, alteri interitum, quis ignorat? Cui non veniunt hic in mentem illa Divi Thomae verba: « Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inaequali, vitae vel interitus », et illa Simeonis in evangelio: « Hic positus est in ruinam et resurrectionem multorum in Israel et in signum, cui contradicetur »? Luc. 2, 34. Cfr 1 Petr. 2, 6 sqq.

Paulo infra (2) Origenes conatur ostendere, non perimi libertatem nostram his Apostoli verbis: « Non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei » (Rom. 9, 16). Quod porro hac occasione ab arte gubernandi petit exemplum, sic videtur exponere, ut homo aliquid ad salutem navis faciat *seorsum*, et aliquid divina providentia faciat *seorsum*, licet haec longe plus praestet quam ille. « Sic inquit, *in nostra salute longe majus est* quod a Deo quam quod a nostro est libero arbitrio ». Hoc utique falsum

(1) Dummermuth, p. 183 sq.
(2) Apud Dummermuth, p. 184 sq.

est; nam etsi verum est, hominem aliquid ad salutem suam operari et vere aliquid conferre, nunquam tamen id seorsum facit, sed *totum* opus est etiam et praecipue Dei; primo quidem et potissimum, quia jam de opere supernaturali et ex gratia facto agitur; deinde vero etiam universe, quia quidquid operamur, nunquam soli id operamur, sed Deus semper nobiscum id operatur. — Contra hoc ipsum autem, quasi homo aliquid possit velle, operari, perficere, Deo non cooperante, omnia fere D. Thomae argumenta directa sunt, quae in illo cap. 89 l. 3 cont. Gent. afferuntur. Id constat ex iis, quae in praecedente articulo disputavimus (1).

Quod tertio denique loco vituperat in Origenis libertatis defensione R. P. Dummermuth (2), illud ipsum est, quod in superiore articulo jam attigimus. Non est ergo, cur huic rei diutius immoremur. Paucis igitur rem absolvamus. Vult Origenes haec D. Pauli verba: « Deus operatur in vobis velle et perficere » (Phil. 2, 13), contra adversarios libertatis sic exponere, ut iis libertas non tollatur. Est quidem verum, ea verba ab Apostolo referri ad opera salutis; de operibus ergo supernaturalibus per se dumtaxat usurpantur. Trahi tamen possunt suo modo ad opera etiam ordinis naturalis, et ad illa non solum ab Origene, sed etiam a D. Thoma II. revera transferuntur. Interpretatur vero Origenes ea, ad ordinem mere naturalem translata et applicata sic, ut ideo in eo ordine vera sint, quia Deus nobis dederit facultatem volendi, facultatem nos movendi *in genere* — το καθόλου θελειν, τὸ καθόλου κινεισθαι, τὸ γενικὸν τὸ κινεισθαι —, qua in singulis operibus nos utimur. Contra hoc S. Thomas, quemadmodum ex disputatis patet, vult opera nostra, etiam ordinis mere naturalis, sub triplici saltem ratione in Deum referri. Una ratio est, quia Deus donat nobis facultatem

(1) Thesim quam illustrare vult Origenes haec est: « Nostra perfectio non fit nobis nihil agentibus, neque a nobis consummatur, sed Deus praecipuam ejus partem efficit ». Haec jam verba suspicionem excitant ab Origene Deo parum in perfectionis ac salutis negotio tribui, quasi Ipsi tantum perfectionis nostrae consummatio sit tribuenda, non prorsus omnia. Sed quomodo prosequatur thesimque illustret Adamantius, audiamus. « Quod ut manifestius fiat, inquit, ab arte gubernandi sumemus exemplum. Nam inter ventorum flatum et aeris temperiem et siderum claritatem, quae singula cooperantur navigantium saluti, quemnam locum habere dicatur ars gubernandi ad optatum portum contingendum, cum saepe ne ipsi quidem nautae navim a se servatam audeant praedicare, *sed Deo quidquid est auctori tribuant* (ἀλλὰ τῷ θεῷ τὸ πᾶν ἀναφερόντων), non quod ipsi nihil efficerint, sed quod longe majus sit (τῷ εἰς ὑπερβολὴν πολλαπλάσιον εἶναι) arte id, quod providentia factum est? *Sic in nostra salute longe majus est, quod a Deo, quam quod a nostro est libero arbitrio* ». — In verbis, quae distinxi, latet vitium et falsitas. Quod nautae totum tribuant Deo, id repraesentatur tanquam sit pia quaedam exaggeratio. Etenim cum quantum Deo dandum sit, non constet; unum autem hoc exploratum sit, longe Ipsi majorem partem esse tribuendam ideo pietate quadam totum Ipsi tribuitur. Quando ergo illud jam adjungitur: « *Sic in nostra salute accidere* », quasi nimirum non totam Deus operetur, sed longe ejus majorem tantum partem, falsum asseritur, et eo magis falsum, quoniam res sic exhibetur, quasi Deus non ipsam attingat salutis operationem per se immediate, sed mediate tantum. In exemplo enim allato salus navigantium eatenus tantum Deo attribuitur, quatenus ventorum secundi flatus, temperies aeris, siderum claritas in Dei providentiam reducuntur. Hoc profecto non est Deo immediate adscribere salutis effectum, multo minus ipsorum nautarum industriam. Salutis vero opera, quae operamur atque perficimus, non ob unam simultaneam cooperationem supernaturalem Dei tota Deo tribuenda sunt. Vide alibi dicta. — Porro quae hic notantur, in aliis quoque, quae in eodem numero ab Origene afferuntur, exemplis notari potuerunt. Cfr apud Migne l. c. n. 18.

(2) p. 186.

volendi nosque movendi; altera est, quia nobis appetentiam omnis boni generatim inseruit, ob quam ipsa particularia bona sortiuntur vim nos objective movendi, dummodo sufficienter a nobis apprehendantur; tertia tandem ratio, ob quam omnia opera nostra ad Deum referenda sunt, est Ipsius ad omnia opera nostra immediatus concursus essentialiter necessarius. Vides easdem hic rationes, si rerum summam spectes, a S. Doctore efferri, quas etiam alias proponere solet. Cfr v. g. 1, q. 105, a. 5.

Itaque constat, quam nos dedimus loci apud S. Thomam interpretationem, eam ita comparatam esse, ut quaecunque in ea, quam tractamus materia, reapse falsa Origenes l. 3 cap. 1 de Principiis protulit, illa admissa refutentur et corrigantur. Haec autem non levis est interpretationis factae confirmatio. —

At R. P. Dummermuth, postquam doctrinas Origenis recitavit tantum, continuo ita pergit: « Testimonia haec Origenis perspicue sententiam S. Thomae patefaciunt: Non solum dat nobis Deus virtutem volendi, id est velle universale seu in communi, sed etiam dat nobis velle in particulari. Non solum motus in universum Deus auctor est, sed etiam specialem hunc vel illum motum a Deo habemus. Deus facit nos velle hoc vel illud. Rejicienda est consequenter illa similitudo efficientiae solis ac primi motoris ab Origene allata. Influxus enim divinus non se habet sicut influxus solis, qui uno eodemque calore varios effectus producit, secundum quod diversimode a causis secundis modificatur: attingit divina operatio effectus determinatos; facit velle hoc et velle illud. Pariter rejiciendum est exemplum ab arte gubernandi sumptum. Nec dicere sufficit longe majus esse quod a Deo, quam quod a nostro est libero arbitrio: nam omne quod est, et quomodocunque est, a Deo est. Incommoda autem ab Origene assignata vana sunt: non intellexit, « qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque praejudicio libertatis » (1).

Si hunc modum procedendi nonnihil singularem esse pronuntiarem, nequaquam aliquid minus aequum dicerem. Etenim ex loco, qui viginti quinque columnas apud Migne occupat, tres satis breves paragraphos seligit sibi R. Pater. Accusat deinde quaecunque in tribus his paragraphis ab Origene dicta sunt continuo falsitatis, quamvis nihil adhuc exploraverit accuratius, quidnam illud ipsum esset, quod S. Thomas in hoc loco Adamantii nominatim reprehendendum indicaret. Etenim verba illa S. Thomae, Deum nobis non dare tantum virtutem volendi, nec tantum una hac via in nobis causare velle et perficere, *sed etiam facere nos velle hoc vel illud,* nequaquam ita per se clara sunt, ut multiplicem intellectum atque interpretationem non admittant. Ex argumentis ergo a S. Doctore allatis accuratius erat indagandum atque determinandum, quaenam essent potissimum illa, quae apud Origenem a S. Thoma desiderarentur. Hoc vero investigare neglectum video. Atque adeo quae modo in Origine vituperat, num reapse ex

(1) p. 186 sq.

mente Angelici vituperentur, an ex propria mente R. Patris modernaeque scholae Thomisticae, id plane adhuc incertum est. Non erat ergo, cur ita ordiretur: « testimonia haec Origenis perspicue sententiam S. Thomae patefaciunt » (1), cum quid praecise S. Doctor vituperare voluerit apud Origenem, per se clarum non sit, etiam ob magnam varietatem rerum, quae in hac longa Origenis de libertate disputatione occurrunt. Contra ex doctrina S. Thomae diligenter inspecta et accurate expensa statuendum fuit, quid tandem illud esset, quod S. Doctori apud Adamantium adeo displiceret.

A falso igitur perspicuitatis supposito conclusio R. Patris proficiscitur. Partim vero falsa, partim ambigua sunt ea, quae quasi quaedam Neo-Thomisticae doctrinae confirmationes subjiciuntur. Nam quando R. P. jam subdit: « Non solum dat nobis Deus virtutem volendi, i. e. velle universale vel in communi (2), sed etiam dat nobis velle in particulari »: hoc de se

(1) Ibid.

(2) Infra p. 193 R. Pater persuadere lectoribus conatur, « *S. Thomam per virtutem volendi non intelligere nudam potentiam, sed qualem intellexit Origenes*, cujus sententiam S. Doctor refutat ». « Jam vero, inquit, manifestum est, Origenem admisisse *non nudam facultatem voluntatis, sed cum ipsa influxum quendam divinum* (praevium vel simultaneum, parum refert) *ab ipsa voluntate modificandum et determinandum. Hoc imprimis colligitur ex duplici comparatione, qua utitur Origenes*, et qua etiam adversarii Scholae S. Thomae utuntur ad illum concursum praevium vel simultaneum declarandum. *Deinde* idem ostenditur ex verbis Origenis. *Concedit enim nos a Deo habere non solum facultatem, sed etiam actum*, scilicet velle quoddam universale ( τὸ καθόλου θέλειν ); asserit, Deum nobis tribuere motionem quandam generalem τὸ καθόλου κινεῖσθαι, τὸ γενικὸν τὸ κινεῖσθαι *solum contendit specialem hunc vel illum motum nobis a Deo datum non esse*, sed a nobis provenire, qui illud velle universale, motionem illam generalem ad hoc vel illud flectimus vel illud determinamus. Contrariam sententiam defendit S. Thomas et tuentur Thomistae ».

Falsa est thesis R. Patris ; falsa etiam argumenta. — Atque ut ab ultimo argumento incipiamus, totum illud nititur interpretatione tali Origenis, quae et a verbis Graecis insitam vim aufert, et pro Origenis verbis verba nobis R. Patris substituit. Qui ait secundum Origenem *nos flectere, nos determinare* illud velle universale motionemque universalem. Quid vero ipse Origenes? « Nos vero *utimur* χρώμεθα illo moveri ad pejora aut ad meliora; nos sumus, qui illo velle ad praeclarissima aut quae iis sunt contraria *utimur* ( χρώμεθα ) ». Quis autem non videt, hoc dici de volendi deque se movendi *potentia? Potentia* enim volentes *utimur*. Quomodo autem generali quadam motione generali quadam volitione, a potentia distincta eaque necessario indeterminata, quae in rerum natura locum habere non potest, uti possimus, id nos quidem fugit. — Agi reapse ab Origene de potentia ut sic etiam alia haec verba hoc ipso loco ( Migne col. 292 ) ab Origene usurpata, clare indicant atque evincunt. « Quemadmodum, inquit, a Deo habemus, ut animalia simus et homines, sic etiam habemus, ut ita dicam, το velle in genere τὸ καθόλου θέλειν et τὸ se movere in genere το καθόλου κινεῖσθαι ». Non facile prudens lector haec aliter intelliget, nisi hoc modo: nos habere a Deo potentiam volendi, potentiam nos movendi, quemadmodum animalem humanamque naturam a Deo habemus.

At « duplici comparatione usus est Origenes, qua etiam adversarii Scholae Thomisticae utuntur ad concursum illum indifferentem explicandam ». Puto, loqui R. Patrem primo quidem de comparatione illa petita a sole, qui modo res liquefaciat et modo eas induret; deinde vero de altera, quae sumitur a navigantibus. *Numquid* igitur revera ex his comparationibus *sequitur, non agi de nuda potentia*, quando meminit Origenes τοῦ καθόλου θέλειν et τοῦ καθόλου κινεῖσθαι ? Hoc jam videndum.

Quando Origenes priorem adhibebat comparationem, versabatur ejus studium in his verbis Apostoli explicandis: « Ego indurabo cor Pharaonis » atque alteris: « Cujus vult miseretur et quem vult indurat », voluitque ostendere, iis non tolli a nobis arbitrii libertatem, quia haec verba etiam retineant suam veritatem, *quando vel hoc supponitur, non alio modo Deum influxisse in eos, quibus misericordiam praestabit, alio in illos, quos indurasse dicitur, unde diversitas illa non est orta ex illo influxu Dei, sed ex modo se habendi hominum.* Num hac suppositione tota vis verborum S. Scripturae exhauriatur, id alio loco est examinandum; interim unum hoc est illud, quod Origenes hic supponit.

ambiguum est; ipsa enim quaestio, quae inter nos agitatur, est haec: *quomodo* id (velle in particulari) nobis det Deus. — « Non solum motus in universum nobis Deus auctor est, sed etiam specialem hunc vel illum motum a Deo habemus. Deus facit nos velle hoc vel velle illud ». Nec hanc R. Patris assertionem quisquam negat; at controversia est, quomodo hoc a Deo fiat. — « Rejicienda consequenter est illa similitudo solis ac primi motoris ab Origene allata ». De primo motore locis allatis diserte nihil habet Origenes. Num inepte afferatur exemplum de sole ad illud propositum illustrandum, ad quod illustrandum proxime adhibetur ab Origene, lector ex iis, quae dixi, judicet. — « Influxus enim divinus non se habet sicut influxus solis, qui uno eodemque calore varios effectus producit, secundum quod diversimode a causis secundis modificatur: attingit divina operatio effectus determinatos; facit velle hoc vel velle illud ». Est ita; quaestio semper solvenda est, quomodo fiat. — « Pariter rejiciendum est exemplum ab arte gubernandi sumptum ». Ut profertur ab Origene, sane rejiciendum est. — « Nec dicere sufficit, longe majus esse quod a Deo, quam quod est a nostro libero arbitrio, nam omne quod est, et quomo-

*Unus* ergo erat et idem influxus Dei, qui Aegyptios promiscue attingebat, et eos, qui indurabantur et ceteros, quibus misericordia praestita est; atque quatenus unus est, assimilatur influxui solis in res diversas, qui licet unus idemque sit, diversas tamen res diverse afficit. Ceteroquin erat ille influxus *externus, antecedens, moralis, scl. per prodigia*, quae operatus est Deus in manu Moysis, *in quibus prodigiis Origenes* ll. apud Migne in fine n. 10 et 11 *illum influxum Dei omnino collocat*. Jam quanam re hic influxus similis est illius, quem secundum Jesuitas concursu simultaneo Deus exercet?

Insuper quaenam ratio afferri potest, cur omnino dicamus, Origenem hic, ubi memorat τὸ καθόλου θέλειν etc, respexisse ullo modo ad illas comparationes? Versabatur ibi *in aliis omnino textibus* explicandis. Nunc enim *et quidem amplius viginti columnis infra illum locum apud Migne* explicatisque variis textibus S. Scripturae, de eo loco exponendo agitur, ubi Apostolus affirmat, Deum in nobis operari et velle et perficere, videturque sibi Origenes hujus textus sufficientem explicationem invenisse in hac re, quod Deus nobis dederit τὸ καθόλου θέλειν et τό καθόλον κινεῖσθαι quo in singulis actionibus sive bonis sive malis pro arbitratu nostro utimur. Dicemusne igitur vel leviter probabile esse, Origenem hic cogitasse de simili morali atque externo influxu Dei in actiones nostras omnes atque ille fuit, quem Deus olim variis prodigiis in Aegyptios exercebat, quem ipse influxui solis in diversas res comparaverat, de quo ipse viginti columnis ante egerat? quis hoc crediderit?

Praeterea fuit ille Dei influxus plane definitus et determinatus. Qui ergo hic plane indefinitus et indeterminatus motus τὸ καθόλου κινεῖσθαι ei comparari potest?

Est porro hic sermo non tantum de motu quodam generali, sed *de voluntate quadam* generali. Quid habebat ille motus in Aegyptios, qui motui et influxui solis comparabatur, in se, ut quoddam velle universale dici possit?

Ex priore igitur comparatione nihil colligitur, quo ostendatur, τὸ καθόλου κινεῖθαι, το καθόλου θέλειν non significare nudam potentiam.

At illa de navigantibus comparatio restat. Restat utique, sed est ad evincendum hoc, quod R. P. hic efficere vult, priore etiam infirmior. In illa saltem aliquis moralis influxus in potentiam, non omnium hominum, non in omnibus eorum actionibus, sed tamen saltem influxus aliquis in voluntates Aegyptiorum, qui Moysis prodigiis aderant, adstruebatur. At hic nihil ejusmodi. Duo utique cooperantur ad eundem effectum, salutem navis: divina providentia per secundos ventorum flatus etc., nautae propriarum virium contentione; neuter tamen potest dici directe in operationem alterius influere. Qui igitur tam asseveranter dici illud a R. Patre potuit, hac comparatione innui, exerceri a Deo influxum, qui sit ab humana voluntate immutandus? non esse accipiendam locutionem το καθόλου θέλειν de nuda potentia volendi, sed de potentia simul cum quodam influxu actuali divino ab ipsa voluntate modificando et determinando?

Ut rem uno verbo absolvamus: sine ullo solido fundamento, in meris conjecturis et assertionibus R. Patris detinemur.

docunque est, a Deo est ». Sane, non sufficit dicere *quomodocunque*, longe majus esse quod a Deo, quam quod sit a nostro libero arbitrio. Sed si illis verbis non mere quantitativus excessus significetur, sed qualitativus et essentialis, scl. essentialis subordinatio et physica dependentia liberi arbitrii a Deo in omnibus prorsus operationibus suis, eaque pro natura actionum multiplex, ita ut nihil in iis sine Deo fiat, utique recte id dicitur. Male profecto atque haeretice diceretur, nos nihil agere, nihil ad salutem conferre. Si tandem additur a R. P. « non solum omne quod est, sed etiam *quomodocunque est*, a Deo esse, » nisi absurde et impie loqui volumus, illud *quomodocunque* profecto distinctione nec mediocri restrictione indiget. Nam voluntatis actus sub formali ratione vitalitatis et actus immanentis, sub formali ratione voluntarii, sub formali ratione moraliter mali certe a Deo non est. Haec aeque absurde atque impie dicerentur. Actus enim vitalis sub formali ratione sua ab uno vivente est, in quo est et manet actus. Voluntarii porro ratio actioni agentis competit, ab interna, non ab externa causa. Unde etiam liberi ratio actioni convenit, non ab externa causa, sed ab ipso creato agente, seipsum determinante, ut sic. Intime enim ratio voluntarii in ratione liberi inclusa est, et insuper ratio liberi addit, ut a causa antecedenter indeterminata procedat, quae causa sese actione sua *ipsa* determinet. Denique quod rationem moraliter mali attinet, nemo eam a Deo derivare potest eique tribuere sine blasphemia.

« Incommoda ab Origene assignata vana sunt ». Scilicet secundum R. P. Dummermuth (1) Origenes suam interpretationem loci Apostoli: « Non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei », ex eo confirmat, quod si locus aliter intelligatur, « supervacanea sunt mandata, frustra Paulus quosdam vituperat, quod collapsi fuerint, alios quod bene se gesserint, approbat; frustra Ecclesia leges dat, frustra nos meliora amplectimur, frustra currimus » (2).

Non plane accurate R. P. Dummermuth propositum reddidit, quod Origenes in hac enuntiatione prosequebatur. *Non* erat ipsi propositum per se et directe, *afferre confirmationem interpretationis a se datae, sed ad hominem ostendere, quae ab adversa parte proferebantur, ea multo minus asseveranter et multo minus absolute proferenda esse.* Hoc suum consilium ipse declarat. Quid porro illi adversarii dicebant? « Si « neque volentis neque currentis, sed miserentis est Dei », non ex libero nostro arbitrio pendet nostra salus, sed e natura, nobis ab eo, qui tales nos condidit, praestita, aut ex ejus arbitrio, qui cum vult misereatur ». Haec, saltem si communibus hominibus et qui in philosophicis distinctionibus admodum versati non sunt, dixeris, ipsa sine dubio sic intelligent, ut adstruatur, salutem nostram nihil omnino nulloque modo ab usu liberi nostri arbitrii pendere ; quae procul dubio etiam intentio erat eorum, qui sic

(1) pag. 185.

(2) Duo haec ultima incisa sensum Graeci textus parum reddunt. Vertes melius et accuratius: « frustra nos operam damus ad amplectenda meliora, frustra ad currendum ».

loquebantur et opponebant. — Hoc porro tantum si positive et simul de libero arbitrio, gratia non instructo, intelligitur, verum est ; nam sic liberum arbitrium positivi quidquam ad salutem conferre non potest. Universe tamen, si de libero arbitrio affirmabatur, etiam gratia instructo, falsum erat. Nam, ut nunc res est et praesens fert divina providentia, ex usu liberi arbitrii permultum pendet, utrum salvi futuri an perituri simus. Hoc sic revera esse, ostendit Origenes iis, quae enumerat, quasi dicat : « Si *omnis prorsus influxus* liberi arbitrii in salutem nostram negatur, supervacanea sunt mandata » etc. Et ita rem esse, a nullo negari potest. — Esto ergo, Origenes non recte duo illa inter se composuerit, quomodo salus nostra ex *aliquo* usu liberi arbitrii nostri pendeat, et quomodo simul *tota* salutis consecutio opus divinae misericordiae sit : « Incommoda ab Origene assignata », quatenus dirigebantur praecise contra extremam illam sententiam, quae omnem prorsus libero arbitrio influxum sub omni hypothesi in salutem singulorum denegabat, « vana profecto non erant », quamvis eadem incommoda minime demonstrarent illud, recte et secundum veritatem ab Origene composita esse arbitrii nostri libertatem ejusque in salutem nostram sub certis conditionibus influxum cum doctrina illa Apostolica, salutem nostram omnem ex Deo esse. Sed haec hactenus.

---

## ART. IX

### EX 1, q. 23, a. 1, QUEM LOCUM R. P. DUMMERMUTH PRO SUA SENTENTIV LAUDAT, OSTENDITUR VERITAS DOCTRINAE CONTRARIAE.

Plurima, quae jam apud R. P. Dummermuth sequuntur, utpote quae solidioribus fundamentis careant, silentio praeterimus. Illis vero, quae pag. 197 sqq. pro Thomistarum sententia commemorat, nonnihil inhaerendum, non quod in illis aliqua contra nos difficultas contineatur, sed quod si alia ulla, haec profecto Thomistarum causam evertunt. Opposuerat sibi S. Thomas 1, q. 23, a. 1 pro loco hoc : « Ad primum sic proceditur. Videtur, quod homines non praedestinantur a Deo. Dicit enim Damascenus in l. 2 de Orthodoxa Fide c. 30 initio : « Oportet cognoscere, quod omnia quidem praecognoscit Deus, non autem omnia praedeterminat. Praecognoscit enim omnia, quae in nobis, ἐφ' ἡμῖν sunt, non autem praedeterminat ea ». Sed merita et demerita humana sunt in nobis, ἐφ' ἡμῖν in quantum sumus nostrorum actuum domini per nostrum liberum arbitrium. Ea ergo, quae pertinent ad meritum vel demeritum, non praedestinantur a Deo. Et sic hominum praedestinatio tollitur ». Ad hanc objectionem hoc modo respondet S. Doctor : « Ad primum ergo dicen-

dum, *quod Damascenus nominat praedeterminationem impositionem necessitatis, sicut est in rebus naturalibus quae sunt praedeterminatae ad unum.* Quod patet ex eo, quod subdit : « non enim vult malitiam, nec compellit virtutem » ; unde praedestinatio non excluditur ».

Ex hoc loco evidens est, *S. Thomae idem esse imponi necessitatem et praedeterminari ad unum simpliciter.* Nam ideo est rebus naturalibus necessitas imposita, quia sunt praedeterminata ad unum, quae praedeterminatio si humanis mentibus adhiberetur, esset ad virtutem compulsio.

Porro haec praedeterminatio ex mente D. Thomae non est aliquid terminative et formaliter in mente creatoris, sed terminative saltem et formaliter in re creata exsistit. Id patet tripliciter. Primo quia hac praedeterminatione *rebus creatis necessitas imponitur,* est ergo actus transiens Dei ; secundo, quoniam per ipsam, si adhiberetur, voluntas compelleretur; compulsio autem est in eo, quod compellitur, saltem terminative et formaliter; tertio quia concludit, ob hanc a Damasceno negatam praedeterminationem non negari oportere praedestinationem. Et recte quidem ita concludit, si tamen praedeterminatio terminative et formaliter sumpta est aliquid in re creata. Nam praedestinatio, sicuti in corpore articuli expositum est, ratio transmissionis creaturae rationalis intelligitur in divina mente exsistens. Quare, etsi negavit Damascenus hujusmodi praedeterminationes ad unum imponi creaturis rationalibus, nihil necesse est, eum negasse, hujusmodi transmissionis rationem in divina mente exstare. Nam haec potest esse sine illa (1). Ceterum praedeterminationem in creatura esse, ipsi Thomistae affirmant. — *Est ergo perspicuum, secundum S. Thomam formam vel quidquid vis eam appellare, ipsi menti humanae divinitus impositam eamque praedeterminantem ad unum simpliciter, imponere necessitatem, voluntatem compellere.* Quid potest desiderari clarius, quid efficacius contra recentiores Thomistas ? Rejecta est a S. Thoma doctrina propriis ipsorum terminis.

Nec illud quidem effugium hic adhibere licet, quod alias a Thomistis frequentatur, quasi S. Thomas hic non definierit, praedeterminationem ad unum simpliciter *per se* et qua talis sit, esse semper necessitatis impositionem libertatisque eversionem, sed tum tantum, quando ipsa adsit per

(1) Secundum haec videtur corrigenda vel explicanda quaedam a P. Limbourg in « Zeitschrift für Kath. Theol. » ( an. 1880, p. 269 ) post P. Schneemann ( p. 71 ) facta assertio, vocem praedeterminandi nunquam apud S. Thomam usuvenire pro quodam Dei influxu in voluntatem exercito. Hic enim certe explicat Angelicus saltem Damascenum sic, ut ille vocem praedeterminationis ad talem influxum significandum usurpaverit; quamvis Damascenus certe non dixerit praedeterminare sed προορίζειν.— Verba Suarezii l. 1 de Concursu c. 11, n. 8, quae laudat P. Limbourg ad hoc confirmandum, non hoc praecise continent, sed tantum illud, S. Thomam nunquam docere, « Deum praedeterminare voluntatem, nedum physice praedeterminare ». De voce a S. Thoma usurpata aut non usurpata sensu declarato nihil dicit. — Illud vero hic observa, si vox praedeterminandi in sensu recentiorum Thomistarum erat nota S. Thomae, quomodo factum est, ut si sententiam de physicis praedeterminationibus revera tenebat, nunquam tamen vocem ad eam enuntiandam sententiam inter omnes aptissimam usurpaverit? S. Thomam doctrinam de praedeterminationibus physicis nunquam saltem his terminis tradidisse, certum est; imo eam ll. negavit.

modum naturae, sicut accidat in rebus naturalibus. Grammatica enim constructio sententiae talem violentiam fieri prorsus hic vetat. Nam illud incisum « sicut est in rebus naturalibus », manifesto explicat exemplo, « impositio necessitatis » in quanam re sita sit : « Damascenus nominat praedeterminationem impositionem necessitatis, sicut est in rebus naturalibus, quae sunt praedeterminatae ad unum ». Ultimum vero incisum evidenter continet *rationem,* cur in rebus naturalibus regnet necessitas : scilicet quia sunt « ad unum praedeterminatae ».

*Ex his, quae modo vidimus, negativam saltem explicationem eorum etiam consecuti sumus, quae apud S. Thomam in qst. 5 de Ver., a. 5 ad 1 exstant.* « Verbum, inquit S. Doctor, Damasceni non est intelligendum hoc modo, quod omnia, quae sunt in nobis, id est in electione nostra, a divina providentia excludantur, sed quia non sunt per divinam providentiam *ita* determinata ad unum sicut ea, quae libertatem arbitrii non habent ».

*Nimirum in voluntatis electionibus, ab omnibusque iis, quae sunt,* ἐφ' ἡμῖν, *excluditur omnis ad unum simpliciter antecedens determinatio, quae in ipsis agentibus atque voluntatibus insit, id est, omnis physica ad unum praedeterminatio.*

At dices : S. Thomas loco modo laudato de Ver. non dixit, quae in nobis sint, ea non esse per divinam providentiam determinata ad unum, id simpliciter et absolute asserendo, sed cum modificatione, scilicet asseruit, ea *non ita* esse per divinam providentiam ad unum determinata : « sicut ea, quae libertatem arbitrii non habent ». Ita est. Sed quid haec modificatio Thomistas juvare potest ? Nam etsi damus Thomistis id, quod dare nequaquam est necesse : scilicet in illa modificata sententia subindicari, esse quendam modum, secundum quem dici possit, per divinam providentiam agentia libera determinari ad unum, debet tamen manere exclusum, quod id fiat per aliquid *praevium,* quo *ad unum simpliciter* voluntas determinetur. *Praevia* autem determinatione ad unum simpliciter exclusa, sane exclusa est Thomistarum *prae*determinatio physica ; est enim haec idem prorsus quod ista.

Quamquam autem nobis licet declinare responsionem ad hanc quaestionem, quì tandem aliquo vero modo dici illud possit, per providentiam divinam liberas etiam voluntates determinari ad unum, tamen ut manifesto appareat, quomodo nihil prorsus, quod S. Thomas in hac re statuerit vel obiter innuerit, a Molinistis inexplicatum relinquatur, id ipsum paucis explicemus.

Primum animadvertimus, providentiam divinam non esse idem ac divinam praedefinitionem, quae sensu saltem perfecto et proprio tantum quaedam functio est divinae providentiae, versans circa unas bonas actiones ; sed providentia multo latius patet, comprehendens in se *inter alias* functiones : conservationem rerum a Deo conditarum, *cooperationem ad omnes creaturarum actiones,* malorum permissionem, quae potest praedefinitio

actus mali secundum quid, permissiva et conditionata vocari (1). Quae cum ita sint, potuit recte a S. Thoma affirmari, *per divinam providentiam* libera etiam agentia determinari ad unum, non ea praevie ad suas operationes determinando ad unum, *sed* ad eorum determinationes *cooperando*, quemadmodum docent Molinistae. Quoties enim libera creatura sese ipsa ad unum formaliter et proprie determinat et adstringit, simul etiam Deus eam ad unum *condeterminat*, quia creatura actum, quo se ipsa proprie determinat, producere non potest nisi coefficiente Deo (2). Quoniam vero cooperatio Dei cum creatura functio quaedam est divinae providentiae, recte affirmatur, a divina providentia hac ratione (materialiter) liberas nostras actiones determinari.

Potest etiam alia hujus locutionis explanatio et fortasse contextui magis accommodata afferri, quae innititur doctrina S. Thomae de rerum gubernatione in 1ª p., q.103, a. 8 tradita et a nobis supra pag. 274 sqq. explicata. Ibi bonum in genere tanquam unicus scopus *determinatus divinitus* assignatur, in quem omnis voluntas a Deo per ipsam naturam inditam ordinatur atque propellitur. Si ergo in phrasi : determinari ad unum voluntatem per divinam providentiam, non intelligimus unum simpliciter et in particulari, sed unum in genere et in communi, seu quod re idem est, si intelligimus, humanas voluntates a Deo determinari et praedeterminari ipsa natura in bonum universe, sane verissime affirmari potest, per providentiam divinam humanas voluntates ad unum determinari. Nec cum iis, quae alias a S. Thoma dicta sunt, sic ulla oritur discrepantia, quia, quando negavit in 1ª parte q. 23, a. 1, ad 1 hominis liberum arbitrium divinitus praedeterminari, locutus est de praedeterminatione voluntatis humanae per Deum ad unum simpliciter et in particulari, prouti usuvenit in rebus naturalibus, non ad unum in genere et universaliter ; qua determinatione etiam admissa nihilominus sarta tecta humana libertas manet. Cfr qst. 3 de Malo art. 3 circa medium ubi haec : « Tam intellectus quam voluntas, inquit, ex necessitate tendit in illud, ad quod naturaliter ordinatur : *naturale enim est determinari ad unum* : unde intellectus ex necessitate assentit principiis primis naturalibus... et similiter *voluntas naturaliter vult et ex necessitate beatitudinem* ».

Atque in his consentaneam etiam habes ceteris placitis Doctoris Angelici explicationem eorum, quae S. Doctor *in fine cap. 90 libri 3. cont. Gent.* scripsit (3). Sunt vero haec : « Quod Gregorius Nyssenus dicit in libro, quem de fine hominis fecit, quod « providentia est eorum, quae

(1) Cfr v. g. Arrubal in 1ᵃᵐ p. S. Thom. disp. 66, cp. 3; Vasqz ibid. disp. 87, c. 1 et disp. 89, c. 5; quamvis secundum alios multo melius ab hac expressione in malis actionibus prorsus et omni modo abstineamus. Cfr Lessius « de Perfect. Divinis » l. 11, c. 5, n. 20; « de Auxil. Efficaci » c. 5, n. 18; Franzelin « de Deo Uno » thes. XLIII p. 428 edit. primae.

(2) Nimirum Deus non quidem determinat, ut sit hic libertatis usus in homine prae illo; attamen cooperatur ad illud accidens producendum, quod pro creatura est formalis determinatio ad unum prae alio usu libertatis.

(3) Apud Dummermuth, p. 197.

non sunt in nobis, ἐφ' ἡμῖν, non autem eorum quae sunt in nobis » et Damascenus, cum sequens, dicit in libro 2 de Orthodoxa fide, quod « ea, quae sunt in nobis, Deus praenoscit, sed non praedeterminat », exponenda sunt ita, ut intelligatur, ea, quae sunt in nobis, divinae determinationi non esse subjecta, quasi ab eo necessitatem accipienda ». *Nimirum haec subjecta sunt quidem divinae ei determinationi, quae est in ordine ad bonum in communi, a quo exire plane non possunt, quemadmodum id locis supra laudatis a S. Thoma explicatum est ;* hoc tamen actionis particularis necessitatem non inducit, ut ex superioribus item constat.

His textibus recitatis sequuntur apud R. P. explicationes quaedam modique loquendi, in quibus usurpandis nonnihil dubitamus, num satis attenderit R. P., conveniantne cum locis S. Doctoris eosque revera explicent necne. Sic ait : « Electiones nostrae determinatae quidem sunt [ intelligit, physice praedeterminatae ad unum simpliciter ] a divina providentia, sed non ex necessitate sicut naturalia, quae sine libertate fiunt ». Affertur hic rursus a R. P. ille notissimus nobis ex quaestionibus disputatis de Veritate q. 24, a. 14 locus, quem solet R. P. non integrum suis lectoribus exhibere. « Voluntas hominis, sic secundum R. Patrem S. Thomas locutus est, non est determinata ad aliquam unam operationem nisi mota per aliquid quod in ea interius operatur, quod est ipse Deus ». Alia ejusdem valoris addit.

---

## ART. X

### EXPENDUNTUR EA, QUAE A R. P. AFFERUNTUR EX CPP. 91 ET 92 L. 3 CONT. CENT.

Placet R. Patri pag. 199 ex cap. 91 ejusdem tertii libri contra Gentiles etiam hanc sententiam ponere : « *Oportet ergo omnium voluntatum et electionum motus in divinam causam reduci*, non autem in aliquam aliam causam, quia solus Deus nostrarum voluntatem et electionum causa est ».

Agitur evidenter de eadem hic quaestione, quam S. Thomas etiam in 1ª p. q. 116, a. 1 attigit, quamque nos supra p. 283 sqq. explanavimus. Sensus autem conclusionis secundum Ferrariensem ad hunc locum, hic est : « Humana non aguntur fortuito, *quasi* scilicet *a nullo ordinata* et intenta (1), sed sic ad superiores causas reducuntur, quod *electiones et*

(1) Haec vox « intenta » accommodata distributione et interpretatione indiget propter mala culpae. Quare Ferrariensis infra ad cp. 92 accuratius hoc modo loquitur : « Quum Deus maximus omnem causam particularem tam naturaliter agentem quam libere sub se contineat, atque unamquamque applicet ad operationem, ut supra est ostensum, constat, nihil posse esse per accidens et fortuitum in com-

*voluntates immediate a Deo disponuntur* ». Et recte quidem Ferrariensis ita interpretatur. Nam ll. in Summa Theologica haec scripserat S. Thomas : « Et sic nihil prohibet ea, quae hic per accidens aguntur, ut fortuita et casualia, reduci *in aliquam causam ordinantem,* quae per intellectum agit et praecipue intellectum divinum. Nam solus Deus potest voluntatem immutare, ut supra habitum est. *Et per consequens ordinatio humanorum actuum, quorum principium est voluntas, soli Deo attribui debet* ». Hanc eandem sententiam S. Thomas hic ( cont. Gent. ) ita expressit : « Electiones et voluntates immediate a Deo disponuntur ». « Disponuntur », inquit, non « praedeterminantur physice » aut simile aliquid. « Dis ponuntur » autem manifesto idem est atque illud, quod in Summa dixit : « ordinantur » (1). Agitur ergo in hac sententia : « Oportet omnium voluntatum et electionum motus in divinam causam reduci, non in aliquam aliam causam », *de reductione* omnium humanorum actuum ac volitionum *in unicam causam humanas voluntates ordinantem*, quae est divina voluntas. In hac porro *ordinatione* divina voluntas nullius creaturae admittit consortium, nullius ministerium. Cur autem haec ordinatio unius Dei sit, meritoque fundetur in hac sententia : « quia solus Deus nostrarum voluntatum et electionum causa est », id supra p. 284 sq. satis explicavimus. Si autem diceretur, Deum hominum voluntates ordinare non posse nisi praedeterminationibus physicis Thomistarum, aliquid diceretur, quod saltem omni fundamento careat.

Ergo etiam hoc argumentum pro praedeterminationibus physicis demonstrandis plane inutile est.

Difficilius est illud, quod sequitur. « Secundo colligit S. Thomas ( c. 92 ll. cont. Gent. ), ita R. P. pag. 199, « *quomodo dicitur aliquis bene fortunatus, et quomodo adjuvatur homo ex superioribus causis* . . . Quamvis Deus solus *directe* ad electionem hominis operetur, tamen actio Angeli operatur aliquid ad electionem hominis *per modum persuadentis*, actio vero corporis coelestis *per modum disponentis*, inquantum corporales coelestium corporum impressiones in corpora nostra disponunt ad aliquas electiones. Quando igitur aliquis ex impressione coelestium corporum et superiorum causarum inclinatur ad aliquas electiones sibi utiles, quarum tamen utilitatem propria ratione non cognoscit, et cum ex hoc lumine intellectualium substantiarum illuminatur intellectus ejus ad eadem intelligenda, et *ex divina operatione inclinante inclinatur ejus voluntas ad aliquid eligendum* sibi utile, cujus rationem ignorat, dicitur esse bene fortunatus ; e contrario, male fortunatus, quando ex superioribus causis ad contraria ejus electio inclinatur ... Sed in hoc est attendenda differentia ... Nam operatio Angeli et corporis coelestis est solum *sicut disponens* ad electiones, *ope-*

paratione ad ipsum, sed omne, quod in rebus evenit, *excepto malo culpae*, inquantum hujusmodi est, est ab ipso provisum et intentum ». Malum culpae ut sic a Deo provisum quidem est neque tamen intentum.

(1) Cfr Sap. 8, 1.

*ratio autem Dei est sicut perficiens.* Cum autem dispositio quae est ex corporis qualitate vel intellectus persuasione, necessitatem ad eligendum non inducat, *non semper* homo eligit quod Angelus custodiens intendit, neque illud, ad quod corpus coeleste inclinat; *semper tamen hoc homo eligit, quod Deus operatur in ejus voluntate.* Unde custodia Angelorum interdum cassatur; et multo magis inclinatio coelestium corporum, *divina vero providentia est firma* ».

« Idem habetur, continuat R. P. Dummermuth, in quaestione 3 de Malo art. 3, in quo, ut ostensum est pag. 142, docet S. Thomas physicam praedeterminationem. — Cfr ea, quae supra disputavimus p. 285 sqq., ubi vidimus, hoc esse falsum. — Dicit ibi S. Doctor, « quod causa aliquid *movens* multipliciter dicitur. Quandoque enim dicitur causa id quod est *disponens;* vel quod est *consilians, vel quod praecipiens;* quandoque vero dicitur *causa id quod est perficiens; et haec proprie et vere causa dicitur,* quia causa est ad quam sequitur effectus. *Ad actionem autem perficientis statim effectus sequitur,* non autem ad actionem disponentis vel consulentis vel imperantis ».

« Causa movens, ita jam R. P., per modum consulentis vel persuadentis, qualis est Angelus, movet *moraliter.* Causa movens per modum perficientis, qualis est Deus nos movens ad electiones nostras, movet *physice.* Haec sic a S. Thoma definitur in laudato articulo : Causa perficiens est ex cujus actione ( seu motione ) agens directe inclinatur (1).

« Ad motionem causae moventis moraliter, pergit R. P., non statim nec semper effectus sequitur (2). Ad motionem causae moventis physice *statim effectus sequitur. Sequitur etiam semper, nam semper hoc* (determinate) *homo eligit, quod Deus operatur in ejus voluntate* (3).

« Ratio hujus diversitatis est, quia sola causa perficiens *vere* et *proprie* causa est (4). Illa autem « proprie causa dicitur ad quam (5) *ex necessi-*

(1) Liceat nobis hic in memoriam revocare, S. Thomam distinxisse *directam i. e. physicam et immediatam* Dei in voluntate operationem *in perfectam et imperfectam.* Vide q. 22 de Ver. a. 9 et supra p. 272 sq.

(2) Hoc quidem verissimum est. Nam 1° omnis causa moralis alicujus effectus tantum est causa *mediata;* porro 2° omnis moralis causa in immediatam et physicam causam effectus tantum moraliter influit; huic autem influxui, quia est per modum suasionis dumtaxat, causa physica et immediata *cedere non debet.* Unde constat, ad motionem causae moraliter tantum moventis effectum nec statim nec semper sequi. — At minus veritati consonat, quod a R. P. causa moralis perficienti causae *immediate* opponitur. Causa moralis immediate opponitur causae physicae, quae potest esse, ut alias diximus, aut perficiens aut non perficiens; potest etiam ab hoc abstrahi et praescindi. Sane quando causa physica effectum reapse operatur, perficiens causa est.

(3) Attende, quomodo hic R. P. substituat causam moventem i. e. agentem physice pro causa perficiente, et quomodo quod S. Thomas de una causa perficiente affirmabat, R. P. affirmet jam de omni causa physice movente, haud dubie propterea, quod causa perficiens secundum S. Thomam causa directa i. e. physice movens sit: quasi de genere omne id valeat, quod de specie. Est ergo causa perficiens causa physice movens; neque tamen inde sequitur, causam physice moventem i. e. *omnem* causam physice moventem proprietates habere perficientis causae, ad cujus actionem statim et semper effectus sequatur.

(4) Nunc iterum in aciem prodit causa perficiens.

(5) scl. ad ejus actionem, ut in corpore articuli dicitur.

*tate* sequitur aliquid (art. cit. ad 3) ». Necessitas haec, ut patet, in subjecta materia, non est absoluta, sed est necessitas infallibilitatis vel ex suppositione (1) ! Unde dicit Ferrariensis (ad cap. 92) : « Dispositio quae est ex corporis qualitate vel intellectus persuasione, non inducit necessitatem ad eligendum, sed *operatio Dei est sicut perficiens.* Illud solum est ad memoriam revocandum, quod *licet necessarium sit ex suppositione velle id, ad quod Deus eam movet, absolute tamen contingenter vult et libere* ».

« Breviter omnia praedicta reddi possunt: Deus physice et efficaciter nos praedeterminat ad electiones liberas per modum liberi ».

Cur et num omnia praedicta ita breviter merito reddi possint, debuit R. P. uberius explicare et ostendere. Nam plura dubia restant: 1° quo jure a R. P. statuatur, causam perficientem esse idem atque causam physice (voluntatem) praedeterminantem ; 2° quomodo cum motione causae perficientis, quamvis antecedens sit, stare possit mera ex suppositione necessitas, non inducatur necessitas absoluta, si scilicet ad eam revera effectus et semper et statim et necessario sequatur. Nam nihil horum edocuit R. P., sed tantum dixit, ea patere, cum tamen per se evidentia non sint. Alia etiam quaeri possunt.

Nullo tamen modo negamus in his, quae R. P. ex S. Thoma attulit, elementa seriae difficultatis contineri. Ut autem clare pateat, in quanam re *difficultas haec sita sit,* dicimus, eam contineri *in definitione causae perficientis,* ut eam S. Thomas q. 3 de Malo a. 3 fuse tradidit et explicavit (2). Secundum hunc igitur locum *causa perficiens est* ejusmodi causa, quae directe i. e. vere physico influxu et statim, ubi agit, et semper et ex quadam necessitate effectum intentum (id « quod est ») producit. Jam vero S. Thomas hic (cont. Gent. c. 92) affirmat, in electionibus humanis divinam in voluntate operationem habere sese ut causam electiones voluntatis perficientem. Ergo concedendum est, statui hic a S. Thoma operationem divinam in voluntate, quae directe et statim, ubi agat i. e. influat, semper et ex necessitate quadam vera secum fert electionem objecti determinati : « semper tamen *hoc* homo eligit, quod Deus operatur in ejus voluntate ».

Agitur porro, ut ex toto contextu patet, hic cont. Gent. de operatione divina electionem praecedente, unde non potest illa divina operatio de sola divina cooperatione simultanea explicari. Quae cum ita sint, videri potest ex doctrina D. Thomae consequi, nihil obstare liberae electioni, si in voluntatem exerceatur antecedens quidam divinus influxus, qui directe et statim, ubi agat, et ex necessitate hanc ipsam singularem electionem inducat. Praedeterminatio autem physica omnes hujus operationis vel motionis proprietates nec alios ullos habet. Ergo ex doctrina S. Thomae libera ele-

(1) Quomodo hoc in sententia Thomistarum pateat, non elucet, imo contrarium elucet. Aliud est materiam, de qua agitur, *exigere*, ut necessitas tantum sit ex suppositione, aliud, eam tantum necessitatem in systemate Thomistarum *reapse obtinere.*

(2) Cfr tamen etiam 4 dist. 1, q. 1, a. 4 et quae supra ipsi de hac notione disseruimus.

ctio et praedeterminatio ad eam physicam inter se pugnare non videntur. — Unde falsa videtur, si D. Thomam audiamus, Molinistarum praecipua contra Thomistas assertio, praedeterminationem physicam et electionem atque libertatem arbitrii in agendo inter se pugnare.

Quod autem hic subsumptum est, praedeterminationem physicam omnes et solas proprietates habere, quae hic attribuuntur actioni causae perficientis, liquet. Nam ante omnia haec actio praevia est. Quando autem haec actio a D. Thoma appellatur directa, eo ipso significatur, eam physicam in voluntate operationem esse. Cfr de Verit. q. 22, a. 9. Quando porro dicit, eam efficere effectum statim, ubi operetur, semper, ex necessitate, eas ei notas attribuit, quae maxime praedeterminationi physicae sint propriae. Denique si hominem semper inducit ad eligendum *hoc*, quod Deus vult eum eligere, manifestum evadit, eam esse praedeterminationem ad unum particulare agendum, quam statuunt Thomistae.

Qui haec difficultas solvetur? Una ex primariis bonae interpretationis regulis haec est, ut quantum possimus caveamus, ne quem scriptorem secum ipsum committamus. Jam vero pugnaret S. Thomas secum ipse, sibique manifesto contradiceret, si hic revera id docuisset, quod ei in difficultate supra exposita, impositum est. Nam ut alia taceam, nonne nuper ex ejus ipsius ore audivimus, « necessitatem illam, quae pendet [ simpliciter et adaequate ] ex causis prioribus, esse necessitatem absolutam » (1)? Est autem plane evidens, hujusmodi motum divinum, qualis in objectione describitur, si accipiatur sensu Neo-Thomistico, esse causam simpliciter et adaequate priorem, qua effectus absolute necessario inducitur. Ergo ejusmodi motus tolleret simul et non tolleret libertatem. Tolleret ex illo loco 2i libri Physicorum (2) ; non tolleret ex hoc loco contra Gentiles. A se ergo ipse aperte dissentiret.

At nihil timendum, ne S. Thomas in materia adeo frequenti sibi ipse sit contrarius.

Itaque principio advertendum est, nihil esse toto articulo 3 qst. 3 de Malo, quem infra in nota quoad rei summam describimus (3), quo effi-

(1) Cfr supra p. 307.

(2) Phys. I. 2 lect. 15.

(3) Quaestio est: « Utrum diabolus sit causa peccati », intellige proprie et stricte. Allatis de more rationibus oppositis, cur videri possit diabolus peccati esse causa proprie [ et maxime stricte ], proferuntur tres rationes, cur id sit negandum, in argumento : « Sed contra est ».

1° id « quod Aug. dicit in lib. 83 Quaestionum, quod ad hominis voluntatem causa depravationis ejus redit, sive aliquo sive nullo suadente depravatus sit ».

Hic attende, quomodo peccatum, quatenus peccatum est, in una humanae voluntatis determinatione secundum SS. Aug. et Thomam ultimo sistat.

2° « Praeterea. Aug. dicit in lib. de libero arb., quod non est aliquid causa peccati humani, sed quilibet est causa [ scl. maxime stricte ] suae malitiae ». — Sensus hujus dicti plane est idem ac prioris.

3° « Praeterea. Peccatum hominis ex libero arbitrio procedit; sed diabolus non potest liberum arbitrium hominis movere [ scl. directe ], hoc enim libero arbitrio repugnaret. Non est ergo diabolus causa peccati.

« Respond. Dicendum quod *causa aliquid movens multipliciter dicitur*, quandoque enim dicitur causa id, quod est disponens, vel quod est consilians, vel quod est praecipiens; *quandoque vero dici-*

caciter ostendatur, *esse de ratione causae perficientis, ut* ipsa agendo *aliud agens*, humanam inquam voluntatem, *praevertat*, inque eam praevie influat; sed hoc sufficere, ut aliquo modo ad terminum effectumque producendum efficaciter et physice cooperetur. Si secus esset, voluntas ipsa humana causa perficiens non esset; est autem voluntas humana, simul cum Deo, causa perficiens operationum suarum, ut S. Thomas II. de Malo ipse docet. Cfr § « Relinquitur » etc.

Duo tamen R. Patri concedimus: 1° non magis de ratione causae perficientis hoc esse, ut alteram causam agendo non praevertat. Constat hoc imprimis ex hoc cap. 92 cont. Gent., de quo capite potissimum agimus; 2° igitur concedimus, agi in hoc cap. 92 de Deo sic, ut non solum sit causa effectum absolute intentum perficiens, sed etiam causa alteram causam similiter perficientem, humanam, inquam, voluntatem, praevertens: inclinans scl. eam transeunte suo influxu physico ad aliquid eligendum. 3° vero illud addimus, Deum II. de Malo propterea *imprimis* ut causam perficientem celebrari, quoniam ut voluntatis auctor, auctor est etiam *inclinationis naturalis et habitualis in bonum* commune, qua inclinatione voluntas operatur, quaecunque operatur. Quinimo 4° non injuria aliquis contendat, una ratione hujus inclinationis vindicari Deo II. de Malo potissimum rationem causae perficientis relate ad operationem voluntatis humanae. Vide ipsum articulum §. « Relinquitur »: « Inclinatio autem naturae » etc.

Ex his igitur constat, duo non esse de ratione causae perficientis ut sic, quae tamen sine dubio sunt de ratione causae voluntatem physice

*tur causa id, quod est perficiens, et haec proprie et vere causa dicitur, quia causa est ad quam sequitur effectus. Ad actionem autem perficientis statim effectus sequitur,* non autem ad actionem disponentis vel consulentis vel imperantis. Suasio enim non cogit invitum, ut Aug. dicit in lib. 83 Quaestionum.

« Sic ergo dicendum est, quod diabolus humani peccati causa esse potest per modum disponentis vel persuadentis interius aut exterius, aut etiam per modum praecipientis, ut apparet in his, qui se manifeste diabolo subdiderunt: sed per modum perficientis causa peccati esse non potest. Sicut enim in formis producendis causa *perficiens est, ex cujus actione directe consequitur forma, ita in actibus eliciendis causa perficiens est, cujus actione agens directe inclinatur ad agendum;* peccatum autem non est forma sed actus. Illud ergo *per se* potest esse causa peccati, quod potest *directe* movere voluntatem ad actum peccati.

« Est autem considerandum, quod voluntas ad aliquid inclinari dicitur dupliciter: uno modo ab exteriori, alio modo ab interiori. Ab exteriori quidem sicut ab objecto apprehenso... Ab interiori autem movetur voluntas *sicut ab eo, quod producit ipsum voluntatis actum.* Objectum autem propositum voluntati non ex necessitate movet voluntatem... Sic ergo videtur et circa voluntatem quod voluntas ad nihilum ex necessitate movetur, quod non habet necessariam connexionem cum beatitudine, quae est naturaliter volita. Manifestum autem est, quod hujusmodi particularia bona non habent necessariam connexionem cum beatitudine... Patet ergo quod objectum non ex necessitate movet voluntatem, et ideo nulla persuasio ex necessitate hominem movet ad agendum.

« *Relinquitur ergo, quod causa perficiens et propria voluntarii actus sit solum id, quod operatur interius;* hoc autem nihil aliud esse potest, quam *ipsa voluntas sicut causa secunda et Deus sicut causa prima.* Cujus ratio est, quia actus voluntatis nihil est aliud, quam inclinatio quaedam in volitum sicut et appetitus naturalis nihil est aliud quam inclinatio naturae ad aliquid. *Inclinatio autem naturae est a forma naturali et ab eo, quod dedit formam unde dicitur, quod motus ignis sursum est ab ejus levitate et a generante, quod talem formam creavit. Sic ergo motus voluntatis directe procedit a voluntate et a Deo, qui est voluntatis causa, qui solus in voluntate operatur et voluntatem inclinare potest in quodcunque voluerit.*

praedeterminantis ad unum agendum : 1° non est de ejus ratione, ut ipsa aliam causam agendo praevertat ; 2° non est de ejus ratione, ut aliqua re, quae mere transiens, non permanens, sit, in effectum, qui fit, influat. — *Unde constat ulterius, notiones causae perficientis et causae ad unum physice praedeterminantis identicas nequaquam esse*, sed toto coelo inter se distare.

Conjungamus vero nunc utrumque locum, illum de Malo et hunc cont. Gent., et videamus, quaenam nobis exhibeatur hac ratione imago Dei, ut est causa humanae voluntatis operationes perficiens.

Itaque *ratio causae perficientis sub triplici consideratione ex doctrina S. Thomae his locis videtur posse Deo attribui relate ad operationem voluntatis humanae ;*

1° quia effectum absolute a se intentum ( « ultimam perfectionem », ait S. Thomas 4 sent. dist. 1 ) *interdum causali suo, physico, antecedenti influxu in alteram causam, humanam voluntatem, ita producit, ut a* ) eum producat *cum vera quadam necessitate atque semper ; b* ) ut *statim* eum producat *i. e. nulla alia re media vel interposita*, hoc modo, ut, ubi primum Deus *in voluntate directe et physice egerit illud*, quo ipse vult effectum producere, hic effectus vi hujus motus a voluntate sic aucta et affecta ponatur, et non ratione alterius alicujus rei mediae, cujusmodi exempli gratia est bonum apprehensum, quo mediante creata aliqua causa voluntatem movere potest ; nam quod unum immediate excipit et sequitur, maxime si cum vera quadam necessitate atque semper sequitur, id merito potest dici statim sequi ; *c* ) sic, ut actus eliciatur a voluntate, influxu divino physice aucta, libere, et nihilominus sic, ut si Deus alium actum efficere vellet, hic alius actus certissime, utut libere, a voluntate eliceretur ; nunc tamen, quia hunc actum Deus ab aeterno efficere vult, hic actus a creatura libera in tempore elicitur.

2° Recte etiam propterea Deus causa perficiens relate ad humanam voluntatem ejusque operationem dicitur, *quia ipse auctor est naturalis inclinationis in bonum in communi.* Nam id, quod res generata vel producta actu operatur et efficit vi inclinationis sibi a generante vel producente inditae, adscribitur ipsi generanti. Media autem hac inclinatione voluntas ipsa quoque evadit, quoties agit, causa perficiens.

3° Etiam *ratione concursus simultanei re exhibiti* Deum causam perficientem operationis humanae merito dixeris. Nam quidquid a causa perficienti exigitur, hoc concursu Dei exercito in operatione voluntatis humanae perfecta ratione praestatur : ut necessario, semper, statim, physico influxu effectus intentus actionem sequatur.

« Deus autem non est causa peccati, ut supra ostensum est. Relinquitur ergo, quod nihil aliud sit directe causa peccati humani nisi voluntas. Sic ergo manifestum est, quod diabolus non est proprie causa peccati ; sed per modum persuadentis tantum ».

In his ultimis recolitur inter alia ea S. Thomae verissima doctrina, Deum quidem esse causam propriam illius actus, qui homini necessario peccatum est, nec tamen causam illius rationis, qua peccatum est, quae in hominis causalitatem solam reducitur.

Amplificata hac ratione notione causae perficientis, ubi de Deo agitur, et spectato *omni* modo efficientiae, quae Deo in operationibus humanae voluntatis attribui potest: numquid vel sic cum notione causae physice praedeterminantis confunditur? Hoc examinemus.

Atque primum quidem modum solum considerare diligentius oportet. Nam illud de altero et tertio modo negandum esse, liquet. Ut autem primus modus causae perficientis cum causa physice praedeterminanti jure confunderetur, oporteret, necessitatem, de qua hic sermo est, esse necessitatem absolutam, et non ex suppositione dumtaxat; illum enim necessitatis modum causa physice praedeterminans sensu Thomistico secum fert, ut saepe demonstravimus. Jam vero necessitas, de qua hic agitur, est ipso R. Patre fatente et natura rei, de qua hic cap. 92 cont. Gent. agitur, exigente, mera ex suppositione necessitas. De hominibus enim bene fortunatis agitur; hi autem suas determinationes, quibuscum nexus est secundus eventus, libere capiunt. Nec ullo modo dici opus est, cum necessitate ex suppositione cohaerere non posse, ut *actionem* causae perficientis *semper* sequatur effectus.

Etenim, quae est praescientia Dei de futuris eventibus, Deus semper et ubique effectum, quem consequi apud se decrevit, rebus etiam de se indifferentibus certissime et perfectissime consequitur, quia semper adjumentis congruis utitur, quibuscum effectum, quem vult, adjunctum fore, certissime praevidet, certissime obtinet; unde eum evenire consequenter est necessarium. Cfr 1, q. 116, a 3, ubi in eadem materia S. Doctor ait: « *Si* Deus *praescit* hoc futurum, *erit* ».

Quare 2° ne ex eo quidem, quod actionem Dei, ut causa perficiens est, *statim* i. e. nulla alia re media effectus consequitur, quidquam causa Thomistarum juvatur. Nam scientia media scit Deus, quali opus sit adjumento, ut statim i. e. sine alio effectus obtineatur. Unde 3^io^ non magis ultimo momento causa Thomistarum proficit, quatenus scl. S. Doctor *ad Deum, ut causam perficientem hoc refert, ut voluntatem inclinare possit in quodcunque opus voluerit*. Nam rebus etiam indifferentibus hoc facere potest pro infinito thesauro suae sapientiae et potentiae Deus. Ceterum hoc momentum rationem causae perficientis in Deo potius perficit, consummat, amplificat, quam ut ad ejus internam rationem *directe* pertineat.

Dices *a* ), concessisse nos in hoc primo modo, quo Deus causae perficientis munere fungitur, voluntatem humanam augeri physice eo influxu Dei, qui ab ipso, ut causa perficiens est, procedit, et ipsam sic physice auctam actum a Deo intentum ponere. Hoc quidem juvare, ais, ad illustrandum, quì Deus causa vere et directe actum perficiens appellari possit; at simul hac ratione induci quandam praemotionem Dei physicam in ea re de qua agitur.

Respondetur; numquam nos impugnasse, Deum *posse interdum* physice et actualiter voluntatem praemovere, atque ita etiam ejus energiam physicam ad actum augere; sed negavimus universaliter dumtaxat praemo-

tionem physicam recentiorum Thomistarum ob duo, quae ejus sunt propria eamque constituunt; unum est, ut usuvenire *debeat* in *omni prorsus* creaturae operatione, etiam voluntatis liberae; *alterum est (et hoc negamus praecipue, imo totalis maxime de hoc uno puncto est)*, ut quam Deus voluntati adhibeat praemotionem physicam, quae effectum intentum revera producat, *praedeterminando physice* voluntatem ad unum simpliciter eum producat. Hic enim videtur nobis praeter alia multa incommoda interitus esse libertatis arbitrii. At nihil profecto prohibet, quominus physico aliquo influxu Dei virtus et energia voluntatis corroboretur, ipsa sic corroborata agat, nec tamen praedeterminata physice ad unum agat; sed potest vel sic ipsa se determinare, quemadmodum proprium est et competit libere agenti.

Oppones *b*) falso supposítum esse in explicatione nostra causae perficientis agi de necessitate non absoluta, sed de necessitate ex suppositione, quae ideo aliqua saltem ratione sit consequens. Etenim quando persuasioni ratio perficientis causae a S. Thoma denegatur, id ideo fit, quoniam « objectum », quo solo oblato persuasio operatur, « non ex necessitate (antecedenti) movet voluntatem ».

Respondeo, id recte factum esse a S. Doctore, quoniam ibi agebatur de causa creata, in specie de diabolo, persuasione ad voluntatem movendam utente. Creatura autem cum naturaliter careat scientia et praevisione, qualem exitum media de se indifferentia habitura sint, nullo modo dici potest ex necessitate movere antecedenter voluntatem, nisi talibus mediis utatur, quae de se et ex natura sua efficacia sint ad movendam voluntatem. Dici enim id non potest nec ratione ipsorum mediorum, si secundum se considerantur, uti per se patet, nec ratione eorundem, prouti subsunt cognitioni moventis, ut item sua sponte elucet. Contra est, quando Deus ex efficaci intentione finis creaturam rationalem rebus de se indifferentibus movet. Sed de his satis.

---

## ART. XI

### DE DOCTRINA IN CAP. 94 LIBRI 3 CONT. GENT. CONTENTA.

Interjectis paucis, quae nihil opus est hic attingere, cum quidquid in iis difficultatis esse aliquo modo potest, id copiose supra explicatum et solutum sit, progreditur R. P. Dummermuth ad cap. 94 ejusdem tertii libri fuse explicandum (1). Quamvis autem putemus, in eo capite nihil

(1) p. 202 sqq.

prorsus re contineri, quod difficultatem ullam legenti in quaestione, quae agitur, procreare possit, ipso tamen dicendi modo a R. P. usurpato sententia ingeritur, quasi S. Thomas pro praemotionibus praedeterminationibusque physicis hic data opera certaverit (1). Si porro ita pro eis S. Thomas propugnavit, quomodo jam potest negari, Thomistas recentiores sectari in hac doctrina defendenda vestigia sancti sui Magistri? — Ceterum doctrina, de qua in hoc capite agitur, ipsa per se satis gravis atque jucunda est; quare etiam ex hac parte expositio nostra aliquam excusationem habebit.

Itaque omissis dubitationibus, quas pro more S. Doctor initio hujus capitis proponit, quasque nos, quantum opus erit, infra exscribemus, placet in medias statim res progredi. Propositum S. Thomae in hoc capite hac continetur paragrapho: « Oportet autem, inquit S. Doctor, ad horum solutionem aliqua repetere ex his, quae supra posita sunt, ut manifestum fiat 1°, *quod nihil divinam providentiam effugit;* et 2° *quod ordo divinae providentiae omnino immutari non potest* [ i. e. quod nullo ex capite ordo, qui divinitus provisus est, *plane* deficere potest, sed ordo divinae providentiae, si spectatur *universe*, firmus stat et certus est (2) ]; nec tamen oportet 3°, quod ea, quae ex providentia divina proveniunt, *ex necessitate cuncta eveniant* ». Haec tria sunt, quae S. Thomas in ea, quae sequitur, expositione efficere vult.

Primo, loco probat primum et hac quidem consideratione. « Primo, inquit, considerandum est quod, cum Deus sit omnium exsistentium causa, rebus omnibus conferens esse, oportet quod suae providentiae ordo *omnes* res complectatur; quibus enim esse largitus est, oportet quod conservationem largiatur et perfectionem conferat in ultimo fine » quantum est de se.

Transit jam ad secundum ita, ut primum etiam amplius explicet. Quum autem, pergit, in « quolibet providente duo considerari oporteat scilicet ordinis praemeditationem et praemeditati ordinis institutionem in rebus, quae providentiae subduntur — quorum primum ad cognoscitivam virtu-

(1) Cfr potissimum p. 208 sq.

(2) Ita locus intelligendus est. Nam ordinem divinae providentiae ne circa eventum quidem particularem, qui aliquo modo (scl. conditionate) a Deo vere intenditur et providetur, deficere posse, verum non est. Nam licet Deus omnibus hominibus sufficientia de se subsidia salutis providerit, serio etiam velit, ut iis utantur, atque ut ita salvi fiant, tamen nec omnes utuntur iis, nec omnes salvi fiunt, nec proinde ea subsidia obtinent finem, ad quem divinitus cum conditione liberae nostrae cooperationis conferuntur.

Quare etiam illud: ordinem divinae providentiae semper impleri, intelligendum est hoc modo, ut ordinem divinae providentiae *non quoad singula entia nec quoad singula subsidia nec quoad singulos eventus*, qui sub divinam providentiam cadunt, positive accipiamus, quasi fieri non possit, ut ullum unquam ens a fine, quem antecedenter Deus ipsi proposuerat et ad quem consequendum juvare Deus paratus erat, vel in re aliqua particulari deficiat possitve deficere; *sed ordo divinae providentiae universus est considerandus*, quatenus omnia entia omnesque eventus comprehendit atque etiam permissiones malorum includit. Atque ita verum est, ordinem divinae providentiae semper impleri nec deficere posse, quia in ea nihil vel ignorante Deo vel non volente aut saltem non permittente accidit

tem pertinet, aliud vero ad operativam — hoc inter utrumque differt, quod in praemeditando ordinem tanto est providentia perfectior, quanto magis usque ad minima ordo providentiae potest produci (al. perduci).... Sed in hoc quod ordo praemeditatus rebus imponitur, tanto est dignior et perfectior providentia gubernantis, quanto universalior est et per plura ministeria suam explicat praemeditationem; quia et ipsa ministeriorum dispositio magnam partem provisi ordinis habet. — Oportet autem quod divina providentia in summo perfectionis consistat, quia ipse est simpliciter et universaliter perfectus, ut ostensum est (l. 1. c. 26). In providendo igitur *suae sapientiae praemeditatione sempiterna omnia ordinat,* quantumcunque minima videantur; *quaecunque vero rerum aliquid operantur, instrumentaliter agunt ab eo mota,* et ei obtemperando ministrant ad ordinem providentiae ab aeterno, ut ita dicam, excogitatum explicandum in rebus. *Si autem omnia, quae agere possunt, necesse est, ut in agendo ei ministrent; impossibile est quod aliquod agens divinae providentiae exsecutionem impediat, sibi contrarium agendo* ».

*Nulla ergo creatura potest,* ob essentialem a Deo in agendo dependentiam, *positive agere aliquid,* quod cum ordine divinae providentiae *nequaquam* conveniat. Hoc probatum est.

Sed *neque deficiendo ab actione potest ei contraire,* ut ita dicam. Hoc jam ostendit S. Doctor.

« Neque etiam, inquit, possibile est divinam providentiam impediri per defectum alicujus agentis et patientis, cum omnis virtus activa et passiva sit in rebus secundum divinam dispositionem causata ». Quî ex hac ratione praemissa conclusio sequitur ? quoniam si aliqua actio esset a Deo absolute intenta, nec permissus esset agentis defectus: loco causarum earum, quas Deus defecturas esse praevidisset, vel instituisset vel substituisset, si haec tamen vox hic plane congruit, alias causas actionem a Deo intentam certe producturas.

Unum reliquum est, ut complete ostensum sit, ordinem qui divinitus provisus sit, nullo ex capite posse deficere; probandum est, non posse exsecutionem divinae providentiae deficere ex parte providentis. Quare jam pergit Angelicus: « Impossibile est etiam, quod impediatur divinae providentiae exsecutio per providentis immutationem, quum Deus sit omnino immuta-

vel accidere potest. Atque hac ratione ordo ille firmus est et certus,et quidquid id eo continetur, id semper *aliquo modo* ab aeterno est divinitus non solum scitum, sed etiam decretum, semper etiam ultimo et adaequato fini Dei creantis et providentis aliquo modo inservit juxta illud: « relicto uno ordine providentiae, in alium inciditur ». Ita jam Boëthius l. 4. de consol. prosa 4 prope finem. Cfr. S. Thomas 1, q. 19, a. 6. Puto, hanc rationem fuisse, cur S. Thomas supra non simpliciter dixerit: « ordo divinae providentiae immutari non potest », sed « omnino » i. e. totaliter seu quoad omnem ambitum et supremum finem consequendum « immutari non potest ». Cfr Suarez de Concursu l. 2, c. 7, n. 19; S.Thomas 1, q. 19, a. 6. et potissimum de Verit. q. 6, a. 1, ubi ipse S. Doctor statuit, ad providentiam ut sic spectare tantum procurare *ordinem* rerum in finem, non *eventum* vel exitum ordinis, quod verum est de *particulari* eventu et de *particulari* fine, non esset verum, si providentia universe quoad totum suum ambitum et quoad ultimum finem acciperetur. Cfr etiam Molina II. ad q. 22, a. 1, disp.2, a 1 et Ruiz de divina Provident. disp. 4. sect. 3 et 4.

bilis, ut supra ostensum est (l. 1, c. 15). Relinquitur ergo quod divina providentia cassari non potest ».

Audiamus, quae R. P. Dummermuth ad haec adnotaverit, (p. 206). « Non ad scientiam divinam, inquit, confugit S. Thomas ad infallibilitatem divinae providentiae adstruendam; non asserit, aeternam praedeterminationem — hanc in textum infert R. Pater — ideo certam esse, quia praevidet Deus, quid, posito auxilio indifferenti, acturum sit liberum arbitrium; sed docet, providentiam certam esse ex causalitate seu motione divina ejusque efficacia et universalitate ».

Jam respondeamus necesse est ad hoc assertum R. Patris. Motionem divinam omnia et singula, quae operantur, attingere sibique subjecta habere in producendis actionibus et effectibus, omnino asserit S. Doctor; omnia etiam ei aliquo modo ministrare et obtemperare, imo etiam instrumentorum instar se habere affirmat. Postea vero quae generalius asseruit, quomodo exsecutioni mandentur, accuratius indicavit. Ibi autem S. Doctor certissimam efficientiam divinae providentiae non praecise repetit ex ipsa sola efficacia divinae motionis seu praemotionis, sed partim ex hoc, quod agentibus, quae necessario « ministrant » potest negare et subtrahere ea, quae ad agendum sunt eis necessaria, unde nihil positive agere possunt, quod non aliquo modo consiliis divinae providentiae subserviat, partim ex hoc, quod causas activas et passivas tales instituit providitque, quae praecise ea exsecuturae sint, quae iisdem providentiae consiliis positive respondeant; quod nisi facerent, alias loco earum substituisset. Quid hic pro praedeterminationibus physicis Thomistarum deque eis occurrit? Quid quod non potius conveniat cum nostris placitis ?

Concludit R. P. : « Quae ab aeterno praedefinita sunt » — nusquam adhuc probavit R. P., secundum S. Thomam omnia, quaecunque in tempore eveniunt, esse ab aeterno *proprie praedefinita* a Deo; S. Doctor contentus fuit asseruisse, Deum « suae sapientiae praemeditatione sempiterna *omnia ordinare* », quod aliud est; unde hoc suum assertum immerito sibi sumit R. P., quasi sit per se evidens, cum tamen constet, permulta esse, quae tantum decreto Dei permissivo, non praedefinitivo ordinentur (1) — ea ergo, « quae ab aeterno praedefinita sunt, ideo, inquit R. P., in tempore infallibiliter fiunt, quia ad ea causae secundae, etiam liberae, instrumentaliter moventur, et necesse est quod omnes causae Ei in agendo ministrent». Numquid praecise hoc S. Thomas ex discursu praemisso intulit? Non videtur. Nam S. Doctor ex praemisso discursu *negative conclusit, «impossibile esse*, quod aliquod agens divinae providentiae exsecutionem *impediat, sibi contrarium agendo*». R. vero Pater ex iisdem praemissis *positive infert*, ob allatam rationem *omnia*, quae divinitus praedefinita sunt, *debere infallibiliter evenire*. Uter rectius concluserit, maxime si II.

(1) Recordare etiam hic, non solis praedefinitionibus bonorum operum sed etiam permissione malorum divinam providentiam sua consilia exsequi. Cfr C[a] Gent. l. III. cp. 71.

de uno cooperante motu Dei sermo est, apud lectorem judicium esto (1). — Ut infallibiliter eveniant ea, quae Deus absolute vult evenire, hoc S. Doctor non efficit hoc loco ea re, quod causae secundae, nisi instar instrumentorum a Deo moveantur, agere non possint, sed ex sequente discursu, quod apud ipsum sit, causas accommodatas providere. « Neque etiam, inquit, possibile est divinam providentiam impediri per defectum alicujus agentis et patientis, cum omnis virtus activa et passiva sit in rebus secundum divinam dispositionem causata ». Si R. P. ad modum seu potius ad hos modos diversos attendisset, secundum quos, S. Thoma auctore, Deus consilia suae providentiae per creaturas exsecutioni mandat, ab hoc loco pro systemate suo afferendo opinor eum abstenturum fuisse. Favet locus nobis, non R. Patri, ut jam patet.

At R. Pater hoc etiam objecit, D. Thomam non recurrisse ad scientiam mediam ; non asseruisse, aeternam praedeterminationem ideo esse certam, quia praevidet Deus, quid posito auxilio indifferenti acturum sit liberum arbitrium.

Respondemus inter alia hoc, satis inepte ad haec S. Thomas hoc loco recurrisset. Et cur? quoniam de exsecutione divinae providentiae atque de ejus instrumentis atque adjumentis agitur, quibus Deus fines a se intentos consequitur. Instrumentum autem exsecutionis consiliorum divinae providentiae non est scientia media nec praevisio illa, quacum scientia media prorsus confunditur. Si aliud quaesivisset S. Doctor, unde scilicet causae viresque, quas Deus ad exsequenda sua consilia adhibet, hoc habent, ut infallibiliter fines divinitus intentos obtineant, non dubito, quin ad Dei scientiam fuerit recursurus, ut eum fecisse in hujusmodi quaestionibus non semel vidimus.

Prosequitur R. Pater (2) : « Ex verbis S. Doctoris hucusque citatis duo

(1) Attendatur hic, ex praesenti conclusione S. Thomae non immerito colligi, ipsum eam potius de divino concursu sententiam professum esse, quam nos defendimus, quam sententiam Neo-Thomistarum. Atque imprimis jam convenit inter R. P. et me, in textu S. Thomae aut unice aut maxime agi de ea motione, qua Deus movet omnem creaturam actu agentem ut universalis motor. Quod cum ita se habeat, jam hoc assero, in ea, quam nos de divino concursu sententiam tenemus, conclusionem S. Thomae omnino diligentem esse et ad amussim logicae exactam, in sententia vero Neo-Thomistarum eam minus diligentem esse, minusque exactam. Atque conclusio S. Thomae haec quidem est: ob eam motionem, de qua dixit S. Doctor, fieri, ut creatura nullam prorsus actionem ponere possit, quae consiliis divinae providentiae sit plane contraria. Atque revera unum hoc nec quidquam amplius sequitur ex nostra de divino concursu sententia. Etenim cum nostra sententia generalis concursus Dei plane indifferens et cooperans sit, nullo modo nec ad unum determinans nec antecedens, nisi improprie, scl. dignitate etc,: nullo modo potest creaturam inducere, ut agat, potest tamen ejus negatione omnis creatura impediri, quominus agat. Haec est ipsa conclusio S. Thomae hoc loco. — At motio Dei, quam Neo-Thomistae asserunt in omni actione causae creatae intervenire debere, multo ampliorem conclusionem infert. Est enim haec Dei motio vere et proprie antecedens, imo praedeterminans physice ad agendum. Ipsa igitur non tantum valet ad impediendam actionem creaturae, si abest, sed valet etiam et quam maxime ad inducendam certissime et efficacissime actionem creaturae, si adest. Patet jam in hac sententia S. Thomam ex praemissis minus conclusisse quam licebat, quinimo primarium et positivum siluisset, secundarium et negativum elocutus esset; quod nescio, num adeo credibile videatur. Sed quid inde? Inde hoc, videri ex hoc etiam discursu satis probabile esse, S. Thomam non aliam de divino concursu sententiam amplexum esse, nisi quam nos defendimus.

(2) p. 206.

manifesta sunt, scilicet nihil effugere divinam providentiam, et ordinem hujus providentiae omnino immutabilem esse (1) (i. e. ex nullo capite posse deficere). Restat ultimum declarandum, nimirum non omnia, ex necessitate provenire. Hoc ostendit S. Thomas in sequentibus, praesertim in argumentorum solutione ».

Audiamus igitur illa, quae S. Thomas ad hujus difficultatis solutionem affert. « Deinceps, inquit, considerandum est quod omne agens intendit ad bonum et melius quod potest, ut supra (c. 3) ostensum est. Bonum autem et melius non eodem modo considerantur in toto et in partibus. In toto enim bonum est integritas, quae ex partium ordine et compositione relinquitur (i. e. resultat); unde melius est toti, quod sit inter partes ejus disparitas, sine qua ordo et perfectio totius esse non potest, quam quod omnes partes essent aequales, unaquaeque perveniente ad perfectionem nobilissimae partis... Ad aliud igitur tendit intentio particularis agentis et universalis. Nam particulare agens tendit ad bonum partis absolute et facit eam quanto meliorem potest; universale autem agens tendit ad bonum totius... Inter partes autem totius universi, prima distinctio apparet secundum contingens et necessarium, superiora enim in entibus sunt necessaria et incorruptibilia et immobilia... Quodlibet igitur agens quod est pars universi intendit, in quantum potest, in suo esse et naturali dispositione persistere et suum stabilire effectum. Deus autem qui est universi gubernator, intendit, quod effectuum ejus (scl. agentis particularis) hic quidem stabiliatur per modum necessitatis, hic autem contingenter; et *secundum hoc diversas causas eis adaptat, his quidem necessarias, his autem contingentes*. Cadit ergo sub ordine divinae providentiae, non solum hunc effectum esse, sed hunc effectum esse contingenter, alium autem necessario; et secundum hoc quaedam eorum, quae divinae providentiae subduntur, sunt necessaria, quaedam vero contingentia, non autem omnia necessaria». — Haec S. Thomas.

« Causae necessariae moventur necessario, subjungit R. P. Dummermuth (2); contingentes et liberae moventur contingenter et libere ». Optandum erat, ut R. Pater dixisset a quonam et qua ratione in suo systemate causae liberae libere moverentur. Sed ambiguitate sublata ex hoc loco nihil pro praedeterminationibus physicis effici poterat, multum vero contra eas.

Etenim si Dei est procurare, ut unus quidem effectus stabilem prorsus necessariamque consequatur essendi conditionem, alius non stabilem sed contingentem, et si propter hanc rationem unis effectibus providet causas necessario operantes, aliis causas operantes contingenter et libere, num-

(1) Num hoc idem est, quod S. Thomas ait: ordinem divinae providentiae *omnino immutari* non posse? Vel debet vel *saltem* potest « omnino », ut hic a negatione sejunctum est, explicari « totaliter » ita ut « non potest omnino immutari » tantum valeat ac « non potest totaliter immutari ». Et sic enuntiatum S. Thomae verum est; secus non est verum, ut ex alias dictis patet. Nam *ordo* divinae providentiae antecedenter intentus utique potest immutari neque tamen totaliter.

(2) p. 207.

quid divinae providentiae consentaneum est, ut additis motionibus causas creatas physice ad actus omnino determinatos praedeterminantibus posteriores causas e naturali sua conditione extrahat et ad priorem ordinem causarum necessario operantium transferat? Utinam melius attenderentur illa, quae ipse R. P. jam ex S. Thoma 1. 2, q. 10, a. 4 laudat: « Ad providentiam divinam non pertinet naturam rerum corrumpere sed servare. Unde omnia movet [i. e. de potentia in actum traducit] secundum eorum conditionem [rebus scilicet suum Deus influxum accommodat]; ita quod ex causis necessariis per motionem divinam [per activitatis divinae exercitium] sequuntur effectus ex necessitate, ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingentes ».

Progreditur S. Thomas ad argumentorum, quae in contrariam partem facta sunt, solutionem. Summa objectionis primae est haec: Omnis effectus, qui reducitur in causam per se, praeteritam aut praesentem, ex necessitate contingit, quoties causa illa posita necesse est effectum poni. Jam vero divina « providentia non solum est in praesente tempore vel praeterito, sed ab aeterno, quia nihil potest esse in Deo non aeternum ». Ergo aut negandum, omnia reduci in divinam providentiam; aut si hoc conceditur, negandum, providentia posita, effectum necessario poni; atque sic providentia non est certa; aut si duo haec, praeter minorem, affirmantur, consequitur, omnia contingere ex necessitate. — Respondet ad hoc S. Thomas: « Patet ergo quod, etsi providentia sit per se causa hujus effectus futuri, est etiam praesentis et praeteriti, magis autem ab aeterno, non tamen sequitur, ut prima ratio procedebat, quod effectus sit ex necessitate futurus. Est enim divina providentia per se causa quod hic effectus contingenter proveniat et hoc cassari non potest ».

Probabiliter ei, qui haec legit, difficile videbitur ex hoc responso quidquam efficere pro sententia Thomistarum. At ope Ferrariensis id se praestare posse, opinatur R. P. Dummermuth. Nam Ferrariensis ad hunc locum haec adnotavit: « Adverte, sensum responsionis hujus esse, quod non est verum, posita causa per se alicujus effectus, qua posita necesse est effectum poni, oportere effectum poni necessario absolute [prouti insinuabat objectio], sed oportere effectum evenire eo modo, quo sub causa continetur ». Hoc ut explicet duos modos causarum distinguit celeberrimus hic Commentator Summae contra Gentiles. « Si enim, inquit, sit causa (effectus) quantum ad esse suum absolute, non autem quantum ad modum necessitatis aut contingentiae, utique oportet, quod talis effectus de necessitate eveniat absolute ».

Haec ut plene intelligantur, ad textum attendi debet, cujus sunt explicatio. Si igitur ad textum S. Thomae attendimus, secundum quem divina providentia hoc modo componit necessitatem in suo effectu cum absoluta ejus contingentia, ut interponat causas proximas adaptatas naturae effectus producendi, et effectibus quidem necessariis causas necessarias, contingentibus autem effectibus causas etiam contingentes: haud dubie sensus

verborum Ferrariensis hic est: causa, quae ipsa immediate per se atque nulla interposita alia causa proxima effectum suum producit cum vera quadam, aliquo tandem modo etiam antecedenti, necessitate, ea hunc effectum cum absoluta necessitate producit. Talis autem causa providentia divina *non* est. Ipsa enim effectus suos interpositis aliis causis, naturis effectuum producendorum adaptatis, producit. Quare providentia ad alterum causarum ordinem pertinet, de quibus Commentator in sequentibus haec habet: « Si autem sit causa effectus non tantum quantum ad esse, sed etiam quantum ad determinatum modum producendi, scilicet necessitatis aut contingentiae, oportet effectum necessario provenire cum illo modo ». Quomodo haec cum iis, quae modo exposuimus, cohaerent atque componuntur?

Evidens est, proximam causam effectus, si ex parte sua cum necessitate producat effectum, eum cum absoluta necessitate producere. Fieri enim plane non potest, ut proxima causa, quantum est ex parte sua, effectum aliquem ponat simul cum libertate et cum necessitate. Idem enim esset atque affirmare, ipsam simul esse ex parte sua omnino determinatam ad productionem effectus et non esse determinatam ad effectus productionem. Ut igitur necessitas et contingentia simpliciter in productione alicujus effectus simul usuvenire possint, necesse est, intervenire simul causam effectus superiorem et quasi remotam et causam effectus inferiorem et proximam. A superiore et remota causa repetitur effectus necessitas, ab inferiore vero et proxima libertas effectus et contingentia. Quare, si ambae causae usuveniunt, recte dicitur superior causa causa effectus non tantum quantum ad esse, ita ut effectus necessario sit, sed etiam quantum ad determinatum ejus productionis modum. Hujusmodi enim superiorum causam (scl. Deum) nihil repugnat ita adhibere causas contingentes, inferiores et proximas, ut effectus contingens simul cum vera quadam necessitate ex parte superioris causae i. e. certo omnino et infallibiliter, ex parte vero inferioris causae contingenter producatur. Atque hucusque quaestionis hujus resolutionem produxit S. Thomas et qui ejus vestigia pressit Ferrariensis, ultra vero progressi non sunt (1).

Expositam doctrinam Ferrariensis ad divinam providentiam hoc modo

(1) Nihil hic dicitur, quod vel S. Thomae vel Ferrariensi possit injuriosum censeri. Hic enim ipse circa finem suae commentationis in cap. hoc 94 haec animadvertit: « Ad evidentiam eorum quae hic dicuntur, considerandum est, quod utique difficillimum est certitudinem divinae providentiae cum contingentia causarum et libertate arbitrii concordare, ut de certitudine praedestinationis inquit S. Thomas de Ver. q. 6, a. 3, propter imbecillitatem, inquam, humani ingenii non valentis divina sua virtute penetrare. Optimus tamen *modus evadendi difficultates*, quae circa hoc exsurgunt, est modus, qui hic tangitur, scilicet quod cum divinae providentiae et effectus et causae subsint, non solum secundum esse et secundum operationem, sed etiam secundum modum essendi et secundum modum operandi; non oportet omnia naturalia aut humana absolute evenire ex necessitate; sed evenire ex necessitate suppositionis et immutabilitatis, eo modo, quo provisa sunt, scilicet contingenter et libere ea, quae determinavit Deus ut libere et contingenter eveniant, necessario autem, quae determinavit necessario evenire. Per hoc enim fundamentum, ut patuit, solvit S. Thomas omnes adductas instantias, et per ipsum possunt etiam aliae instantiae solvi ». Multum secundum haec verba aberat, ut Ferrariensis in hac quaestione, quomodo humana in agendo libertas cum divinae providentiae neces-

ipse applicat: « Quia ergo, inquit, *sub* divina providentia continentur res, non secundum esse solum, sed etiam secundum modum producendi, in quantum per divinam providentiam determinatum est, quomodo res quaelibet evenire debeat [ scl. ut expositum est, res effectusque contingens a causa contingente, res effectusque necessarius a causa necessaria ] et non est per ipsam determinatum, ut omnia de necessitate eveniant, sed quod quaedam eveniant necessario, ut motus coelorum, quaedam vero contingenter, ut haec inferiora, non sequitur, omnia necessario evenire absolute, sed *infallibiliter* aliqua evenire ex necessitate, aliqua vero contingenter ». Ita Ferrariensis.

His omnibus nihil continetur, quod cum systemate Theologorum Societatis Jesu vel leviter pugnet, imo non optime conveniat, licet hoc systema ultra ea, quae veteres tradiderunt, progressum, iis tamen utens, lumen quoddam tandem iis intulerit, quae antea caligine obvoluta solum obscurius dispiciebantur. Cfr nota praecedens.

Quod autem R. P. Dummermuth pergit : « Ad argumentum contra physicam praemotionem ( intellige praedeterminationem ) eodem modo respondetur ». Plane evidens est, responsum Ferrariensis nullo modo quadrare posse ad physicas praedeterminationes. Agitur enim in his jam de una proxima causa, quae ex parte sua ( ut scilicet substat praedeterminationi ) cum necessitate simul et libertate effectum producere deberet, quod uti in se absurdum est, ita Ferrariensis nunquam docuit. — Quae ad reliquas objectiones S. Thomas respondit, ea quoque sibi prodesse R. P. censet. At post ea, quae disputavimus, elucet, ita ab eo immerito existimari.

sitate componeretur, nihil ultra id, quod suis temporibus jam praestitum erat, desiderari vel praestari posse putaret. Nec profecto alterius sententiae fuit etiam coaevus ejus Cajetanus in 1ª p. q. 22, a. 4 ad 1. ubi hanc difficultatem miro modo exaggerat. Quomodo, « salvare possit infallibilitas divinae providentiae cum indifferentia seu libertate exsecutionis seu eventus », « hoc opus, hic labor est », inquit. Nihil se reperisse scriptum in S. Thoma ad hanc dubitationem, fatetur. Quae apud alios doctores invenit de sensu diviso et composito, de necessitate consequentiae et consequentis et alia id genus, ea dicit intellectum non quietare, et alia multa. Quid ergo est causae, cur succenseat R. P. Dummermuth ( p. 210 sqq. ) adeo discipulis S. Ignatii, quod exortis imprimis haeresibus Calviniana et Lutherana, novos conatus adhibuerint ad has tenebras, non inquam, omnino dissipandas, sed tamen minuendas. Cur objurgantur, quod hoc modo sane relative optimo evadendi potius difficultatem quam solvendi eam contenti non fuerint, sed conati sint res altius penetrare. Quodsi forte Molina, re paulo profecto altius penetrata et perspecta, initio non nihil sibi blanditus sit nimium quasi de inventa et detecta tota veritate, quis hoc mirabitur, quis jure hoc reprehendet? Quis porro nisi omnem profectum contra Vaticani Concilii decreta in explicatione dogmatis negat, propterea statim doctrinam de scientia media falsitatis arguet, quod nec S. Augustinus nec S. Thomas eam adhibuerint ad concordiam libertatis arbitrii cum divina gratia cumque infallibilitate divinae providentiae explicandam ? Ceterum nemo, qui superiora legit, dicet, nulla hujus scientiae vestigia, nulla lineamenta hujus compositionis apud S. Thomam exstare ; nullum conatum factum esse a S. Doctore ad illud difficillimum problema libertatis et divinae providentiae ex hoc capite illustrandum. Quod idem, quemadmodum vidimus, de ipso S. Augustino dicere licet. At nulla constans theoria ante Molinae tempora his innixa fundamentis erat firmiter stabilita, minus clare haec fundamenta erant perspecta, minus ea inter se cohaerere videbantur. Hoc ergo Molinae et aliorum doctorum ejusdem aetatis meritum est, ut obscurissimam de se questionem ad majorem lucem elaboraverint, disjecta membra alia aliis aptaverint. Atque licet ne sic quidem omnis obscuritas cessaverit ; tamen obscuritas et mysterium jam ibi collocatum est, ubi teste Scriptura mysterii locus est, in Deo scilicet et ejus infinita et eminentissima scientia, non in homine ejusque libero arbitrio.

# SECTIO SEXTA

## QUID VETUS SCHOLA S. THOMAE SENSERIT.

Post expositam doctrinam D. Thomae R. P. Schneemann (1) ad veterem ejus scholam transit, atque ostendit, « quam arcte vetus schola ante Bannezium vestigiis institerit magistri ». Quod si ita est, sane confirmabuntur ea, quae in superioribus ut veram S. Thomae doctrinam tradidimus. Conatur vero R. P. Dummermuth pro sua parte efficere, plane contrarium esse verum. Contendit, ad unum omnes veteres Thomistas docuisse, physicas ad unum praedeterminationes omni creatae naturae, imprimis vero liberae voluntati, ad agendum esse prorsus necessarias. Uter rectius veterum sententias retulerit atque interpretatus sit, jam inquirendum. R. P. Dummermuth uti ante ipsum P. Schneemann temporis ordinem sequitur. Primum testem citat B. Aegidium Romanum, Cardinalem, S. Thomae discipulum.

### § 1

### Theologi S. Thomae contemporanei.

#### ART. I

#### B. AEGIDIUS ROMANUS.

Auspicatur R. P. Dummermuth (2) hanc partem sui tractatus sic:

« Principium ducit R. P. Schneemann a magno illo S. Thomae discipulo, Beato Aegidio Columna, Archiepiscopo Bituricensi, S. R. E. Cardinali, Ordinis S. Augustini ». « Is, inquit R. P. [Schneemann], in commentario suo copiose disputat, qua ratione Deus hominem praeparet ad justificationem, quae divinae motiones necessario requirantur: de praedeterminatione physica tacet nec aliam gratiam praevenientem praeter excitantem commemorat. Sic enim inter alia scribit (In 2$^{m}$ Sent., D. 28, q. 1, a. 3, p. 499, col. 1, litt. B. Cordubae 1707) »:

« Visa convenientia et differentia gratiae ad naturam, volumus ex his procedere ad solutionem quaestionis propositae. Dicemus ergo, quod sicut non introducitur forma naturalis, nisi agens naturale primo moveat et disponat materiam ad ipsam: sic quia gratia est quid supernaturale, nunquam infunditur animae, nisi agens supernaturale, quod est Deus,

(1) pag. 98 sqq.
(2) p. 428 sqq.

moveat et impellat animam ad susceptionem gratiae, ut declaratum est ex convenientia gratiae ad naturam. Iste autem impulsus et iste motus divinus ad gratiam sunt compunctiones et bonae cogitationes, quas immittit Deus peccatori non converso, ut convertatur ad ipsum ; et quas immittit converso, ut magis convertatur ad eum. Immissiones autem istae possunt dici divina pulsatio et divina statio ad ostium cordis pulsans, ut homo convertatur ad ipsum, et aperiat sibi januam, ut Deus intret in ipsum, et infundat sibi gratiam ; vel istae immissiones bonarum cogitationum possunt dici divina vocatio, qua Deus vocat nos intrinsecus, ut sequamur ipsam, et recipiamus gratiam, de qua vocatione potest exponi illud Prophetae : « Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquitur pacem in plebem suam », id est, in me, et in aliis sibi subjectis. Nam ista vocatio non est nisi ad pacem, ut corpus sit subjectum animae, et anima Deo, et omnia sint pacificata. Sic ergo ante omnia praecedit hujusmodi divinus impetus, in quo aliquo modo conveniat gratia cum natura. *Verum. . . . quando Deus sic immittit nobis cogitationes bonas, et sic vocat nos per eas, in potestate nostra est velle sequi ipsum vel non sequi.* Et si sequamur ipsum, infunditur nobis gratia ; si non, excludimur ab ea : *ergo ad infusionem gratiae primo praecedit divina vocatio vel divinarum cogitationum immissio ; postea sequitur liberi arbitrii ad Deum conversio, et postea gratiae infusio* ».

Tribus igitur momentis secundum Aegidium hominis justificatio absolvitur : divina vocatione, liberi arbitrii ad Deum conversione, gratiae infusione. Ubi hic quidquam de praedeterminationibus physicis apparet? At quaedam silentio praeteriit R. P. Schneemann, idque « non sine causa », ita subjicit R. P. Dummermuth, « futurumque hoc lectori (mox) manifestissimum ». Haec malae fidei insinuatio, contra R. P. Schneemann facta, quam omni ex parte injusta sit, ut pateat, nihil aliud facto opus est, quam ut illa ipsa inspiciamus, quae R. P. Schneemann non sine causa silentio praeteriisse dicitur. Pergit ergo Aegidius (1) : « Utrum autem praeter divinam motionem, qua Deus movet naturam nostram, et naturam totam generaliter ; et praeter divinam motionem, qua Deus inspirat nobis bonas cogitationes, et vocat nos, et praeter motum liberi arbitrii ; si sequamur vocationem illam, *sit dare aliam divinam motionem ante infusionem gratiae gratum facientis,* infra dicetur », quaestione scilicet sequenti, ubi haec habet Aegidius, (p. 502) : « Forte ulterius dubitaret aliquis de eo, quod in quaestione alia tangebatur : Utrum post divinam motionem, qua Deus movet totam naturam generaliter, et liberum arbitrium nostrum naturaliter inditum, et praeter divinam motionem, qua Deus immittit et inspirat nobis bonas cogitationes, et praeter motum ipsius liberi arbitrii, *sit dare aliam motionem divinam* ante infusionem gratiae ? Dicendum quod. . . . *adipisci gratiam non possumus sine speciali ulteriori motione divina.* Habemus enim nos in consecutione gratiae ad Deum, sicut se habet

(1) Apud Dummermuth, p. 429.

puer nesciens scribere ad scriptorem. Nam puero nescienti scribere non sufficit quod detur sibi calamus et atramentum ad scribendum; sed *oportet quod scriptor capiat manum pueri, et ducat eam ad hoc quod bene scribat.* Sic non sufficit, quod Deus inspiret nobis bonas cogitationes, et quod liberum arbitrium, vel voluntas secundum illas bonas cogitationes velit habere gratiam; *sed oportet quod Deus moveat ipsum liberum arbitrium nostrum super naturam suam,* ut possit consequi gratiam, quod est bonum supernaturale: sic, et multo magis non sufficiet, quod Deus dederit naturam rebus ad hoc, quod res possit procedere in sua opera naturalia; *sed oportet quod Deus sit intimus unicuique naturae, movens eam ad sua opera naturalia;* non quod illud opus non sit a natura, sed *qui non habet naturalem efficaciam ad id faciendum, ni sit mota a Deo.* Sicut serra quantumcumque sit dentata et ferrea, non potest secare, nisi sit mota ab artifice; erit ergo secatio opus serrae; sed non habet efficaciam id faciendi nisi sit mota a superiori agente: *et si sic est in his, quae sunt naturae, multo magis est in his quae sunt gratiae.* Quia quantumcumque Deus immittat bonas cogitationes, et quantumcumque liberum arbitrium consentiat eis, non erit hoc sufficiens, *nisi specialiter moveatur liberum arbitrium a Deo ad gratiam consequendam.* Et in hoc patet solutio cujusdam dubii, quomodo liberum arbitrium, quod est quid naturale, potest esse sufficiens ad adipiscendam gratiam, quae est supra naturam: quia hoc non facit, ut motum a se; *sed ut motum a virtute divina.* Ideo vult Apostolus, quod in talibus magis homines agantur quam agant ». . .

Hic paulisper oratio Aegidii interrumpenda, ut manifestetur, quam haec doctrina nihil contineat, quod recentioribus Thomistis faveat. Unum est enim, quod ab Aegidio hic traditur: *sine supernaturali cooperatione* Dei, quantumcunque Deus immittat bonas cogitationes et quantumcunque liberum arbitrium consentiat eis, nihil tamen hoc omne sufficere ad gratiam consequendam. *Ad hoc* enim necessarium est, ut (praeter communem et naturalem modum cooperandi Dei) *specialiter* liberum nostrum arbitrium a Deo moveatur. « Oportet enim quod Deus moveat ipsum liberum arbitrium nostrum *super naturam suam,* ut possit consequi gratiam, quod est bonum supernaturale ».

Ergo *praeter illam motionem, qua Deus movet totam naturam generaliter,* et liberum (etiam) arbitrium nostrum naturaliter inditum, et *ultra illam* insuper motionem, *qua Deus immittit et inspirat bonas cogitationes* et *praeter motum ipsius liberi arbitrii* (sive per motus indeliberatos gratiae sive motione connaturali) *profecto opus est speciali quadam ulteriore motione divina supernaturali,* qua Deus operetur nobiscum opus supernaturale proximamque dispositionem ad gratiam habitualem consequendam. Quis unquam hoc dubitavit? *Esse autem hanc motionem aliud quidquam quam Dei gratiam cooperantem divinumque concursum supernaturalem, quis demonstrabit? maxime si attenderit ea, quae ipse jam Aegidius illustrationis gratia subdit.*

Etenim *hunc supernaturalem ulteriorem Dei influxum specialem* ad opus supernaturale omnino adesse debere illustrat Aegidius *a necessitate immediati influxus Dei in omni opere naturae :* « quia non habet natura naturalem efficaciam ad opus suum naturale faciendum, nisi mota a Deo ». Quare natura comparari potest serrae vel manui pueri vel cuicunque instrumento, ut supra vidimus, quando comparatur ad Deum. *Analogice ergo atque multo magis,* licet omnia ea, quae operationi supernaturali praevia sunt, jam habeantur et adsint, nisi Deus etiam supernaturali cooperatione intrinsecus et immediate in actum supernaturalem influat et cum causa secunda ipsum producat, « non habet homo ( supernaturalem ) efficaciam ad hoc opus faciendum ».

Non potuit profecto R. P. Schneemann ullum habere consilium, cur hunc locum non afferret, quia nihil contra ipsum continet ; nec verbum habet, quod causam praedeterminationum physicarum juvet.

Sed audiamus ulteriora. Aegidius prosequitur : « Sed si volumus hanc similitudinem de puero nesciente scribere, adaptare ad hominem supernaturaliter recipientem gratiam ; dicemus quod in hujusmodi puero haec quatuor se habent per ordinem : quia primo datur puero calamus. Secundo ipse accipit et acceptat hujusmodi calamum. Tertio accipit manum pueri et movet eam, ut scribat. Ultimo omnibus his sic se habentibus, puer scribit etiam nesciens scribere. Sic et in proposito, prius immittuntur nobis cogitationes bonae... Secundo acceptamus hujusmodi cogitationes, *et consentimus, secundum eas incedere, sed non sufficimus, nisi tota Trinitas, et appropriate Spiritus sanctus nos moveat ad suscipiendam gratiam* (1). Nam si non sufficimus ad agenda opera naturae sine Deo movente : multo magis non sufficimus ad suscipiendam gratiam, quae est supra naturam, et est superaddita naturae, sine Deo ad hoc nos supernaturaliter movente. Et postquam etiam jam suscepimus gratiam, non possumus agere opera gratiae, sine Deo ad hoc nos agitante et movente ».

Agnoscit sane Aegidius inter influxum Dei in opera naturae et in opera supernaturalia aliquam obtinere analogiam, atque concludit argumento a fortiori, « si non sufficimus ad agenda opera ( ipsius ) naturae sine Deo movente : multo magis non sufficimus » ad opera illa, quibus suscipitur gratia, sine speciali auxilio Dei, quippe quae opera supra naturam constituta sint.

Id omne nos quoque cum Ecclesia catholica profitemur, prouti etiam illud alterum, ne suscepta quidem gratia nos posse sine supernaturali Dei subsidio quidquam supernaturale operari. — Ubi vero hic praedeterminationes physicae appareant, id a nobis est absconditum. Nihilominus R. P.

(1) Certe Aegidius his verbis vult dicere, nos « *consentire* » bonis cogitationibus supernaturalibus *sine motione Spiritus Sancti, si hic consensus talis est, qualem esse oportet ad gratiam suscipiendam, non posse.* Ergo supplendum est incisum : « sed non sufficimus » hoc modo : « sed non sufficimus *ad consentiendum*, nisi » etc., quemadmodum etiam ex sequentibus patet. Aliter si opinaretur Aegidius, in fide catholica graviter erraret.

Dummermuth ita hunc Aegidii locum (p. 431) absolvit: « Interpretatione non indiget hoc commentarium Aegidii; manifeste continet doctrinam praedeterminationis physicae ».

Sed alium habet locum R. P., ubi, ut opinatur, Aegidius cum recentioribus Thomistis sentit. Etenim art. 2 ejusdem quaestionis p. 494 hoc modo loquitur: « Deus (1) dat rebus naturalibus esse; conservat eas in esse; *et movet virtutes naturales ad operandum... Est enim Deus operator omnium operum naturalium:* quia extincta esset operatio naturae, si Deus subtraheret operationem suam. Omnia enim opera nostra et naturae operatur Dominus. Nam omnes naturae et omnes creaturae comparantur ad Deum, sicut organa: sicut ergo quidquid facit organum, ut organum est, facit artifex; quia serra non secat, nisi mota ab artifice; propter quod opus serrae magis est opus artificis, quam serrae: *sic omnia opera naturae magis sunt opera Dei quam naturae.* Sicut ergo serra, ut est organum, non est destituta operatione sua, sed non potest in operationem illam, nisi mota ab artifice: propter quod opus illud magis est artificis, quam serrae. Sic natura non est destituta operatione sua, *sed non potest in operatione, nisi mota a Deo:* propter quod operatio naturae magis est Dei, quam naturae. In hanc autem sententiam incidit Philosophus in 2 de Gen., volens quod haec inferiora respectu corporis coelestis, sint minus quam organa, vel deterius quam organa: volens quod si non potest organum exire in opus suum sine artifice, multo minus possunt haec inferiora sine motu coeli. Et si tantum dat Philosophus coelo respectu istorum inferiorum: multo magis debemus dare Deo respectu omnium naturarum. *Cum ergo quaeritur: Utrum sine gratia, vel sine divino auxilio possimus aliquod bonum facere vel velle? si volumus extendere nomen gratiae, prout quidquid gratis datur, est gratia, secundum quem modum omnia sunt gratia, quia omnia sunt a Deo nobis data: patet, quod sine gratia, et sine divino auxilio non possumus in aliquod bonum:* nec aliqua creatura potest, cum Deus moveat omnes naturas, et omnes creaturas ad operationes suas: et omnes naturae, et omnes creaturae respectu Dei sint organa, et minus quam organa ».

Vim et sententiam horum verborum ultra doctrinam de concursu simultaneo extendi, nemo qui hunc recte et perfecte intelligit, dixerit unquam. Cfr inter alia ea, quae ad qst. 3 de Potentia disputavimus p. 228 sq.

Magis tamen mirandum, quod vel sequens Aegidii locus a R. P. Dummermuth (p. 432) pro praedeterminationibus physicis laudatur: « Dist. 26, q. 2, a. 3, p. 448, dicit Aegidius, quod « opera gratiae dici possunt esse a nobis, et a Deo: *et dici possunt esse totaliter a Deo, cum omnia sint a Deo; et possumus dicere, quod aliquo modo sunt a Deo, et aliquo modo a nobis.* Et quod a Deo sunt secundum *prioritatem*, a nobis secundum *posterioritatem*. . . *Prioritas dicit principalitatem,* vel dicit agere principaliter; *posterioritas* vero dicit *agere instrumentaliter.* Et secundum

(1) Apud Dummermuth. p. 431.

hunc modum prioritas boni operis propter principalitatem attribuetur Deo: posterioritas vero, quod est agere instrumentaliter, poterit attribui nobis, quia coadjutores Dei sumus, et instrumenta ejus in agendo ».

Haec potius contra recentiores Thomistas pugnant, quam ut ipsis prosint. Prioritas enim, quam hic agnoscit Aegidius in ipsis operibus gratiae est *principalitatis prioritas;* posterioritas vero est *instrumentalitatis posterioritas,* de quibus prioritatis et posterioritatis rationibus supra fuse egimus. Haec profecto non ita accipienda sunt, quasi Aegidius *praevenientem* gratiam non agnoverit; sed considerans opus supernaturale *in facto esse* rationem principalitatis Deo, instrumentalitatis creaturae tribuendam esse reperit; sed quid hic de praedeterminationibus physicis, in quibus est alia prioritas multum diversa, vel leviter insinuatur?

At dicit tamen Aegidius, opera gratiae posse dici esse *totaliter* a Deo. Dicit tamen etiam, cur totaliter a Deo esse dici possunt: quia nimirum *omnia* prorsus sunt a Deo, etiam ipsa causa secunda, non tantum ipsa gratia. Quamobrem *omnis causa in opus gratiae influens a Deo ortum ducit,* et eatenus dici merito potest, opus gratiae *secundum omnes causas suas, et hoc sensu totaliter esse a Deo.* Sed ubi hic quidquam de praedeterminationibus?

Adversarius vero noster rursus alio loco causam suam evincere conatur. « Legantur, inquit ibidem p. 432, etiam ea quae docet Aegidius 2 Dist. 19, q. 1, a. 2. Dub. 4 lat., p. 159; et Dist. 37, q. 1, a. 3, ubi inquirit, an actio peccati, inquantum actio, sit a Deo. Inter alia haec ibi habet. « Actio, ut actio, quodam speciali modo reducitur in Deum, quia Deus non solum est *primum ens*, in quod reducuntur omnia entia, et a quo sunt omnia entia, sed *etiam est primum agens omnes actiones, et a quo sunt omnes actiones.* Actio ergo, et est ens, et est actio; et ut est ens, est a Deo tanquam a primo ente, a quo sunt omnia alia entia; sed ut est actio, est etiam a Deo quodam speciali modo, quia reducitur in Deum, non solum generaliter, prout reducuntur in Deum omnia entia generaliter tanquam in primum ens; *sed etiam specialiter, prout omnes actiones specialiter reducuntur in Deum, tanquam in primum agens* ». Et q. 2, a. 1 : « Sicut in agentibus naturalibus est Deus agens actiones eorum, mediantibus eis: sic est in agentibus a proposito. Nam in ipsa voluntate est Deus agens actum voluntatis, id est, velle mediante voluntate. Propter quod velle, ut est actus, est a Deo, et a voluntate, et principalius a Deo, quam a voluntate. Et si Deus subtraheret suam actionem, extincta esset actio voluntatis, nec posset voluntas velle; nisi Deus in voluntate, et cum voluntate operaretur illud velle ». — Concludit R. Pater Dummermuth, « alia subjicere non oportere : abunde constare, Beatum Aegidium, S. Thomae discipulum, illam doctrinam propugnare, quam tueantur Thomistae contra placita Molinistarum ».

Carere haec omni solido fundamento apertum est, unum si in memoriam erit revocatum: actiones quidem speciali ratione reduci in Deum, non

tamen alio motu pendere a Deo ut sunt entia, alio ut sunt actiones, sed uno motu reali sub duplici consideratione. Vide quae supra dicta sunt.

Et haec quidem de locis a R. P. Dummermuth ex Aegidio excitatis satis. *Quae vero vicissim P. Schneemann attulit, non singula* quidem ita comparata sunt, ut *distincte et explicite* ostendant, Aegidium adversari praedeterminationibus physicis, de quibus fortasse ne cogitavit quidem, sunt tamen talia, ut cum iis, quae supra ut veram doctrinam S. Thomae deprehendimus optime componantur, adversentur vero doctrinis atque placitis recentioris Thomismi *implicite et virtualiter*.

*Attulerat* enim R. P. Schneemann hunc ex quodlib. 3, q. 15 (Lovanii 1646, p. 178, col. B) *locum* : « *Respectu ergo finis*, inquit Aegidius, et ejus, quod apprehendit sub omni ratione boni, *voluntas determinate movetur, nec seipsam determinat* ».

Ad hoc adversarius noster R. P. Dummermuth respondet : « Concedimus totum » (p. 433). At hoc concedere tam facile ipsi non licet. Nam duo imprimis sunt in hoc loco, quae cum recentiorum Thomistarum systemate ne vix quidem componantur. Unum est, si tamen obvius sensus loci admittitur, *in finem dumtaxat et in id, quod sub omni ratione boni* apprehenditur, (aliunde) moveri voluntatem modo determinato. (Cfr sequens testimonium). Contra recentiores Thomistae statuunt : *in quodcumque* voluntas determinate moveatur, in id *ab alio scl. a Deo* praedeterminante moveri. —Alterum, in quo Aegidius a Neo-Thomismo differt, est hoc, quod secundum ipsum determinatio aliunde accepta excludit determinationem in idem a se acceptam. Cujus contrarium Neo-Thomistae et contendunt et debent contendere, nisi velint aperte fateri, nostram se nunquam determinare voluntatem.

Insuper 3^io^ addi potest : videri secundum hunc locum vix posse dubitari, quin Aegidius pro eodem sumat « determinate i. e. sublata indifferentia (aliunde) moveri » atque « necessitari ». Quod enim communiter exprimitur sic : « Respectu finis ultimi voluntas necessitatur », id enuntiat Aegidius hoc modo : « Respectu finis ultimi voluntas determinate movetur». Ergo videtur apud Aegidium idem valere aliunde determinate i. e. sublata indifferentia ad aliquid moveri et ad id necessitari, prouti etiam secundum rei veritatem idem est. Praedeterminatione autem physica ad unum sine dubio voluntas determinate ad aliquid ab alio scl. a Deo movetur. Ergo secundum modum considerandi Aegidii praedeterminatio physica adducit necessitatem. Quod collato altero testimonio, quod P. Schneemann jam ex Aegidio affert, confirmatur.

*Altero igitur loco* P. Schneemann ex eodem loco Aegidii (p. 177, col. B) haec laudat : « Voluntas ergo, si non necessitetur ab his, quae sunt ad finem, et si ea, quae sunt ad finem, non possunt determinate movere voluntatem, *oportet, quod voluntas determinet seipsam, ad hoc ut moveatur ab his quae sunt ad finem* » (1).

(1) Affirmat hic in nota R. P. Dummermuth, constare ex quodl. 3, q. 15 (ubi haec exstant testimo-

Ad hoc adversarius : « Iterum totum concedimus. Quis enim Thomistarum est, qui haec neget ».— Quaestio tamen manet, quomodo haec in ore recentioris Thomistae verum sensum patiantur. Ut enim missum faciam id, quod modo tetigi, etiam secundum hunc locum videri idem valere apud Aegidium aliunde determinate moveri et necessitari, quod tamen vehementer a doctrina Neo-Thomistarum abhorret eique omnino adversum est; jam unum quaero : quomodo, si in recentiorum Thomistarum sententia Aegidius fuisset, convenienter inferret; « si non necessitetur (voluntas) ab his, quae sunt ad finem, et si ea, quae sunt ad finem, non possunt determinate movere voluntatem, *oportet, quod voluntas determinet seipsam*, ad hoc ut moveatur ab his, quae sunt ad finem »? Opinarer potius ei concludendum fuisse, oportere voluntatem ante omnia a Deo praedeterminari, ad hoc ut moveatur ab his, quae sunt ad finem. Quo facto difficile est videre, quomodo se ipsa voluntas adhuc possit determinare. Nam illa distinctio Thomistarum, ut praedeterminatio physica tollat indeterminationem ex parte subjecti agentis, manente indeterminatione ex parte ejus ad quod dicitur, supra explosa est.

*Tertium locum* P. Schneemann ex Aegidio addiderat (1 sent. dist. 40, q. 2, a. 2, p. 212) B, Col. A (Ven. 1521) : « Simul ergo, ita Aegidius, cum necessitate oportet nos salvare contingentiam et cum certitudine liberum eventum. Notandum, quod dicere possumus divinam *praedestinationem tripliciter certam esse. Primo ex praescientia quam praesupponit.* Nam secundum Augustinum (de Praedest. Sanct.), praedestinatio sine praescientia esse non potest. Secundo ex ordine causarum, secundum quem est exsecutio ejus. Tertio ex numero praedestinatorum qui est Deo notus.

« *Primum sic ostenditur, quia eo ipso enim quod divina praescientia falli non potest, et quae sunt a Deo praescita vel praevisa necesse est evenire, praedestinatio, quae divinam praescientiam praesupponit, certitudinem habet:* sed huic certitudini libertas arbitrii non repugnat... Secundo praedestinatio certitudinem habet ex ordine causarum. Nam sicut Deus ab aeterno praevidit hunc salvandum, sic iste salvabitur; unde *omnes illae causae concurrunt ad salutem hujus, quas Deus ab aeterno concurrere, | ad salutem | vidit,* et est ibi *totus ille ordo causarum,* qui ab aeterno est a Deo *praevisus, quae omnes causae simul sumptae quadam necessitate effectum*

nia a R. P. Schneemann allata), idem esse *movere* et *determinare*, « quod, inquit, Thomistae docent (vide supra p. 47 et 239). « Cum voluntas, inquit Aegidius, a quibusdam *non necessitetur* ; et inde circa ea *seipsam determinet*, etiam circa *eadem se movere dicenda est*... Potest voluntas dici *seipsam movere*, quia *determinat seipsam*... Voluntas est hoc modo domina in regno animae et dicitur *movere seipsam*, quia seipsam determinat, et in potestate ejus est, sic vel sic se habere ». Assertum R. P. falsum esse, si simpliciter accipitur, facile unusquisque videt. Etenim quale tandem argumentum est ad demonstrandum, notiones movendi et determinandi prorsus inter se confundi, haec indubitata apud omnes veritas: qui se ipsum determinat, se ipsum movet. Nam species continet utique genus, neque tamen genus speciem. Movere autem genus est, determinare vero species.— Hoc unum concedo, quod *sensu perfectissimo seipsum movet*, hoc seipsum determinat, et vice versa. Sed cur? quia ita in illa expressione : seipsum movere adsignificatur ipsum initium et inductionem motus apud agentem et moventem esse, et non apud alium. Hoc autem valde alienum est a proposito R. Patris; nec ullo modo probat voces movendi et determinandi simpliciter idem significare.

*inferunt; sed propter talem necessitatem vel certitudinem non tollitur libertas arbitrii, cum ipsum liberum arbitrium inter tales causas computetur...* Tertio praedestinatio certa exsistit : quia Deo est *notus* praedestinatorum numerus, et ideo quilibet de necessitate salvatur, prout sua salus Deo exsistit nota; ex quo enim cujuslibet salvandi Deus certam cognitionem habet, et numerus eorum apud Deum certus et notus est : oportet tot salvari quot *praevidit* et eos quos *praevidit*, sed huic necessitati etiam libertas arbitrii non repugnat, *quia quilibet in se acceptus potest salvari et non salvari, licet relatus in divinam praescientiam vel praedestinationem de necessitate salvetur* ».

Quid ad haec R. Pater Dummermuth? *Respondet :* « Concedimus haec omnia. Loquitur Ægidius *de certitudine quam habet praedestinatio ex divina scientia quae est visionis*, quam certitudinem nullus Thomista inficiatur. Praeter certitudinem cognitionis admittenda est certitudo ordinis et causalitatis ». Vide supra p. 382 et p. 401 seqq.

Hic plura advertenda : *a*) responsum a R. P. datum sustineri nullo pacto posse. Nam praescientiam, de qua Aegidius loquitur, praedestinatio sequitur ( « quam praesupponit » praedestinatio ). Hoc de scientia visionis verum non est, est enim scientia consequens ; verum est de una scientia media, quae simul et sola et vera quaedam praescientia est et decretis praedestinationis praelucet. — Sed insuper *b* ) non continetur omnis hujus loci difficultas pro Neo-Thomistis in una hac re, quod Dei praescientia, de qua hic Aegidius loquitur, dicitur ad praedestinationem praesupponi et eam antecedere, sed etiam hoc non leviter contra Thomistas facit, quod secundum Aegidium salus praedestinati fundatur cum quadam necessitate in varietate et multitudine auxiliorum ipsi a Deo praeparatorum cum certa praevisione ea ad salutem ejus revera cooperatura esse. Inauditum enim est apud Neo-Thomistas, recurrere ad hoc, ut edoceatur, praedestinatum necessitate quadam salvari, vel ad multitudinem auxiliorum ipsi divinitus paratorum vel ad praescientiam, quam Deus de eorum in actu secundo efficacia, si simul sumuntur, habeat. Utrumque autem hic Aegidius facit. Discordat ergo doctrina Aegidii a doctrina Neo-Thomistarum quam maxime ; eam concordare cum nostra doctrina, si rerum summa spectetur, non est, quod dicam. *c*) Etiam ultima verba, quae distinxi : « quia quilibet » etc. R. Patri attendenda erant. Haec enim verba non eum sensum habent, ut homo secundum sola naturalia consideratus, « *possit salvari* et non salvari », quod dicere falsum, imo haereticum est ; sed hunc plane sensum necessario continent, *ut homo, etsi consideretur sub et cum iis omnibus auxiliis, quae praedestinatio in eo, ut in subjecto, producit et ponit, nec aliud quidquam attendatur, quod homini scl. externum sit, praescientia et praedeterminatio divina, possit salvari et non salvari* (1). Quî jam potest hoc dici in systemate praedeterminationum physicarum, quae sunt in homine ut in subjecto ? potest vero et debet id dici in systemate Mo-

(1) Cfr. S. Thomas quodlib. 12 a. 3 ad 2 supra, p. 299.

liniano. — Hic ergo Aegidii locus contra R. P. efficacissimus est.

*Ad quartum venimus locum,* quem P. Schneemann pro sua causa apud Aegidium excitaverat. Exstat in opp. Aeg. Rom. Romae 1655, tom. 1, p. 67 b, C. In Epist. ad Rom., lect. 34: « Ut stat sub praedestinatione (praedestinatus), *non potest damnari, quia divina praescientia non potest falli,* ut dicebatur de Socrate sedente ».

Ad hunc locum respondet R. P. Dummermuth: « Hoc etiam concedimus : intelligendum est testimonium de scientia visionis ». Hoc falsum esse vidimus. Ceterum etiam hoc notandum, sane mirum esse, quod S. Thomas ejusque discipulus Aegidius certitudinem necessitatemque divinae providentiae divinaeque praedestinationis, quae providentiae praecipua pars est, *constanter* repetant *a divina scientia* ejusque infallibilitate, nunquam ad illis praeviis motionibus et determinationibus physicis, quas Neo-Thomistae tanto zelo defendunt et celebrant !

Num ceteroquin explicatio R. Patris Dummermuth ordini rerum revera consentanea est? Habetne salus praedestinati, si formaliter loquimur, reapse certitudinem a cognitione decretum praedestinationis *consequente,* qualis est cognitio visionis, annon potius secundum D. Thomam visionis scientia ipsa est ideo certa, quia objectum ejus objective praesupponitur certum ? Vide quae supra in sectione 4ª disputavimus pag. 181 sq.

*Quinto* ponitur apud Schneemann hic ex Aegidio locus (1) : « Cum dicit S. Thomas, quod omnia, quae sunt in tempore, sunt Deo praesentia, prout sunt in sua praesentialitate, intendit dicere et sat clare, quod *divinae notitiae praesens est omnium,* quae sunt successive in tempore, *praesentialitas et actualis exsistentia ab eo aeternaliter cognita, non cum eo aeternaliter exsistens in natura propria.* Nec opus, si aliquid sit divinae notitiae vel etiam nostrae praesens, propter hoc sit praesens in se exsistens. Manifestum est enim, quod intellectus noster super praesentiam et actualem exsistentiam rei fertur, quae non est, sed praeteriit, quia habet speciem ejus in se praesentem. Manifestum est ergo, quod multo fortius Deus, qui habet penes se omnium rerum rationes praesentes, ipsas perfectissime intelligendo poterit praesentialiter ferre intuitum sui intellectus super omnium praesentialitates antequam essent ». (Defensorium s. correctorium fundamentarii Doctoris D. Aegidii Romani incorruptorum librorum Angelici Doctoris . . . a quodam aemulo depravatorum, Ven. 1516, Lib. 1, p. 1, art. 21 ad 5).

« Thomistae volunt », ita jam R. P. Schneemann pergit (2), « actus liberos in decretis Dei praedeterminantis, quibus efficiantur, cognosci. Illi autem veteris scholae theologi cum communiter idem quod S. Thomas docent, non in causis actus cognosci, sed ut praesentes sunt aeternitati, non rei praesentiam intelligunt, sed objectivae veritatis, h. e. eam, quam ipsa actuum veritas gignat, propter quam a divino intellectu attingantur».

(1) Apud Dummermuth, p. 435.
(2) Apud Dummermuth, p. 435.

Quomodo vero R. P. Dummermuth ex hac etiam difficultate se expedire conatur? « Primo, inquit, asserit R. P. Schneemann, Aegidium docere actus liberos ex causis cognosci non posse. Hoc assertum intellectum de causis quatenus subjiciuntur determinationi divinae, est omnino falsum; nullibi docet Aegidius quod ei tribuit Rev. Pater ».

Quid porro ipsi respondemus? Quicunque diligenter vel illos solos locos legit, quos hucusque R. P. Schneemann ex Aegidio recitavit, videt, non sine ratione ab ipso assertum esse, illos veteris Scholae Theologos docuisse, actus liberos in causis horum actuum a Deo nullo modo certo cognosci. Semper enim recurrit Aegidius ad hoc: *Ipsum illud, quod eventurum sit, substare divinae scientiae ab aeterno; atque ex hac scientia vult divinam praedestinationem haurire suam certitudinem.* Cur nunquam dixi- illud, quod adeo frequentant recentiores Thomistae, si id credidit esse vet rum? Esset profecto multo simplicius.

Sed alia etiam sunt, quae R. P. Dummermuth in iis, quae R. P. Schneemann hic dixit, reprehendenda habet. Dixit P. Schneemann et, ut opinor, jure dixit, Aegidium docere, actus liberos a Deo cognosci, ut praesentes sunt aeternitati. — « Hoc inquit, R. P. Dummermuth (1), etiam docent omnes Thomistae. Sed quidam eorum volunt ea, quae sunt in tempore esse Deo in aeternitate praesentia non solum objective seu intentionaliter, sed etiam physice et realiter. Ita ex Veteribus principes Thomistae, Capreolus, Cajetanus, Ferrariensis, quibus juguntur Theologi ex Societate, Molina, Fonseca, Thiphanius, aliique: « In hoc sensu (praesentialitatis physicae), inquit Molina (2), defenditur D. Thomae sententia a Cajetano, Capreolo, et Ferrariensi: et impugnatur a Scoto, Durando, et aliis. Quare rejiciendi sunt Sylvester in conflato, Herveus in I, Dist. 38, atque Hispalensis eadem Dist., qui *contendunt D. Thomam non esse intelligendum de esse existentiae, quod res, quae in tempore fiunt successive, ex aeternitate habeant in aeternitate, sed de esse objectivo et cognito,* quo cognoscantur quoad illud idem esse existentiae quod decursu temporis habebunt ». Hanc ergo interpretationem Rev. Pater *absurdam* vocat; et de ea loqui videtur, perinde ac si foret inventum quoddam Thomistarum recentiorum ». Hucusque R. P. Dummermuth.

Nescio, cur R. P. adeo offendatur, quod P. Schneemann quandam doctrinae S. Thomae interpretationem absurdam dixerit, eam scl., quam hic refutat Aegidius. Et profecto errat R. P., quando opinatur, eam sententiam, quam hic Aegidius uti sibi adversantem proponit, esse etiam Capreoli, Cajetani, Ferrariensis. Neque hi neque ullus cordatus vir illam unquam probavit neque probabit. Quomodo enim dici recte ullo modo poterit: « res successive in tempore exsistentes cum Deo aeternaliter exsistere in propriis naturis »? Aeternaliter enim in propriis naturis exsistere est, si quid intelligo, sensusque naturalis verborum servatur, per modum ae-

(1) p. 435.
(2) Molina, Conc. q. 14, a. 13, Disp. 48, p. 280.

ternitatis, aut saltem ab aeterno in seipsis exsistere. Qui porro potest id, quod in tempore successivum modum exsistendi habet, per modum aeternitatis vel etiam ab aeterno in seipso exsistere? Quam hoc v. g. a Cajetano mente alienum fuerit, una ejus sententia proditur, quam de hac quaestione agens [1, q. 14, a. 13. § « His praelibatis » | scripsit: « *Coexsistentia*, inquit, *rei ad aeternitatem aequatur* in duratione *mensurae ejusdem exsistentiae; cum non coexsistat nisi secundum actualem suam exsistentiam* » (1). Quid dici potest clarius? Imo de ejusmodi opinandi ratione Il. ait: « hoc non somniavit S. Thomas, imo manifestam implicat contradictionem ». Nihilominus fuerunt ex opinione Cajetani, et Ferrariensis, qui hanc absurdam sententiam S. Thomae imponerent. Aliud ergo est, quod Cajetanus, quod Ferrariensis, quod Capreolus defendit, aliud id, quod B. Aegidius non minus quam P. Schneemann tanquam absurdam sententiam rejecit, quamvis nec Cajetani nec Ferrariensis interpretatio S. Thomae cum B. Aegidii interpretatione ejusdem congruat. — At Molina tamen aliique de Societate Jesu scriptores eandem, quam hic P. Schneemann absurdam vocavit, opinionem Cajetano, Capreolo, Ferrariensi attribuerunt. Respondetur breviter: verbis aliquatenus similem, concedo; re et sententia, nego. Opus tantum est, integram legere illam disputationem Molinae, quam R. P. laudat, ut unusquisque id videat. Cfr Molina Concord. q. 14, a. 13, disp. 48, § « Ut intelligatur» et sqq.

Nunc quid tertio loco R. P. Dummermuth in P. Schneemann hic reprehendat, videndum. « Tertio asserit Rev. Pater, inquit P. Dummermuth, veteres theologos praesentiam objectivae veritatis intelligere « eam quam ipsa actuum veritas gignat, propter quam ab intellectu divino attinguntur ». Insinuat praesentiam objectivam ante divinae voluntatis decretum, quam veteres non agnoscunt: tuentur omnes objectivam praesentiam post divinae voluntatis determinationem. « Dicendum, inquit Aegidius in eodem Correctorio, quod res sunt praesentes Deo ab aeterno, non in sua existentia actuali; sed quia ipse actu intuetur eorum praesentiam aeternaliter per hoc, quod omnium rerum rationes exemplares in seipso cognoscit, quas videt in seipso, et omnia per ipsas perfecte cognitas cognoscit in natura propria, quorum scilicet per rationes causales easdem invenitur causa ». Rationes causales sunt ideae in mente divina existentes. « Idea autem in Deo ad ea quae sunt, vel erunt, vel fuerunt, producenda determinatur ex proposito divinae voluntatis ». (S. Th. de Ver. q. 3, a. 6. Vide etiam supra p. 415, in nota, doctrinam Cajetani) ».

Distinguamus hic imprimis id, quod primarium est ab eo, quod est secundarium. Primarium est hoc, quod divina cognitio eventuum liberorum et contingentium a B. Aegidio *non repetitur ab ullis divinis decretis praemoventibus,* ut ab adaequatis et per se sufficientibus ad eorum cognitionem

(1) Notentur etiam verba Ferrariensis ad cfr. 66 l. 1 cont. Gent. § « Considerandum secundo »: « Quae sunt in tempore, continentur in aeternitate sicut in mensura (communi) inadaequata et excedente ». Similia exstant, apud Capreolum 1, dist. 36, q. 1. et dist. 38, q. 1, a. 2. — De hac quaestione confer inter alios Ruiz de scientia Dei disp. 28 per totam.

causis, *sed* cum S. Thoma *ab horum contingentium praesentialitate.* Hoc autem, sicut supra pluribus exposuimus, non est aliud, quam dicere, eos eventus cognosci a Deo in facto esse et prouti jam in seipsis determinati sunt, *non prouti sunt futura et in causis suis tantum.* Quod docere etiam adeo evidenter esset contra explicitam doctrinam D. Thomae 1, q. 14, a. 13 et alibi enuntiatam, ut id ab aliquo S. Doctoris discipulo traditum esse, non facile sit admittendum. — Secundarium vero est id, quod docet Aegidius *de medio,* per quod eos eventus aeternaliter Deus praesentes intueatur. Hoc autem medium statuit Aegidius esse rationes exemplares rerum, quibus perfecte cognitis Deus omnia videt in natura propria, quorum ipse per has rationes est causa.

Tria velim hic lectorem non effugere: Unum est, quod Aegidius idem hic brevius dicit, quod supra in loco a R. P. Schneemann allato jam docuerat. « Manifestum est, aiebat ibi, quod Deus, qui habet penes se *omnium rerum rationes* praesentes, *ipsas perfectissime* (nota hoc verbum) *intelligendo,* poterit praesentialiter ferre intuitum sui intellectus super omnium praesentialitates antequam essent ». — Alterum est, optime haec ab Aegidio dicta convenire cum iis, quae ipsi supra pag. 195 et 196 disputavimus. Diximus ibi, secundum doctrinam S. Thomae ideo posse omnino ac porro *debere* Deum omnia, etiam libere futura, cognoscere, quoniam est omnium causa exemplaris. Non quod haec ratio causae exemplaris, quam Deus habet, sit de se sufficiens et *adaequata objectiva* ratio ad libere futura certo cognoscenda, sed quoniam, nisi quaecunque cum ipso aliquo modo cohaerent et ab ipso dependent, cognosceret Deus, careret cognitione omni numero omnique modo absolute perfecta et de seipso et de causis secundis a se vel conditis vel condendis. Quare dicendum, cum Deus sit causa exemplaris omnium prorsus rerum, rationesque exemplares omnium rerum apud se et in se habeat, licet haec, si proprie loquimur, non sit vera ratio objectiva et adaequata ad libere futura cognoscenda, esse tamen hoc fundamentum hujus cognitionis sub utraque ratione, et cur possibilis sit, et cur sit Deo necessaria, quemadmodum id supra ll. uberius explicavimus. — Tertium denique quod nullo modo negligere oportet, est summa convenientia hujus doctrinae B. Aegidii cum iis, quae ipse Molina in sua Concordia q. 14, a. 13, disp. 50 § « Juxta ea » distincte tradidit. Sunt vero haec: «Dicendum est, inquit, per ideas divinas, essentiamve divinam cognitam ut objectum primarium, certo *repraesentari* Deo, qui tum suam essentiam, tum singula, quae in ea ipsa infinite perfectius quam in seipsis continentur, altissimo et eminentissimo modo comprehendit, *repraesentari,* inquam, naturaliter ante omnem actum et determinationem liberam voluntatis divinae, complexiones omnes contingentes, non solum secundum esse possibile, sed etiam secundum esse futurum, non absolute, sed sub conditione et ex hypothesi, quod Deus statuat hunc vel illum ordinem rerum et causarum cum his vel illis circumstantiis creare. Accedente vero determinatione libera voluntatis (divinae), non qua liberum arbitrium

creatum determinet ad alteram partem contradictionis, sed qua, relinquendo illud liberum et omnino indifferens, ut ad quod voluerit porrigat manum, statuat creare hunc vel illum ordinem rerum et causarum et circumstantiarum, in quo sint hae vel illae causae liberae, certo cognoscit complexiones omnes contingentes secundum esse futurum absolute et simpliciter ac sine ulla hypothesi et conditione ». Ita Molina. Si quidquam, hoc certe manifestum est, Molinam cum Aegidio concordare, et suo jure R. P. Schneemann hunc locum Aegidii (1) pro ea, quam defendimus, sententia attulisse.

---

## ART. II

### INNOCENTIUS V PAPA, PETRUS DE TARENTASIA ANTEA DICTUS, ORDINIS PRAEDICATORUM.

« Tria testimonia, inquit R. P. Dummermuth p. 436, affert R. P. Schneemann ex scripto Innocentii V super quatuor libros Sententiarum ». « Quod opus, ut notant Quétif et Echard, illud ipsum est et non aliud, in quo dicitur doctrinam D. Thomae in compendium redegisse. Revera enim scriptum Petri est veluti compendium scripti S. Thomae in sententias » (2). Ita R. P. Dummermuth. Addit vero: « Quae ergo citat R. P. Schneemann ex compendio quod scripsit Innocentius V, ex majori opere S. Thomae latius exponentur ». Si ita, causa plane nostra est.

*Primum testimonium est hoc:* « Contingentia, inquit Innocentius V, etiam si ut futura non habeant necessitatem, eo quod dependent ex causis indeterminatis, *tamen jam prout sunt actu, necessitatem habent.* Deus vero videt contingentia, ut sunt praesentia in aeternitate, aeternitati vero totum tempus praesens est; homo vero ut futura, quia (ipse) in parte temporis praecedente; ideo Deus videt ea infallibiliter et determinate, homo vero non potest. Sunt enim quaedam quae omnino habent causam ad esse vel non esse determinatam ut defectus luminarium; quaedam vero non omnino, sed magis ad unam partem quam ad alteram, ut naturales eventus in inferioribus, sc. pluviarum et hujusmodi; quaedam nullo modo, ut contingentia. Primum genus entium praesciri potest scientia certitudinis; secundum scientia conjecturae, ut contingit in judiciis medicorum et astrologorum; tertium nullo modo, sed *tunc primo cum actu est, quia tunc primo determinatum est.* Deus vero videt omnia praesentialiter, unde videt omnia *ut actu exsistentia, unde ut determinata*, et ideo scit omnia sive sint

(1) Cfr infra, quae ex Hispalensi laudamus.
(2) Quétif et Echard, Scriptores Ord. Praed., Tom. 1, p. 353 col. 1.

in natura propria, sive praeterita, sive futura » (Inn. V. In 1 Dist. 38, q. 1, a. 2 in corp. Ed. Tolos. 1652, p. 319). Quid jam ad haec manifestissima R. P. Dummermuth?

« Concludit, inquit, R. P. Schneemann, Innocentium V docere liberam operationem ex causis minime cognosci, sed ipso actu solo determinari. Sed facilis est responsio. Innocentius V loquitur de causis secundis *per se acceptis;* non autem de causa prima, nec de causis secundis ut stant sub determinatione primae causae; item loquitur de scientia Dei praecise ut scientia est, et non ut causa est. Videatur supra, p. 409, doctrina S. Thomae in 1 D. 38, q. 1, quam compendiose reddidit Innocentius V ».

Hac responsione prorsus nihil effici, supra pluribus docuimus. Quid etiam potest esse evidentius, quam « prout *jam actu sunt, necessitatem* (scl. consequentem) *habent* »; « *tum primo cum actu est,* tum primo *determinatum est* ». « Videt omnia *ut actu exsistentia, unde ut determinata* »? Omnis ars interpretandi, hic frustra adhibetur.

*Secundum testimonium,* quod P. Schneemann laudavit, hoc fuit: « Quia ergo *praedestinatio* dicit actum voluntatis divinae quae est ipsa rectitudo, ideo ejus nulla potest esse causa motiva; *est tamen ejus ratio aliqua i. e. congrua ordinatio ad suum volitum.* Dicendum ergo quod *praescientia meritorum* non est causa motiva voluntatis divinae ad praedestinandum, sed tamen *est ratio, secundum quam congrue fertur voluntas Dei ad praeparandam gratiam et gloriam ei, cujus praescit futura merita;* non tamen ipse movetur ad hoc propter merita, sed mera voluntate sua» (1 Dist. 41, q. 2, a. 2. p. 340).

Quaeso hic animadvertatur: Innocentius V, qui hoc scripto dicitur aliud fecisse nihil, nisi doctrinam D. Thomae in compendium redegisse, asserit, praescientiam quandam esse meritorum in Deo, quae sit ratio, secundum quam congrue feratur voluntas Dei ad praeparandam gratiam et gloriam ei, cujus praescit futura merita.

Praecedit igitur secundum Innocentium quaedam Dei scientia meritorum futurorum eorum, qui salvandi sunt, decreta ipsa voluntatis Dei de danda eis non solum gloria *sed etiam gratia.* Ratio enim et norma, secundum quam decretum aliquod fit, ordine sit prior quam illud decretum, necesse est. Quaenam porro est haec praescientia? An praescientia visionis? At haec illa decreta supponit. Numquid est notitia simplicis intelligentiae? At haec circa futur aut futura non versatur. *Est manifesto illa ipsa scientia Dei, quam postea novo nomine scientiam mediam Molina appellavit.* Doctrinam hujus loci admodum adversari placitis recentiorum Thomistarum, in aperto est.

Liceat autem hic unum adhuc sciscitari, quaenam sit illa congruitas, cujus hic meminit Innocentius V. Puto, vix aberret a vero ille, qui opinetur, gratiam congruam Molinistarum proprio nomine hic jam ab Innocentio designatam esse. An quaenam alia congruitas excogitari poterit?

*Tertium testimonium* Patris Schneemann fuit hoc (1): « Non habet aliam

(1) Apud Dummermuth, p. 438.

causam [electio], sed rationem; quae autem sit ratio, potest dici, quod *ratio in speciali est scientia meritorum hujus et illius* ». (Ibid. ad 5). — Ad haec duo testimonia hoc jam modo R. P. Dummermuth: « Colligit Rev. Pater [Schneemann], quod Innocentius V « *praedestinationis* non causam, sed *rationem* tamen esse *in meritis praevisis* existimat ». S. Thomas eadem Dist. 41 q, 1, a. 3 respondet : « dicendum, quod praescientia meritorum vel aliquorum operum nullo modo est causa praedestinationis divinae, quod patet, si consideretur totum id quod in praedestinatione est de essentia ipsius. Sed nihil prohibet, illud quod est *effectus* praedestinationis, scilicet *gratia et gloria,* quae oblique ponuntur in ejus definitione, habere aliquam causam ex parte nostrarum operationum... »

Si punctorum loco hic *integrum textum* S. Thomae R. P. descripsisset, cerneretur clarius, et quid S. Thomas hoc loco ipse docuisset, et quam non inepte P. Schneemann opinatus esset, doctrinam hanc Innocentii V, quae doctrinae ipsius Angelici repetitio est, patrocinari systemati, quod ipse defendendum suscepisset. Continet enim D. Thomae locus clare doctrinam de praedestinatione ad gloriam ut sic facta ex praevisis meritis et post praevisa merita. Haec porro doctrina cum systemate recentioris Thomismi nullo modo, cum nostro systemate praeclare componitur. Thesim enim, quam defendit S. Thomas duplici constat parte, quarum una negat, altera affirmat. Negatur causam esse ullam praedestinationis ex parte divini actus; *si vero praedestinatio terminative spectetur, habere eam aliquam causam seu potius rationem, eam quidem diversam in ipso praedestinato* pro diverso effectu. Hunc sensum thesis esse mox constabit.

Priorem partem hoc modo probat Aquinas: « De essentia enim praedestinationis est scientia et voluntas salutis aliquorum. *Scientia autem de salute eorum non causatur a scientia operum aliquorum*, quia *ipse non venit in cognitionem effectus per causam sed per seipsum. Unde non potest dici in eo : quod ipse scit hoc, quia scit causam ejus* (1) ; sed in quantum intuetur essentiam suam, quae est omnium similitudo, videt unumquodque in se, tam causam quam causatum ». — « Similiter etiam voluntas sua cum sit libera, magis etiam quam aliqua voluntas, *non habet causam* nisi finem voluntatis suae. Finis autem voluntatis suae est sua bonitas, quae est ipsemet. Unde dicitur communiter, quod Deus vult hoc propter bonitatem suam, non quia scivit hoc, vel quia hoc factum est ».

Negat igitur S. Thomas hic illud, quod apud omnes, qui recte de Deo sentiunt, negandum esse, in confesso est, scientiam volitionemque divinam in se, quippe quae sint ipse Deus, causam ex parte creaturae ullam habere; cum porro neque ipsae sibi possint esse proprie causa propter ipsarum summam identitatem realem, omni potius carent causa, utut sum mopere rationabiles sunt.

(1) Haec ipsa ultima sententia fundamentum scientiae mediae enuntiat; gravissime adversatur Thomistis. Hoc immediate evidens est pro omni, qui utrumque systema plane cognoscit.

Sequitur probatio alterius partis: « Sed tamen — haec R. P. Dummermuth exscripsit, sicut etiam ultima tria priora enuntiata exscripserat — « Sed tamen, inquit Aquinas, effectus voluntatis ejus, scilicet *ipsum volitum* ordinatum ad bonitatem suam, *potest procedere ex aliqua causa* quam Deus praescivit ab aeterno; et *istum ordinem causae ad causatum Deus vult, et vult quod effectus sit, quia causa est;* non autem ita quod causalitas referatur ad voluntatem, sed ad volitum: *et ista causa voliti, non volendi, dicitur ratio quaedam voluntatis* [*praedestinantis*] *ex parte effectus.* Sed haec causa in quibusdam habet completam rationem causae, et sufficienter inducit effectum, quandoque vero est tantum dispositio. Ita enim ad duplicem effectum praedestinationis diversimode se habet nostra operatio; quia opus meritorium informatum gratia, est causa meritoria gloriae; sed opus bonum praecedens gratiam [justificantem], non est causa meritoria ejus, sed solum dispositio quaedam. *Unde patet, quod praedestinatio causam non habet, sed habet rationem ex parte effectus, secundum quam rationalis et justa dicitur* ». Hucusque S. Thomas.

Voluntatis igitur divinae praedestinantis *in se quidem sumptae* non est ulla ex opere nostro nec causa nec ratio ; est tamen revera, *si divina voluntas terminative spectatur.* « Verba enim S. Doctoris non posse unice dicta intelligi de ratione effectus in temporali exsecutione, sed necessario accipienda esse de ratione effectus (formaliter) ut praedestinati, seu de ratione praedestinationis terminative spectatae tam ex verborum contextu, quam ex ipsis verbis manifestum videtur » (1).

Afferam unam alteramve rationem, quam Theologus infra in nota laudatus in doctissima sua disputatione ad hoc comprobandum attulit. « Opponit, inquit, ( S. Thomas) praedestinationem ex parte effectus consideratam praedestinationi ex parte ipsius actus divini ; in tali autem oppositione per praedestinationem ex parte effectus necessario significari praedestinationem terminative sumptam, nemo non videt ». Porro « non solum effectus praedestinationis apud Aquinatem habet rationem in operibus nostris, sed ipsa *praedestinatio* habet rationem ex parte effectus » ( « est ratio quaedam *voluntatis divinae* ex parte effectus » ). « Imo ex hoc ipsa praedestinatio rationalis et justa esse dicitur. Si ratio autem spectaret unice effectum, prouti est in rerum natura, quomodo ex hoc ipsa praedestinatio rationalis et justa dici posset ? Exsecutio quidem temporalis rationalis et justa dici posset, nullatenus ipsa praedestinatio ». Etenim actus interior voluntatis ut justus et rationalis positive et proprie appelletur, illam rationem, unde rationalis et justa dicitur, per seipsum respicere debet. Nam solum respiciendo ad bonum et illud volendo actus interni bonitate informantur. Non vero sufficit, ut actus voluntatis dicatur et sit rationabilis et justus, solum effectum ejus secundum se esse justum atque rationabilem.

(1) Ita Paulus Mannens : « Disquisitio in doctrinam S. Thomae de voluntate salvifica et praedestinatione » p. 128 sqq.

Docent ergo ambo, S. Thomas et qui eum interpretatur, Innocentius V, praedestinationem ad gloriam ut sic post praevisa absolute merita ; docent, particularem aliquam praedestinationis effectum inniti praevio quodam ejus effectu, atque similiter notitiam unius effectus praecedere voluntatem dandi alium effectum. Unde falsa, quia inadaequata, interpretatio, quam R. P. subjicit : « Doctrina haec S. Thomae, quam Innocentius V breviter reddidit, nullam difficultatem habet (?) : nam si effectus praedestinationis in particulari consideretur « nihil prohibet aliquem effectum praedestinationis esse causam et rationem alterius ; posteriorem quidem prioris secundum rationem causae finalis ; priorem vero posterioris secundum rationem causae meritoriae ». (Ia P. q. 23, a. 5). Legantur quae supra diximus, p. 391, § Ex hac, et p. 399 § Respondetur. »

Errat R. P. ; non solum de effectu praedestinationis sermo est, sed de ipsa voluntate praedestinante terminative seu quoad effectum spectata. Hoc evidenter demonstravimus. Cfr etiam inter alia hic ad 3m et ad 5m ; 1, q. 23, a. 5 ; ad Rom. 8, lect. 6 ; quaeque ad hunc locum more suo sapienter adnotavit Card. Franzelin « De Deo Uno » thes. 57.

Numquid haec cum doctrina praedeterminationum physicarum apte cohaerent, in qua ab absoluto quodam praedestinationis ad gloriam decreto omnia exordium ducunt ?

Ventum est ad ea, quae ex Quaestionibus disputatis *Joannis de Neapoli* O. P. a R. P. Schneemann et a R. P. Dummermuth excitata sunt. Quum autem novi nihil in his testimoniis contineatur, nec mens mea sit, hunc librum in ingens volumen extendere, de his testimoniis nihil afferam, nisi eam sententiam exscribam, qua Joannes totam doctrinam illius q. 15 complectitur, quam R. P. Dummermuth pro se laudat. Complectitur igitur Joannes propositam a se veritatem hoc modo : « Patet ergo quod Deus est causa *omnis* actionis creatae, seu agit *in* omni agente creato, quantum ad actionis principium, scilicet sicut *dans* et *conservans virtutes* omnium rerum, quae sunt eis principium omnis actionis ; et *quantum ad actionis terminum* seu *effectum*, quia scilicet *omnis* effectus in ratione, qua *ens*, est Dei effectus, *et quantum ad actionis modum* seu medium, quia scilicet *applicat* seu *movet* causas omnes ad suos effectus » (1). Quid hic quod non est notissimum ex iis, quae supra de S. Thoma vidimus? Nihil igitur opus est hic aliquid addere. Etenim planum est, in omnibus his, nihil contineri, quod faveat doctrinae de praedeterminationibus physicis, ne dicam ea Neo-Thomismo adversari. — Quod idem cum de Hervaeo Natali, imo a fortiori valeat, transimus statim ad Henricum Gorcumiensem (2).

(1) Apud Dummermuth, p. 444.
(2) Apud Dummermuth, p. 450.

## § 2

### Henricus Gorcumiensis, Vice-Cancellarius Universitatis Coloniensis.

Ex tractatibus consultatoriis, quos adversus Husitas scripsit Henricus Gorcumiensis (Colon. in officina H. Quentel, anno supra Jubilaeum tertio), quosdam pro causa sua attulit locos R. P. Schneemann (p. 102 sq.).

« Prop. IX, fol. 22, a (1) : « Divina providentia movens omnia movet unumquodque secundum suam naturam ; *naturalia enim quae ad unum determinantur movet determinate ad unum,* ut gravia deorsum, levia sursum. *Ea vero quae habent liberum arbitrium movet relinquendo ea in potestate sui liberi arbitrii* ».

Notetur hic oppositio : « naturalia, *quae ad unum determinantur* (a natura, ea etiam Deus) *movet determinate ad unum* ». « Ea vero quae habent liberum arbitrium (*non movet Deus ad unum* sed) *ea movet reliquendo ea in potestate sui arbitrii* ». Haec sane graviter peccant contra systema praedeterminationum physicarum.

Pergit Henricus : « Quia per bonas actiones pervenitur ad adeptionem aeternae gloriae et hujusmodi actiones sunt Dei tanquam principaliter agentis, ideo sacra scriptura aliquoties loquitur, *tanquam totum esset solius Dei et homines non haberent aliquid interesse.* Et ad hunc sensum dicit Apostolus : Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis . . . *Esau movebatur graituta motione ad consentiendum simul infusioni gratiae, qui ex libertate arbitrii non consentiens, si voluisset, consensisset et gratiam accepisset,* qua, si voluisset, bene usus fuisset, et in eadem secundum facultatem liberi arbitrii ad finem usque perseverasset ac per hoc aeternam gloriam possedisset. *Quinimmo non irrationabiliter dici potest, quod aliquis reprobatus intensiori motione ad Deum movetur, nec tamen consentit.* Alius vero praedestinatus remissiori motione divinitus motus acquiescit motioni et gratiam recipit ».

Haec verba rationabilem sensum in sententia recentiorum Thomistarum suscipere non videntur. Etenim quid juvat, quando duo omnino diversa ad aliquem effectum essentialiter requiruntur, ex uno eorum possidere plus quam necessarium est, quando de altero nihil prorsus habeas ? Sic autem accidit in systemate recentioris Thomismi. Gratia enim sufficiens et gratia efficax sunt juxta ipsum *plane heterogenea* operis salutaris necessaria elementa, quae non tantum externa aliquo respectu, sed interna et entitativa ratione et potestate differunt et plane diversae sunt entitatis. Qui igitur unum eorum habet etiam abundantissime, nequaquam de altero propterea vel quidquam participat, nec salutariter reapse operari propterea

(1) Apud Dummermuth, p. 451.

vel minimum quidquam potest. Quod igitur dicit Gorcumiensis, *Esau potuisse consentire* gratiae, quodque addit, « non irrationabiliter dici posse, quod aliquis *reprobatus intensiori motione* ad Deum moveatur, nec tamen consentiat »: ea dicuntur omnia, si in Thomistarum erat sententia, ad quendam fucum faciendum, quasi hujusmodi homo consentire gratiae reapse possit, cum tamen heterogeneo et necessario elemento efficacis gratiae carens simpliciter nihil possit. Gratia enim efficax est secundum Thomistas idem ac praedeterminatio physica supernaturalis, ut saepe audivimus. Apud eosdem hoc porro inauditum est, hominem posse revera et effectu ponere actum, nisi sit ad ipsum praedeterminatus a Deo. Denique quae est illa motio gratiae « intensior », cui non consentiatur?

« Prop. XV, fol. 24, a : « Deus vult Esau non movere motione gratuita efficaci, ideo vult non dare gratiam gratum facientem ; haec enim connexio pium interpretem efflagitat. Reminisci igitur oportet quod doctrina scholae theologicae distinguere consuevit duplicem gratuitam motionem divinam, quarum unam vocat motionem efficacem, aliam vero sufficientem ; sed *motionem esse efficacem potest accipi dupliciter ;* posset enim per motionem efficacem intelligi *quodquam genus motionis*, quo specialiter moventur praedestinati, *quae respersa quodam suavitatis odore intima viscera animae foecundando deiformat et in coeleste desiderium transformat. Alio modo per motionem, efficacem* possumus intelligere *talem motionem, quae assequitur voluntatem hominis actu ad ejus consensum.* Si igitur hoc secundo modo loquamur de motione efficaci, tunc quicumque movetur motione efficaci, consentit motioni, et vera est haec connexio : Deus vult Esau non movere motione gratuita efficaci, ideo non vult dare gratiam [justificantem]. Nam oppositum consequentis : scl. Deus vult dare gratiam, non se compatitur cum antecedente. Si enim vult dare gratiam, vult movere motione gratuita efficaci. *Si vero per motionem efficacem intelligamus motionem divinam altioris ordinis specialiter praedestinatis appropriatam : considerandum est, quod Deus movet unumquodque secundum conditionem sua naturae. Verisimile igitur est plerumque contingere nonnullos acquiescere motioni solum sufficienti et non efficaci* [scl. tali modo]. Deus enim nemini motionem sufficientem denegat. *Voluntas autem ex suae libertatis facultate tali motioni acquiescens gratiam recipit* ».

Haec ultima ita comparata sunt, ut satis pateat, alterum modum gratiae efficacis et proprie dictum, quem supra Gorcumiensis memoravit, quique *in hujusmodi motione positus est,* « *quae assequitur voluntatem hominis actu ad consensum ejus* » : eum, inquam, modum non fundari supra distinctionem internam inter gratiam ita efficacem et gratiam mere sufficientem, prout id Thomistae contendunt. Etenim et *his ultimus verbis* ratio, cur una prae alia gratia efficax sit, reducitur in usum libertatis, « *quae tali motioni acquiescens gratiam recipit* » et verbis superioribus rationem gratiae efficacis consequitur actu ad consensum hominis. Quare necesse est fateri, quando supra Gorcumiensis etiam hoc docuit :

esse darique a Deo gratiam, quae effectum suum certo assequatur, id aliunde quam ex interna natura atque entitativa differentia auxiliorum provenire. Haec autem nostra sententia est, non recentiorum Thomistarum.

Porro omnis gratia, cui acquiescit voluntas, haud dubie efficax est proprio sensu. Jam vero secundum Gorcumiensem *eidem* gratiae, cui acquiescunt uni, alii non acquiescunt. « Verisimile igitur est, inquit, *plerumque* contingere *nonnullos* acquiescere motioni solum sufficienti et non efficaci » : scilicet sunt, qui consentiant motibus gratiae, etsi nec singularem quandam suavitatem, de qua supra, habet, nec habet rationem specialis omnino motionis, sed quae hoc sensu mere sufficiens gratia est. Talis autem gratia, cui interdum non acquiescitur, interdum vero acquiescitur, est nihilominus, quoties ei acquiescitur, sensu specifico efficax. Quae cum ita sint, rursum patet, discrimen gratiae efficacis et non efficacis secundum Gorcumiensem non repetendum esse a quodam interno et entitativo momento gratiae efficacis prae non efficaci, sed aliquo modo ab effectu consequenti, qui est consensus libere positus aut non positus ab homine.

Quam reapse esse Gorcumiensis sententiam haec priora verba ipsius iterum manifesto produnt: « Alio modo ( i. e. proprie ) per motionem efficacem possumus intelligere talem motionem, quae assequitur voluntatem hominis *actu ad ejus consensum* ». Consensus est igitur, qui formaliter efficit, ut gratia sensu proprio et specifico evadat et sit efficax. Hoc porro verum est in sententia Molinistarum, falsum omnino in sententia recentiorum Thomistarum.

Denique diserte adstruens gratiam efficacem ideo appellatam, quia respersa est quodam suavitatis odore etc., *genus quoddam motionis* constituere comparate ad eam gratiam, quae tali suavitate caret, satis indicat Gorcumiensis, inter hos duos gratiae modos et motus entitativum quoddam discrimen intercedere ; idem vero indicare omittens de ea gratia, quae altero i. e. proprio et specifico sensu efficax dicitur, satis ostendit, inter gratiam hoc modo efficacem et gratiam hoc modo mere sufficientem tale entitativum discrimen ex sua sententia non obtinere. Aut cur quod in uno distinxit, in altero omisit, si tamen in altero non minus verum est quam in priore ? Esset autem saltem in hoc altero modo gratiae efficacis aeque verum quam in priore, si vera esset sententia Thomistarum.

Prop. XVII, fol. 25 a. (1) « Voluntas remanet libera sive moveatur motione sufficiente, sive efficaci, et quia liberum arbitrium contingenter flectitur ad utrumque oppositorum, non videtur se compati talis contingentia libertatis et infallibilis eventus praedestinationis. Gratia igitur amplioris declarationis est advertendum, *quod aliquando effectus vindicat sibi eventum infallibilem ex necessitate unius causae determinatae,* ut puta, ortus solis infallibiliter evenit, quia motus coeli non potest impediri, per quem fit ortus solis. *Est autem alius effectus, qui comparatus cuilibet plurium*

(1) Apud Dummermuth, p. 452.

*suarum causarum singillatim nequit sortiri infallibilitatem ; nam quaelibet talium causarum secundum se deficere potest, tamen pensatis collective omnibus causis tali effectui deputatis, effectus ipse eventum vindicat infallibilem.* Hujus exemplum conferri consuevit de continuatione speciei humanae... Pariformiter diligens lector perpendat in proposito. Nam adeptio gloriae est finalis effectus praedestinationis, ad cujus comprehensionem Deus plurima ordinavit, cujusmodi sunt cooperatio voluntatis humanae, gratia, bona opera, orationes Sanctorum, exhortationes et exempla bona, alio modo et ita de quam multis aliis. *Itaque si praedestinatio comparetur ad solam voluntatem hominis praedestinati vel ad aliquid aliorum auxiliorum praedestinationis, secundum hoc non videtur sibi convenire certitudo infallibilis. Si vero referatur ad totam collectionem eorum, quae Deus praedestinavit ad consequendum finem praedestinationis, tunc fixam sibi vindicat certitudinem, quod praedestinatus, si cadat,* aut per preces justorum, aut exhortationes, aut exempla, aut, quod potius est, divina inspiratione resipiscit et *ad finem pervenit* ».

Haec mera repetitio est eorum, quae S. Thomas de Ver. q. 6, a. 3 docuit ; ergo etiam ita intelligenda sunt ille locus. Vide supra pag. 167 sq.

« R. P. Schneemann ex his locis plura colligit, inquit P. Dummermuth. Primo : « Henricus Gorcumiensis clarissime disserit, non modo pari gratia fieri posse ut alter assentiatur, alter dissentiat, verum etiam, si diversae sint gratiae, majori alterum resistere, alterum minori obtemperare posse ». — Non accurate haec dicuntur. Neque enim P. Schneemann haec ex dictis Gorcumiensis proprie collegit, sed ipse Gorcumiensis diserte haec affirmavit. — Ceterum, quid R. P. Dummermuth respondeat, id percipiamus. Respondet igitur (1) : « Vera sunt haec, si loquamur de auxiliis externis praevenientis gratiae, aut de auxiliis internis sufficientibus, aut etiam de auxilio efficaci gratiae non stricte sumpto, quale est v. g. illud quo juxta Henricum, « specialiter moventur praedestinati... Multi enim praedestinati diu pulsantur tali motione efficaci, et non statim acquiescunt ». Ad hunc sensum admittimus conclusionem quam ex verbis Henrici infert R. P. Schneemann : « Si efficaces eae gratiae proprie vocentur, quae praedestinatis dentur, fieri potest, ut gratiae sufficienti frequenter assentiamur, resistamus efficaci ». Falsa vero sunt, si universaliter loquamur de omnibus auxiliis praevenientis gratiae, aut de auxilio efficaci stricte dicto ; nam si cum Henrico, « hoc secundo modo loquamur de motione efficaci, tunc quicumque movetur motione efficaci, consentit motioni ; et consequenter fieri non potest quod tali auxilio aequali alter assentiatur, alter dissentiat ».

Sane hoc ultimum fieri nullo pacto posse, id omnes consentimus. Sed qui sit controversiae cardo, ad id R. P. parum profecto attendit. Itaque quaeritur hoc : *in his locis Henrici* num talia contineantur, quae ostendant, gratiam efficacem quae proprie dicitur, quam sine exceptione omnes infal-

(1) p. 453.

libiliter efficacem profitemur, repetere infallibilem efficaciam suam *ab interna sua conditione et natura*, prouti fert Neo-Thomistarum doctrina ; an vero in his locis talia potius contineantur, quae ostendant, gratiam infallibiliter efficacem entitative et intrinsece nihil admodum a gratia mere sufficienti differre, *discrimen omne a respectu quodam externo provenire*, quae est nostra sententia. Notis quibus textus illustravimus, qui tamen per se satis luculenti sunt, nos hoc esse consecutos confidimus, ut unusquisque pro hac altera parte sententiam dicat. —

Pergit R. P. Dummermuth : « Secundo (scilicet collegit P. Schneemann) : « Praedestinationis infallibilitatem non ut Thomistae ex certissima virtute interna singulorum auxiliorum explicat Henricus, sed, quemadmodum S. Thomas (q. 6 de Veritate, art. 3), ex subsidiorum copia ac multitudine, quam Deus semper in promptu habeat ».

Ad haec jam P. Dummermuth : « Quae docet S. Thomas, quaest. 6 de Ver. a. 3 exposita sunt supra p. 380 sqq. Ex iis, quae ibi dicta sunt, explicatur doctrina, quam habet Henricus in Propositione XVII. — At num ille textus recte a R. P. Dummermuth explicatus sit, licet ambigere. Vide supra pag. 171 sq.

« Tertio : Asserit R. P. (Schneemann), « Henricum affirmare, Deum liberum arbitrium non determinate ad unum movere ». — Respondet adversarius : « Ex contextu aperte constat, Henricum a libero arbitrio excludere determinationem ad unum per modum naturae ». Hoc sine ullo fundamento et plane immerito dici, manifestum est. Legatur, quaeso, primus textus.

Agendum jam de doctrina Joannis Capreoli, insignis theologi, quem principem Thomistarum appellant.

## § 3

## Joannes Capreolus O. P.

### ART. I.

#### QUID POSTERIORES THEOLOGI DE DOCTRINA CAPREOLI SENSERINT.

Orditur R. P. Dummermuth suam de Capreolo disceptationem hoc modo : « Quid senserit Capreolus, Thomistarum princeps, testantur antiquiores Societatis Jesu Theologi (1) : « Circa modum . . ., inquiunt *conimbricenses* ». . . « Idem asserit *Becanus* S. J. » . . . — « Testatur *Suarez*, Capreolum et Cajetanum doctrinam illius articuli S. Thomae allegare et sequi, in quo ut ingenue fatetur Suarez, S. Doctor sententiam physicae praedeterminationis docuit ».

(1) Nescio qua potissimum significatione hanc vocem « antiquiores » R. P. Dummermuth hoc loco usurpaverit. Potest enim ei duplex subesse sensus. Unus hic isque magis obvius, ut unum P. Schneemann recentiorem velit esse Societatis Theologum, ejusque de Capreolo assertum opponat veteribus Societatis Jesu Theologis universis, quasi illi communiter fassi sint senserintque, Capreolum sibi adversari. Quodsi reapse ita antiquiores Societatis Jesu Theologos intelligeret R. P., falsum aperte affirmaret. Solent enim Capreolum communissime laudare ut suae sententiae eximium fautorem et patronum. Cfr Suarez de Concursu l. 2, c. 3, n. 15; de Gratia l. 3, c. 49, n. 8 etc.; Didacus Ruiz de Scientia Dei disp. 49, sect. 6, n. 8 sqq.; Joannes Martinez de Ripalda de Ente Supernat. disp. 104, s. 6, n. 45 sqq.; Lessius de Aux. Effic. c. 5, n. 18; Bastida apud Liv. Meyer Hist. Controv. tom. I, l. 6, c. 18 ed. 2ae p. 678 initio cfr c. 19, p. 689; ipse Meyer ibid. l. 4, c. 1, p. 258. Hoc ergo sensu si vox usurpabatur, non oportebat ita orationem inchoare: « Quid senserit Capreolus, Thomistarum princeps, testantur antiquiores Societatis Jesu Theologi »; nam constat jam, quicunque ex iis sunt gravissimi, ab iis Capreolum pro sua sententia laudatum esse. Dicat ergo R. P., si placet: « Quid senserit Capreolus, unus alterve antiquior Societatis Jesu Theologus testatur, ceteris contradicentibus» etc. At ne ipsa haec quidem angustior formulae circumscriptio eam, quam R. P. vult, veritatem habet (ut supra in disputatione continua demonstrabitur).

Alter tamen potest esse sensus vocis « antiquiores », ut non unus P. Schneemann cum reliquis omnibus superioris aetatis Theologis Societatis Jesu comparetur, sed ut ipsi hi in duas classes dividantur, quarum unos recentiores P. Dummermuth appellet, alios antiquiores. At tunc profecto me illud fugit, quo jure in praesenti controversia, R. P. hos potius, quos recenset Societatis Theologos: Conimbricenses, Becanum, Suarezium inter antiquiores numeraverit. Terminus enim divisionis, *a quo*, si ullus jam in hac dividendi ratione commode assignari poterit, non alius aptior, quam vulgata a Ludovico Molina « Liberi Arbitrii cum Gratiae donis Concordia ». Hoc autem opus primum in lucem prodiit Ulissipone 1588. Omnes vero, quos hic R. P. superiores scriptores commemorat, pluribus post illum annis libros suos ediderunt. Nam Conimbricenses suas in libros 8 Physicorum Aristotelis commentationes primi quidem, non tamen ante annum 1591 emiserunt. — Suarez opuscula « de Divino Concursu » etc. primum Madriti anno 1599 publici juris fecit i. e. omnino quinque annis post, quam controversia « de Auxiliis Gratiae » occasione illius operis Molinae statim inter Dominicanos et Jesuitas exorta, Romam jam avocata erat (Cfr Schneem. II. p. 242 sqq.).— Opusculum vero « de Vera Intelligentia Auxilii efficacis » certe aliquibus etiam annis post priora illa compositum est. Patet hoc ex eo, quod in hoc ad illa saepius lectorem Suarez remittit, maxime vero ex eo, quod in cap. 45 hujus opusculi totus versatur in refutandis objectionibus et dissolvendis difficultatibus, quas Thomistae ex prioribus illis opusculis contra ipsum ejusque doctrinam excitaverant. Ex alia autem parte non videtur dubium, quin compositum sit ante grande illud opus ejusdem « de Gratia ». Hujus cum prima et tertia partes Lugduni anno 1609 prodierint (secundae tunc partis editione dilata ob impositum per Paulum V. de non eden-

Demus interim R. Patri, Theologos illos recto quodam sensu dici antiquiores, recte et accurate eorum referri ab ipso adversario sententiam: nobisne fortasse deest copia scriptorum apud ipsum gravissimorum, quorum testimonio innixi simili atque R. Pater exordio uti possimus? — Ipse Bannez (1, q. 23, a. 3 ad 1 concl. dub. 2, 3 conclus. ad 3 § « Secundus sensus ») haec scripsit: « Quod Deus non determinat neque applicat eorum (hominum) voluntates ad bonum vel malum usum, *sed actualis operatio pendet solum ex libertate arbitrii volentis se determinare* ad bonam vel malam operationem » — : « *Illa doctrina* in hoc sensu accepta *placet quibusdam theologis peritis; inter quos... Capreolus* in 2, dist. 28, q. 1, ad 12 refert sententiam Gregor. Arim., qui partim consentit huic doctrinae *et Capreolus sequitur Gregorium*. Sed infra a nobis in hac quaestione ostendetur clarissime, quam sit falsa ista sententia et parum consentiens veritati catholicae ».

Atque similiter Bartholomaeus Medina, qui num *contra* Bannezium senserit, admodum saltem dubium est, quamquam P. Schneemann ita exsistimavit; hic enim Medina, si tamen Suarezio fidem habemus, primus ex recentioribus Thomistis is fuit, qui sententiam illam de praedeterminationibus physicis insinuare coepit, sicut eam, nullis rationibus additis, « cer-

dis libris quaestionem de efficacia gratiae tractantibus praeceptum) videtur certum esse, illud opusculum circa annum demum 1605 in secunda Suarezii Romae commoratione conscriptum esse. Ibi enim illud esse conscriptum, testatur in praefatione sua Theophilus Raynaud S. J., qui id anno demum 1655 Lugduni primum publici juris fecit; Romae, ipsum manuscriptum venit in manus Ferdinandi a Bastida, qui tunc in celebri causa « de Auxiliis Gratiae » partes Societatis insigni cum laude sustinebat. Majoris autem operis, quod, ut dixi, anno 1609 post absolutas illas congregationes (Septbr. 1607) editum est, in hoc opere minore « de Vera Intelligentia » etc. nulla prorsus fit mentio (Vide praeter laudatam praefationem Theoph. Raynaud: Limbourg Zeitschrift für. Kath. Theol. an. 1880 p. 260; K. Werner « Franz Suarez » p. 78 sqq.). Ergo duo etiam scripta Suarezii, in quibus causae suae quoddam patrocinium constitutum putat R. P. Dummermuth multo post terminum illum *a quo* composita sunt. Quodsi adversario placet, possumus etiam terminum a quo jam annum 1581 assignare, quo primum anno Dominicus Bannez in Academia Salmanticensi theses illos vehementissime aggressus est; quas Prudentius de Montemajore in publico defendendas susceperat. Cfr. Liv. Meyer Histor. Controv. etc. l. 2, c. 1 et Historiae vindicatae l. 2, c. 1. Hic nobis annus etiam commodior erit. — Martini denique Becani tractatus « de Deo » cujus idem hic meminit R. P. Dummermuth, anno demum 1612 Moguntiae primum impressus est. — Quid ergo R. P. hic de antiquioribus Theologis loquitur? Quodnam consilium fuit? Voluitne indicare illos antiquiores Jesuitas mentibus nondum partium studiis occupatis distincte clareque vidisse, sibi uti S. Thomam, ita Capreolum etiam adversari, postea vero partium studio obcaecatos, P. Schneemann potissimum, utrumque negasse. Quodsi hujusmodi sententia in animo R. Patris haereret, ea inter praejudicatas opiniones haud dubie amandanda esset. Nimis enim infirmis ea niteretur fundamentis. Atque primum quidem ipsum, quod supponeretur, primarium factum esset falsum, illos Theologos inter antiquiores Societatis Jesu Theologos peculiari quodam sensu numerandos esse. Deinde vero ipsa etiam vel opinio vel suspicio labilis profecto esset. Esto! certaminis ardore homines aliqui partium studio capiantur, neque tamen omnes ita capiuntur, et insuper hoc est considerandum: si nascatur interdum pugnis litibusque exortis in mentibus quorundam hominum partium studium, nasci in aliis majorem cautionem diligentiamque, crescere etiam acumen. Accuratius igitur inspiciuntur jam singula et perpenduntur diligentius, priusquam quidquam in unam alteramve partem pronuntietur.

Hoc in natura rerum situm est, praesertim cum ipsi etiam adversarii acriter invigilent. Haec ergo opinio, si qua exstat, eos, qui antequam controversia quaedam enasceretur, de ea materia scripserint, melius semper scripsisse magisque fidos esse testes veritatis, ea quaeso amandetur, utpote quae sexcentis historiae exemplis falsitatis manifesto convincatur.

tissimam » esse pronuntiavit (1) ; nihilominus fatetur, sententiam sibi Bannezioque contrariam a Capreolo fuisse traditam. Ait enim ad 1. 2, q. 109, a. 2 in fine (edit. Bergom. 1586) : « Hic addendum atque dicendum, quod auxilium generale est motio divina, qua concurrit Deus cum omnibus creatis veluti ex pacto et foedere cum illis inito ad operationes suas sibique connaturales. Sed docet Gregorius ( ut refert Capreolus in 2, dist. 28, q. 1, ad 12 ), quod Deus concurrit ad actum bonum *non solum coefficiendo actum* cum ipsa voluntate ; *hoc enim modo cum omnibus agentibus concurrit,* verum etiam applicando et movendo ipsam voluntatem ad bonum, in qua applicatione voluntas non necessitatur ; est enim instrumentum liberum et movetur secundum naturam suam libere. *Ceterum ad actum malum tantum concurrit cooperando ad illum actum naturalem et ad substantiam illius actus, sed non applicat voluntatem ad malum actum. Hanc sententiam ut veram approbavit Capreolus in loco dudum citato. Sed mihi videtur, quod hoc ultimum falsum sit.* Nam res certissima est, voluntatem nostram nihil posse velle boni aut mali nisi prius moveatur a Deo ad operandum, sicut penicillus nihil potest operari nisi prius a principali agente ad agendum admoveatur ». Haec Medina.

Nec movere quidquam nos illud debet, quod Bannez hic dixit, Capreolum *partim* sibi adversari, licet id contra P. Schneemann R. P. Dummermuth multum urgeat (2). Adversatur enim Bannezio Capreolus, ipso Bannezio teste, ex eadem parte, ex qua ipsi Gregorius Ariminensis obsistit, quippe quem Capreolus secutus sit. *In praecipua igitur quadam quaestionis parte Bannezio contrarius est Capreolus*, prouti id jam indicat vel ipsa vehemens reprobatio, qua Bannez in eorum sententiam invehitur. Vide supra. — Et revera Gregorius Ariminensis 2, dist. 28, 9. 1, a. 3 ad 12 haec tradidit : « *Juvat nos*, inquit, *Deus* immediate ipsum actum efficiendo, quamvis non ipse solus facit actum, sed etiam voluntas coefficit ; *sed non solum juvat Deus ad bonum velle partialiter coefficiendo, qui est modus communis, quo concurrit ad cujuslibet agentis creati quemlibet effectum, sed etiam speciali modo* » etc.

Vides clare, quare Dominicus Bannez adeo huic Gregorii atque Capreoli sententiae contradixerit. Etenim si ipsa vera est, praecipuum fundamentum totius sui systematis corruit, quod utique situm est in hac assertione : ut creatum ullum agens agere quidquam omnino valeat, non sufficit Dei immediatus et physicus influxus in ipsam actionem effectumque creati agentis, sed praevia quaedam motio determinans Dei in causam secundam omnino requiritur.

(1) Cfr inter alia Suarez l. 5 de Grat. c. 9, n. 4; de Vera Intelligentia etc. c. 43. § « Ultra ». *Omnino distincte* tamen secundum eumdem *primus Bannez* hanc sententiam proposuit (Cfr Suarez ll. de Grat.) Medina nunquam vocibus praedeterminandi vel praedeterminationis ipse usus est (Suarez ll.) ; at eum similibus atque Bannez sententiis imbutum fuisse, id et ipse locus, quem supra in ipsa disputatione laudamus, indicat; et clarius etiam ex eo elucet, quem infra in ultima sectione afferemus ad 1, 2, q. 10, a. 4.

(2) p. 455.

Jam de ipsis testimoniis a R. P. Dummermuth allatis pauca. Fateor quidem, censuisse Conimbricenses (1), S. Thomam Dei motionem praeviam actualem docuisse necessariam esse omni agenti secundo, ut agat; quam sententiam etiam Capreolo in 2 dist. 1. q. 2 attribuerunt. At aliud est concedere praemotionem quandam esse necessariam juxta D. Thomam, aliud a S. Thoma requiri praedeterminationem physicam, ut saepe vidimus. Cum illa porro libertas actionis stare potest, cum hac, si est, prouti eam Thomistae esse volunt, stricta physica ad unum simpliciter praedeterminatio, libertas in agendo evanescit. — Neve hic illud opposueris, praemotionem tamen illam S. Thomae, quam concedunt Conimbricenses, esse profecto praemotionem physicam ad determinatam actionem, quare eam aequari ex hoc capite oportere cum praedeterminatione physica. Nam etsi hujusmodi praemotio physica ad actionem determinatam potest aliquo tandem sensu dici praedeterminatio ( physica ) quoad specificationem actus, neque tamen ullo modo est praedeterminatio simpliciter et physica quoad exercitium actus, quae duo R. P. Dummermuth in impugnando systemate Molinae non uno loco inter se confundit atque commiscet, ut saepius vidimus.

Nihil autem amplius concessisse Conimbricenses quam *praemotionem* quandam a S. Thoma traditam esse (2), constat ipsis eorum verbis. Etenim aiunt : « Discutienda se offert celebris opinio D. Thomae. . . ejusque sectatorum, Capreoli. . , Ferrariensis et aliorum, existimantium, omnes causas secundas, antequam operentur, accipere a Deo influxum quendam et motum, qui sit quasi esse intentionale virtutis divinae, quo ad promendas actiones excitentur, eo modo, quo artium instrumenta. . . praeviam motionem a fabro accipiunt, cum ad opus conficiendum applicantur » (3).

Nec amplius quidquam Becanus S. Thomam atque Capreolum tradere indicavit. Etenim « De Deo » cp. 18, n. 14 et 15 sola haec exstant : « Concursus Dei cum causis secundis in genere causae efficientis, tribus modis intelligi et explicari potest. Primo ut Deus ideo dicatur concurrere cum causis secundis, quia dat illis naturalem vim agendi et eam conservat. Secundo, quia movet et applicat illas ad agendum, sicut faber movet et applicat securim ad scindendum. Tertio quia influit in actionem et effectum illarum. Est autem magnum discrimen inter hos tres modos. Nam primus nihil aliud tribuit Deo, nisi conservationem causarum secundarum. Secundus praeter conservationem tribuit ei etiam actionem quandam, qua movet et applicat causas secundas ad agendum, ita ut actio illa sit distincta ab actione causae secundae : sicut actio, qua faber movet et applicat securim ad agendum, distincta est ab actione securis, qua scindit lignum. Tertius modus praeter conservationem tribuit illi etiam actionem quandam,

(1) « In 8 libros Physic. l. 2, cp 7, q. 13, a. 1.
(2) Ipsi ab hac sententia plane alieni sunt, eamque ll. late impugnant.
(3) Idem constat argumentis, quae contra hanc sententiam promunt.

non tamen distinctam ab actione causae secundae, sed plane eandem ita ut Deus dicatur concurrere cum causa secunda, non quia movet illam ad agendum, sed quia simul cum causa secunda ad eandem actionem et eundem effectum concurrit ». — « Nunc quaestio est, in quo istorum modorum consistat concursus Dei. Autores discrepant. Durandus putat, solum primum sufficere, nec alium admittit. *Alii volunt addendum esse secundum, ut D. Thomas, Capreolus, Ferrariensis.* Alii non secundum, ut plerique recentiores. Et hoc probabilius, ut deinceps explicabo ». — Ubi hic ullum verbum de praedeterminatione physica? Ergo ne Becanus quidem eam aut S. Thomae aut Capreolo adscripsit.

Sed quid de tertio teste Suarezio? Erravitne etiam in eo afferendo R. P. Dummermuth? Ita plane et quam maxime. Nam qui se motum declarat *Capreoli* et Cajetani auctoritate, ut concessionen Neo-Thomistis circa q. 3 de Pot. a. 7 olim factam retractaret; is profecto Capreolum non Neo-Thomistarum sententiae adscripsit (1).

Concessit tamen, inquis, Suarez illo ipso loco « de Gratia », qui in nota praecedente laudatur, n. 11, Capreolum atque Cajetanum allegare atque sequi doctrinam illius articuli tanquam consentaneam et conformem doctrinae sancti Doctoris. Ita profecto; quemadmodum etiam nos id facimus, qui tamen longissime recedamus a doctrina praedeterminationum physicarum putemusque et S. Thomam et Cajetanum et Capreolum ab opinionibus Neo-Thomistarum alienos fuisse. — At Suarez alias, potissimum vero in libro « de Vera Intelligentia Auxilii Efficacis » c. 40 § « Octavus », ingenue fassus est, in hoc articulo videri S. Thomam profiteri doctrinam de praedeterminatione physica. Si verba illius loci sola per se et separatim inspiciuntur, ita plane potest videri; minus fortasse id exploratum erit, quando conjuncta ceteris spectabuntur et comparata iis, quae idem alibi dixit (2). At quidquid est de hac re, nunc non agitur, quid Suarez olim de illo uno loco S. Thomae senserit, sed hoc agitur unum, num ullo in loco *Capreolum* hanc interpretationem a se olim datam amplexum esse profiteatur. Hoc autem omnino negandum est. Itaque plane nihil in hoc exordio enuntiavit R. Pater, quod non plus minusve a veritate alienum sit. — Jam transimus ad ipsius Capreoli doctrinam.

---

## ART. II

### DE IPSIUS CAPREOLI DOCTRINA.

Primum veniat illud Capreoli testimonium (l. 2, dist. 28, q. 1, a. 3 ad

(1) Vide l. 3 de Gratia c. 38, n. 11 et n. 20. Pluribus etiam aliis locis Suarez Capreolum pro sua sententia laudat.

(2) Cfr initium ejusdem capitis apud Suarez, et Liv. Meyer « Histor. Controv. de Auxiliis Grat. ». l. 6, cp. 19 ; « Histor. Vindicatae » l. 3, cp. 24.

12, Edit. Venetae 1589 p. 471 col. 1 ), de quo modo agebatur, quodque etiam P. Dummermuth primum posuit.

« Ad duodecimum dicit Gregorius, quod licet Deus frequenter juvet hominem ad bene agendum per aliquod habituale donum, quod causat in anima, non tamen tantummodo sic juvat, sed etiam juvat ipsum actum immediate causando, et ad ipsum immediate movendo potentiam. Unde homo habens etiam gratiam gratum facientem, et aliud quodcumque donum Dei habituale, adhuc tamen ad bene operandum indiget alio speciali Dei auxilio secundum doctrinam B. Augustini. . . Sic ergo ad argumentum dico, quod Deus juvat nos immediate ipsum actum efficiendo, et quod non ipse solus efficit actum, sed etiam voluntas coefficit. Sed, ut jam tetigi, *non solum* juvat Deus *ad bonum velle partialiter* (1) *coefficiendo, qui est modus communis, quo concurrit ad cujuslibet agentis creati effectum quemlibet* ut in argumento dicebatur ; *sed etiam quodammodo speciali*, videlicet *faciendo ipsam voluntatem partialiter concurrere, ita quod ipsa voluntas partialiter concausat applicata,* et quasi instrumentaliter mota a Deo ad sic partialiter concausandum. *In quâ tamen motione ipsa non necessitatur, sed instrumentum liberum existens, in cujus potestate est sequi motionem agentis,* juvatur ita ut agat ea, quae non sic adjuta nequaquam agere potuisset. *Ad productionem vero actus mali solum primo modo concurrit Deus, quia non facit voluntatem agere actum malum, sicut facit eam agere actum bonum*, et hoc est illud adjutorium Dei speciale, sine quo dicimus nos nihil bene velle aut facere ».

Ad hoc testimonium haec opponit R. Pater Dummermuth : « Sentit igitur Bannez, et cum eo Thomistae quidam, inter quos Medina (1ª 2ae, q. 109, a. 2), Capreolum in citata responsione docere, *Deum movere quidem et determinare voluntatem ad actus bonos* (2), *minime vero ad actus malos ( ut actus sunt )* : et hac ratione dicit Bannez, Capreolum et Gregorium Ariminensem PARTIM consentire sententiae quorundam Theologorum, qui tenent, Deum non determinare voluntatem ad suos actus, nec ad bonos, nec ad malos, sed actualem determinationem pendere solum ex libertate arbitrii. Porro, si verba Capreoli intelligantur, ut a Bannezio exponuntur, jam concludere licet, falsum esse quod asserit Rev. Pater, scilicet Capreolum ita aperte Molinistarum sententiae favere, ut id Bannez fateatur ».

Quam hoc responsum P. Dummermuth infirmum esset, jam supra paucis demonstravimus. Etenim sic evertitur principale et universale principium, cur praedeterminatio physica a Neo-Thomistis plane exigatur. Si enim *aliqua* omnino actio fieri potest sine praedeterminatione, sive ea actio

(1) Habes hic apud principem Thomistarum eandem loquendi modum, ob quem recentiores Thomistae adeo vehementer exagitant Molinam ( supra p. 125 ) Vide inter alios R. P. Dummermuth p. 108 sq.

(2) Plus asserit Bannez, quam Capreolus affirmavit. Praemotionem quidem in bonis actionibus Capreolus docuit, numquid etiam praedeterminationem ?

bona sive mala est, prostratum jacet Neo-Thomistarum argumentum princeps, quod ab essentiali dependentia omnis creati agentis a prima causa in agendo petitur. Si enim ea dependentia in uno genere vel exemplo, quemadmodum saepe jam diximus atque per se evidens est, non requirit, ut agens secundum a primo agente praedeterminetur ad agendum, in nullo id ex hoc saltem capite requiritur. Idem valet de argumento speciali, quod ex naturali indifferentia humanae voluntatis pro actibus voluntatis petitur. Num porro Bannez Capreolum sibi adversari, Molinistis favere, ipse fateatur, id verba Bannezii supra allata satis manifestant. Quare hanc R. Patris assertionem silentio praeterimus.

Item silentio premimus illud, quod postea ex Joanne Azorio S. J. R. Pater affert ad ostendendum, nihil illis Capreoli verbis contineri, quod causam Molinisticam juvet. Est enim explicatio Capreoli ab Azorio data adeo arbitraria, non explicans verba Capreoli, sed sensum alium, quem non habent, eis imponens, ut vel ipse R. P. Dummermuth confiteatur, « expositionem Azorii non satis aperte colligi ex littera Capreoli » (1). Et profecto num hoc solum asserit Capreolus : « Deum *aliter* in bonis operari in homine, *aliter* in malis; nam bona *facit cum homine*, non solum quod sunt, sed etiam *quod bona sunt,* et *movet hominem ad bona*, non solum quatenus sunt, sed quatenus bona sunt, . . . at *in malis* Deus facit cum homine, quod sunt, *non quod mala sunt, movet hominem ad mala,* quatenus bona quaedam sunt, sed non quatenus mala sunt » (2)? Ipsa oppositio in textu Capreoli, qua asseritur, *communem modum*, quo Deus voluntati cooperetur, esse hunc, *ut juvet Deus partialiter coefficiendo ad* velle *; specialem* vero, quo juvat ad bonum velle, esse praeter illum communem *insuper hunc, ut faciat ipsam voluntatem partialiter concurrere,* ita ut ipsa voluntas partialiter concauset applicata : ostendit evidenter, *communem et universalem modum*, quo Deus juvet secunda agentia in agendo, esse secundum Capreolum *unum concursum simultaneum,* ad bonas vero actiones Deum etiam *praemovere.*

Nec tamen ideo haec praemotio praedeterminationis physicae essentiam et indolem habet. Id ex iis, quae infra dicentur, clarius etiam elucebit ; elucescit tamen ex hoc ipso loco non obscure. Nam etiam *sub* (« in») motione illa speciali ad bonum, de qua hic Capreolus, « non necessitatur voluntas, sed in ejus potestate est sequi motionem agentis ». Ergo etiam hac motione accepta indifferentia voluntatis ad agendum simpliciter manet, inque ejus potestate relinquitur, num eam motionem sequatur necne sequatur. Haec e regione opponuntur Neo-Thomismo, qui hujusmodi indifferentiam causis liberis secundis adscribit quidem, si secundum se considerentur, nequaquam vero, si considerentur, uti subsunt sub influxu et actuali motione praedeterminante primae causae (3).

(1) p. 458.
(2) Azor Instit. Mor. P. 1. l. 4, cp. 22.
(3) Recentissimus quidam ex familia Praedicatorum scriptor magis quam ullus alius ante ipsum

Suo igitur jure duo R. P. Schneemann ex hoc textu collegit: 1. «*in concursu generali causam Divinam esse* simul cum creata causa *causam effectus partialem ;* 2. *in hominis potestate esse, velitne sequi motionem, ita ut* — verbis utor Bannezii — *actualis operatio* [ *num sequatur* ] *pendeat solum* [*potius dicendum erat : simpliciter* ] *ex libertate liberi arbitrii* » (1). Addendum fuit 3. concursum Dei generalem *partiali illa coefficientia causae primae cum causa secunda comprehendi et absolvi.*

Nec R. P. Dummermuth quidquam solidi habuit, quod contra P. Schneemann ita colligentem opponeret, licet omnia haec doctrinae Neo-Thomisticae insigniter adversentur. Conatus est tamen ad primum aliquid respondere: « Ut supra p. 278 notavimus ex S. Thoma, inquit p. 456 in nota, causae partiales alicujus effectus *dupliciter* dici possunt : uno modo, quatenus una causa ad eundem effectum cooperatur alteri causae, a qua movetur, applicatur et determinatur » — haec sane a R. Patre Thomistice, de influxu in ipsam causam inferiorem ut sic et ad unum intelliguntur — ; « alio modo quatenus una causa operatur eandem operationem cum altera, quin tamen una alteri subordinetur in tali operatione vel ab altera moveatur, ut contingit in duobus trahentibus navim. Capreolus non admittit, Deum et causam secundam esse causas partiales hoc secundo modo, qui Molinisticus est; sed primo modo, qui est Thomisticus: docet enim Capreolus Deum movere, applicare et determinare (?) causas creatas ad omnes suos actus, ut ex testimoniis citandis patebit ».

Hic plura falsa aut asseruntur aut significantur. Falso a R. P. significatur, Capreolum docere motionem, applicationem, determinationem causarum secundarum per Deum sensu Neo-Thomistico ; quod falsum esse, jam ex loco supra laudato (ad 12) patet ; patebit etiam ex locis mox uberius discutiendis. — Falsum porro est, quod R. P. Molinistis diserte adscribit. Nam quemadmodum non primum, ita nec alterum cooperationis modum Dei defendunt, sed tertium quendam. Quare disjunctio R. Patris completa non est. Praeter enim duos illos modos tertius quidam medius est. Secundum hunc, influxus causae superioris non quidem prius afficit ipsam causam inferiorem, ut sic et in se, deinde effectum ; attamen ipse influxus causae in effectum et ipse effectus, licet ab utraque causa simul procedant, non tamen aequaliter ab utraque procedunt. Procedunt ab inferiore causa *cum essentiali dependentia* a superoris causae simultaneo influxu, cum tali depen-

hanc, quae voluntati secundum se consideratae competat, indifferentiam exaggeravit. Ipso enim auctore voluntati secundum se consideratae, sine praemotione Dei physica, mere passiva indifferentia, competit, estque ipsa per se mere passiva, ad instar materiae primae, potentia. Quaecunque vero ei competit unquam activitas, ei ab una praemotione Dei physica competit. Unde una praemotione physica Dei ad unum evadit activitatis omnino principium. Haeccine, quae omnino libertatem actionum nostrarum funditus evertunt, refutemus ? Id quidem non faciemus. Qui autem hujusmodi doctrinam suis ipsius oculis inspicere vult, adeat librum Fr. Gundisalvi Feldner, qui inscribitur: Die Lehre des heil. Thomas von Aquin über die Willensfreiheit der vernünfligen Geschoepfe. Graz, Moser 1890 p. 84 sq ; p. 162 etc. Hanc porro doctrinam a mente Aquinatis alienissimam esse, non est, cur notemus.

(1) Schneemann, p. 108.

dentia idem *influxus activus atque effectus* non procedit a superiore causa. Haec supra de prima et secunda causa non semel exposita sunt, (cf. p. 125) nec ea ignota esse possunt R. Patri, nisi fateri velit, se nostros scriptores obiter tantum inspexisse. Responsio igitur R. Patris ad primum corruit.

Quod autem addit : « Iisdem testimoniis respondebitur ad secundum assertum R. Patris » [ Schneemann ], quoniam constat, illa testimonia in sensum non verum detorqueri, constat etiam, hoc responsum ad secundum fundamento carere.

Post hunc locum R. P. testimonium ex Capreolo commemorat ( p. 458), quod posset quoddam negotium facessere, nisi aliis locis Capreolus luculenter sententiam suam edixisset. Scilicet refert R. P. : « Eodem Lib. 2 Sent. Dist. 37, quaest. 1, inquirens Capreolus, Utrum actus peccati sit a Deo, sequentem statuit conclusionem : « Actus peccati producitur effective a Deo ». Contra eam autem sic arguit, n. 2 ( p. 541, col. 2 sq. ) : « *Si Deus coagit actui voluntatis, aut* hoc est quia sequitur determinationem voluntatis in illo actu, *sic quod voluntas prius natura determinet se ad actum illum,* et ex hac Deus coagit voluntati determinatae ; *aut e contra prius Deus determinat se ad agendum, et voluntas nostra sequitur determinationem ejus ; aut veniunt ad istam actionem ex aequo.* Sed nullo istorum modorum : igitur, et caetera. Major patet per sufficientem divisionem. Minor probatur : primo quod non primo modo, quia tunc Deus voluntarie coageret ad peccatum ; et etiam habetur propositum, cum in illo determinate non coagit sibi Deus, et sic non est causa omnis actus positivi. *Nec potest dari secundus modus, quia tunc voluntas determinaretur a Deo ad peccatum : igitur non ageret a se, sed ab alio, et ita voluntas non peccaret, quia de se non haberet unde esset causa peccati, quia non libere : determinaretur enim ab extrinseco.* Nec est possibilis tertius modus, tum quia iste modus esset casualis ; tum quia Deus voluntarie coageret ad peccatum ».

« Secundum modum, ita pergit R. P. Dummermuth, qui est de praevia determinatione, tuentur Bannez et Thomistae. Argumentum autem quo Capreolus illum modum impugnat, continet praecipuas difficultates quas Thomistis objiciunt Molinistae. Quid ergo ad argumentum respondet Capreolus » ? Non contentus solutione Gregorii Ariminensis ait : « Sed apparet mihi, quod aliter potest melius dici : scilicet *quantum ad omne positivum, quod est in actu voluntatis, actio voluntatis creatae est posterior actione Dei in producendo quodlibet tale, quia nulla creatura agit nisi mota a Deo.* Et ad hujus improbationem dicitur quod consequentia ibidem facta non valet, quia *motio Dei non determinat voluntatem creatam ad aliquid quod sit secundum se malum, sed ad illud quod est secundum se bonum ex natura sua, licet sit malum quoad deformitatem quam habet relatum ad causam secundam.* Item negatur alia consequentia ibi facta, scilicet voluntas non agit a se, sed ab alio : igitur non a se, sed ab

(1) Capreol. II. p. 544 col. 1.

alio habet quod sit causa mali, et per consequens non peccat. Cujus ratio est, quia voluntas creata *non ideo peccat, quia illum actum agit, sed quia illum taliter agit ; primum habet a Deo, non autem secundum* » (1). « Ecce, ita jam concludit R. Pater, expressis verbis docet Capreolus, Deum praevie determinare voluntatem nostram ad suos actus, etiam malos, quantum ad id quod positivum est in eis. Et loquitur Capreolus, ut patet, de physica praedeterminatione; quaestio enim est de causalitate Dei effectiva physica actuum nostrorum. Nullo ergo modo dissentit Capreolus a Bannezio ».

Ad hanc difficultatem hoc modo respondemus. Si quis scriptor non ineptus duo dicit, quae videntur esse pugnantia, id ei debemus observantiae, ut expendamus atque dispiciamus, sintne loci tales, ut possint verborum accurata explicatione et comparatione in concordiam redigi. Atque prior quidem locus Capreoli, de quo modo actum est, certe tam manifesto negat praedeterminationem, imo praemotionem Dei ad actiones nostras malas, ut nullam aliam interpretationem admittat. — Quod cum ita se habeat, adhibenda est interpretatio huic posteriori loco ; primum quidem, si fieri possit, ne cogamur fateri, tantum Theologum in eodem libro atque post paucas tantum distinctiones secum ipso pugare, quod vix credibile est ; deinde vero, ne cogamur insuper dicere, ipsum una repugnantia nequaquam fuisse contentum. Nam ille ex l. 2, dist. 28 locus certe non unicus apud Capreolum est, qui clarissimum nobis suppeditet pro causa nostra testimonium, quemadmodum hoc in processu hujus disceptationis videbimus.

Hac animadversione praemissa *dico 1° : amplius aliquid a R. Patre asseri ut doctrinam Capreoli, quam in ejus verbis distincte contineatur*. Etenim R. P. affirmat, *expressis* verbis docere Capreolum, « *Deum praevie determinare* voluntatem nostram ad suos actus, etiam malos » (2). At Capreolus *duo* tantum *affirmat: unum* Deum habere prae voluntate creata *prioritatem quandam* in agendo et « in producendo quodlibet tale » quoad omne positivum, quod sit in actu voluntatis ; *voluntatem autem creatam habere posterioritatem* relate ad idipsum ; *alterum*, quod hic Capreolus affirmat, est hoc : Deum *determinare* voluntatem *ad illud, quod sit in actu malo secundum se bonum*. — Jam vero nihil repugnat, quominus Deo quandam veram, etsi non praevie agat, in agendo prioritatem vindicemus. Nam prioritas in agendo multiplex est. Potest esse non tantum prioritas temporis aut naturae, sed etiam prioritas *originis*, *rationis*, independentiae, dignitatis atque intimioris efficacitatis, quemadmodum saepe explanatum est. Quando vero Deus dicitur a Thomistis praevie agere, adstruitur determinate, solum alterutrum locum habere, aut prioritatem naturae aut temporis prioritatem. Nihil ergo opus est de se, ut dicamus, Capreolum hos praecise prioritatis modos in agendo Deo hoc loco attribuisse, quando affirmavit Deo in actione creaturae convenire prioritatem quandam, actionem vero creaturae actione Dei esse posteriorem.

(1) p. 459.
(2) Id.

Neque affirmari potest, ob alterum, quod hoc loco affirmavit Capreolus, notionem prioritatis, quae Deo hoc loco vindicetur in agendo, necessario ad illum prioritatis modum contrahi, qui voce « praevie » designatur et comprehenditur. Etenim, si absolute loquimur, possunt voces « determinare voluntatem » mere materialiter intelligi, ita ut haec verba Capreoli idem valeant ac si scripserit : « Motio Dei *determinationem* voluntatis creatae i. e. actionem et actum, quo se ipsa voluntas creata formaliter determinat, non producit quoad aliquid, quod sit secundum se malum, sed secundum illud, quod est secundum se bonum ». Quo sensu si Capreoli verba : « motio Dei » etc. intelliguntur, non sequitur, ut Deus aliquid praevie agat in voluntate, quo haec ad actionem hanc eliciendam physice praedeterminetur, sed tantum hoc, ut una cum voluntate agat seu cooperetur in actione illa producenda, qua creata voluntas se ipsa formaliter ad malum determinat.

Jam vero *dico 2° prorsus hoc tantum materiali sensu verba Capreoli hoc loco intelligenda esse*. Etenim *a)* aliter si verba intelliguntur, sensu scilicet formali, Capreolus ipse secum pugnat. Nam talem determinationem formaliter acceptam per Deum fieri, alias non semel negat. Praeterea *b)* aliter si dicamus, ipse hic locus secum pugnat. Etenim hoc ipso loco affirmatur, non habere creatam voluntatem a Deo hoc, ut actum malum taliter i. e. praecise prouti malus est agat. Jam vero si Deus creatam voluntatem praemoveret, a fortiori, si eam physice praedeterminaret ad eliciendum et efficiendum hunc actum, non solum haberet creatura actum peccaminosum a Deo secundum id, quod in eo actu bonum est, sed etiam secundum ipsam rationem mali. Rationem enim formaliter et proprie mali habet actus noster malus secundum quod intentionaliter a nobis i. e. ab agente proximo vitaliter, voluntarie et libere procedit; secundum hanc enim rationem, eamque solam est actus noster *vera voluntas veraque volitio mali*; hac autem ratione actio mala formaliter mala est. Non enim illud physicum accidens, vel quidquid dicere velis, *quo* formaliter aliquid volumus, secundum se jam volitio mali est et rationem mali formaliter in se continet, sed quatenus ipsum vitaliter atque voluntarie a voluntate procedit inque ea manet, volitio mali et formaliter mala actio est. Quod ipsum indicat Capreolus hic, dicens : malum esse malum «quoad deformitatem quam habet, *relatum ad causam secundam* ». Porro si Deus praedeterminaret nos ad volendum hoc, quod est malum, non tantum causa esset physici illius accidentis, ut sic, quo nos formaliter volumus, sed etiam esset causa vera physica, *cur* vellemus et *ut* vellemus i. e. ut actus malus vitaliter et intentionaliter a nobis procederet. Quo posito non solum *actum* haberemus a Deo i. e. illud accidens physicum, quo volentes evadimus et sumus, sed etiam *talem* actum scl. malum haberemus a Deo. Etenim Deus vera causa esset movens atque praedeterminans physice, cur hic praecise actus in hoc tendens objectum a nobis voluntateque nostra vitaliter et voluntarie eliceretur, nec produceret Deus solum id, quod secundum se bonum est in actione nostra mala,

sed ipsum actum malum secundum hoc etiam, quo formaliter et adaequate malus est, praevia motione causaret atque produceret. Quae duo cum a Capreolo hic perspicue negentur, constat 1°, Capreolum hic voces « determinari a Deo voluntatem humanam », non formaliter sumpsisse, sed materialiter pro « condeterminari » ; constat 2° eum non docuisse his verbis praedeterminationem humanae voluntatis physicam ad actum malum per Deum, sed tantum cooperationem Dei ad illud absolutum ( ad illud accidens ) producendum, quo ipsi nos formaliter determinamus, et quo formaliter volentes malum, male operantes formaliter evadimus. Quare 3° constat, illam prioritatem, quae Deo prae voluntate creata hic attribuitur, non esse prioritatem nec naturae nec temporis, si terminative spectatur, sed solum prioritatem *originis*, *rationis*, independentiae, in agendo. Atque sic 4° constat, recte jam olim Suarezium censuisse l. 3 de Gratia c. 49 n. 8, locum exponendum esse de hac posteriore prioritate. Unde 5° etiam hoc patet, R. P. plane immerito hunc locum pro sua sententia laudasse, nec id solum falsum esse, quod hic R. P. affirmat, *expressis* verbis Capreolum hic docere, Deum *praevie* determinare voluntatem nostram ad suos actus, etiam malos, *sed ne implicite* quidem id in doctrina Capreoli contineri, sed esse plane contrarium.

Paulo etiam aliter possumus hunc locum Capreoli et luculentius explicare, licet explicatio in praecedentem redeat. Sic, inquam, ut Deus *quantum est ex se atque ut principium activum est, prius (origine)* totam illam entitatem et actionem producat, *quae homini est mala actio*. Sed cum eam ex parte sua *conditionate* tantum producat et dependenter a cooperatione hominis, *nihil ponitur in esse reali et extra Deum, nisi simul cooperatur homo*, qui tamen ipse vicissim in ea actione ponenda, qua seipsum formaliter et simpliciter determinat, a Deo simul physice influenti atque humanam actionem sustentanti et hoc modo eam condeterminanti dependet (1).

Cum porro actio mala indolem malae actionis per se non habeat nisi in eo, qui ipsa vitaliter, voluntarie et libere utatur, vel *qui actione sua in objectum sufficienter cognitum ut malum libere volendo tendat,* hoc autem conveniat uni creatae voluntati et humanae (2), consequitur, etsi Deus concurrit ad actionem malam, quoad totam ejus entitatem physicam et esse ipsius absolutum, et quamvis hoc modo sit condeterminans, et quamvis ex parte principii activi et origine prius etiam influat quam homo, tamen non necessario et per se producere eam secundum esse tale seu quatenus vere mala est, neque condeterminare eam sub hoc respectu ; sed de se nihil repugnare, quominus eam producat tantum secundum id, quod quidem homini et per ipsum hominem est formaliter malum, secun-

(1) Haec intelliguntur ex iis, quae in altera sectione de concursu diximus.

(2) Propria energia actus intentionalis soli agenti, quod vitaliter operatur, competit. Profecto Deus non evadit volens aliquid actu nostro. Hoc evidens est.

dum se vero et absolute sumptum est quiddam boni. Brevi: cooperatio Dei ad actionem malam est de se cooperatio mere materialis, nec per accidens aliam indolem nanciscitur, quia et sanctissimis motivis ita cooperatur Deus, nec ulla ratio est, cur ita cooperari non debeat.

Quae si ita sunt, recte potuit Capreolus illa duo affirmare, quae hoc loco affirmavit. Competit enim, si ita est, Deo in ratione principii activi revera prioritas quaedam originis prae humana voluntate in « producendo quodlibet tale » quoad omne positivum i. e. quoad omne physicum et absolutum esse, quod in actu voluntatis malo invenitur, quamquam Deus minime physice praemovet nec physice praedeterminat humanam voluntatem ad actionem, quae est mala. Quod si in mala actione Deus faceret, proprie et vere auctor malae actionis fieret. — Recte etiam affirmatur a Capreolo, Deum determinare voluntatem ad illud, quod in malo actu secundum se bonum est. Hoc tamen oportet intelligere de condeterminatione vel de determinatione mere materiali, prouti dictum est. Nam determinatio formalis, quae proprie et simpliciter dicitur, quoad omnia, quae malo actui insunt, uni humanae voluntati competit. Humanae enim voluntati 1° determinatio ad actum simpliciter competit, seu voluntas una humana est, quae seipsam ad agendum simpliciter et formaliter determinat. *Nam ab ipsius una decisione* simpliciter *dependet, actio sit necne sit.* 2° Uni humanae voluntati competit determinatio *quoad omnia*, quae in actu malo insunt, non solum quoad bonum physicum, quod actui moraliter malo semper et necessario inest. Nam sola voluntas est, quae ad malum se determinando malum vere vult. Deus vero cooperatur quidem ad hanc determinationem voluntatis efficiendam, neque tamen ita, ut ipse voluntatem ad hanc actionem eliciendam determinet, nec ut ipse ea determinatione voluntatis malum velit. Quidquid autem hoc modo Deus facit, ideo tantum facit, ut homini connaturalis forma libertatis constet, et ut homo cum effectu et reapse possit inter bonum et malum eligere. Ergo Deus mali prorsus imparticeps est, quamvis et suo modo prius agat et ad actum, qui est malus, condeterminet.

Evidens est, hanc explicationem optime cum verbis textus Capreoli, quem explicamus, convenire ; esse autem prorsus ad mentem Capreoli mox patebit ; prouti etiam cum iis optime congruit, quae Ferrariensis sequens Capreolum ad l. 3 cont. Gent. cp. 89 ad tertiam objectionem Scoti commentatus est. De his infra.

Non ergo fuit, cur in explicando hoc loco ad praedeterminationes physicas recurreretur ; praesertim cum explicari nequeat, quomodo praedeterminationibus physicis admissis Deus non sit verus auctor et vera causa actionis malae secundum indolem mali, et quomodo ita Capreolus non a seipso discordet.

Sed jam videndum, quantopere Capreolus aliis etiam locis praedeterminationibus physicis adversetur.

Jam R. P. Dummermuth pro systemate Neo-Thomistico laudat etiam ea,

quae Capreolus in 2 dist. 25, q. 1 scripsit. Ea vero Neo-Thomismo revera quam maxime adversantur. Quaestio autem, quae a Capreolo ll. tractatur, haec est : « Utrum voluntas seu liberum arbitrium ab aliquo exteriori moveatur ad suum actum ». Ibi inter alias conclusiones secundam hanc ponit: « Voluntas potest moveri ab aliquo exteriori ». Contra hanc conclusionem quarto loco Scotus sic arguit apud Capreolum: « Quarto. Si Deus *sit causa immediata nostrae volitionis*, constat, quod est *causa prior* nostra voluntate, igitur *prius natura* influit ad effectum quam voluntas nostra. Accipe igitur illud signum naturae, in quo Deus causat illud velle, inquantum est prius illo signo, in quo voluntas nostra agit ad illud velle. Aut in illo signo Deus causat immediate rectitudinem perfectam in actu, et per consequens voluntas nostra in illo secundo signo non peccat, quia non causat in effectu oppositum illius, quod prima causa causat. Aut in illo primo signo Deus non causat immediate rectitudinem perfectam in velle nostro ; et tunc sequitur, quod voluntas mea in secundo signo non peccat, quia non potest tunc in rectum velle. In nihil enim potest ipsa in secundo signo, nisi quod causa prior in primo signo produxit ; sed non habendo velle rectum, si non potest habere velle rectum, non peccat : igitur etc. » (1).

Notetur, versari Scoti difficultatem in hac re, quod Deus ponitur *immediata causa volitionis nostrae*. Ergo de mediata quadam causalitate Dei in volitionibus nostris producendis, qualis est profecto illa, quae habetur mediantibus praedeterminationibus physicis, proprie ne agitur quidem in hac objectione.

Videamus nunc, quae sint illa, quae Capreolus respondet : « Ad quartum dicitur primo, quod *talia signa multum probabiliter negantur a multis* ». — Ergo secundum Capreolum in immediata efficientia volitionis nostrae ex parte Dei *signa hujusmodi naturae multum probabiliter negantur a multis*. Certe hic invenire aliquid, quod causam Neo-Thomisticam quidquam juvet, nemo potest. Imo, si omnino volunt adversarii, hic agi de cooperatione Dei ad volitiones nostras per praedeterminationes physicas, hoc ipsis responsum vehementer etiam nocet. Omnis enim facile Theologus et Philosophus intelligit, *in suppositione praedeterminationis physicae adesse sane signa naturae* (2). Annon illud, quod re praecedit, suaque ratione causa est, praedeterminatio, inquam, physica, est prius natura illo quod consequitur effectu scl. et ipsa operatione nostra. Ergo si hoc responsum Capreoli ad praedeterminationes physicas pertinet, *pertinet ad eas funditus evertendas easque negandas*.

« Secundo dicitur, inquit Capreolus, quod *concessis signis* prioritatis quantum *ad nostrum modum intelligendi solum, et nullatenus extra intellectum*, Deus in actu Voluntatis humanae *in primo signo rationis* causat *perfectam rectitudinem in comparatione ad se, non* autem *in comparatione ad voluntа-*

(1) Capreolus ll. p. 432 col. 1.

(2) Etiam P. Dummermuth hoc fatetur, nec potest negari. Vide, si placet, inter alia verba ejus ad textum praecedentem.

*tem creatam* (1), si loquimur de actu peccati. Et cum infertur, quod tunc voluntas nostra in secundo signo non peccat, negatur consequentia. Nec valet probatio: quia voluntas in secundo signo *potest* in rectum velle et in rectitudinem actus *possibilitate absoluta* (2), licet hoc sit sibi *impossibile impossibilitate conditionata*, scilicet *supposito quod Deus in primo signo non causet talem cognitionem*. Cum autem dicitur, quod voluntas nihil potest in secundo signo nisi quod causa prior produxit in primo signo etc. Dicitur quod illa propositio *vera* est *in sensu composito*, sed *falsa* est in *sensu diviso*; unde tota probatio est sophistica. (3) »

Videtur R. P. putare, hoc testimonium adeo luculenter esse pro se, ut nihil opus fuerit adnotari. Nihilominus hic locus vehementer contra Neo-Thomistas pugnat. Etenim gravissimis verbis vetat Capreolus, *ne in rerum natura* ullum priorem i. e. praevium Dei influxum in actiones malas statuamus, sed *ad summum in cogitatione tantum*. At Neo-Thomistae postulant *vere realem prioritatem* influxus Dei in omnes actiones nostras, debentque talem prioritatem statutis physicis praedeterminationibus adstruere. Aut quomodo praedeterminationibus physicis statutis negari potest, Deum vere praevie et antecedenter ad nos ipsos in actiones actusque omnes nostros actualiter influere? Profecto quod Capreolus dixit, plane Molinisticum est.

Porro illud etiam, quod impossibilitas recte volendi repetitur *ab absentia* seu a carentia *talis* i. e. *convenientis cognitionis seu cogitationis:* estne hoc fortasse ad placita recentioris Thomismi aptatum? Si quaerenti tibi: cur hic homo non potest recte agere? haec responsio fiat: quia tali convenienti i. e. congrua ille homo carebat cognitione, profecto unum manifestum est, respondentem cogitationibus, quales Neo-Thomistarum sunt propriae, non esse imbutum, tales vero, quales Jesuitae profitentur, in animo fovere. Jam vero Capreolus, Thomistarum princeps, ut explicet, cur homo peccans *aliquo modo* necessario peccet, *ad illam ipsam congruae cogitationis carentiam* recurrit: « voluntas, inquit, in secundo signo potest in rectum velle ... possibilitate absoluta, *licet hoc sit sibi impossibile impossibilitate conditionata,* scilicet *supposito quod Deus in primo signo non causet talem cognitionem* », quae nimirum hominem a volendo malo infallibiliter arceret; i. e. homo aliqualiter necessario peccat, quia Deus non causat in eo cogitationem congruam, ut eam explicant Molinistae.

At compositi et divisi sensus hic mentionem facit Capreolus ad defendendam hominis in peccando libertatem. Hoc autem idem locutionis atque distinctionis genus apud Thomistas solemne est, ut nostri liberi arbitrii libertatem in suo systemate tueantur atque defendant.

Si hoc reapse ultimum est, quod Thomistae ad respondendum in promp-

(1) Cfr ea, quae in praecedenti textu explicando scripsimus, inde et ea, quae hic a Capreolo dicuntur, lumen accipient, et illa ipsa ut ad mentem Capreoli dicta corroborantur.

(2) Scilicet quod attinet ad physica momenta in actionem influentia.

(3) II. p. 404 col. 2.

tu habent, causa ipsorum conclamata jacet. Nam, ut supra sequentes S. Thomam fuse exposuimus, in hac distinctione usurpanda totum pendet ab hac quaestione, cum quanam re fiat compositio, a quanam re consideretur divisio. Compositio Neo-Thomistarum est inter voluntatem *et formam realem, quae actu ipsi voluntati divinitus inest* determinatque ipsam physice ad unum simpliciter; hujusmodi autem compositio, ut vidimus, secundum S. Thomam libertatem evertit. — Hic vero apud Capreolum plane aliud compositionis genus usuvenit. Non locum habet compositio in voluntate realis, sed est compositio secundum considerationem tantum: consideratur scilicet voluntas *sub morali*, etsi infallibili, *influxu alicujus cogitationis*. Hanc autem compositionem secundum doctrinam Angelici nihil laedere libertatem arbitrii in agendo, supra demonstratum est. Capreolus igitur sui Doctoris et Magistri fidelem interpretem se praebuit.

Sed cur negleximus, responsa a Capreolo data ad tres priores objectiones Scoti? Non ea negleximus, sed postposuimus, quia existimamus, ea ad quaestionem controversam non admodum multum conferre. Ceterum si cui prosunt, nobis prosunt, non Thomistis. Quod ut lector videat, ea hic subjiciemus brevibusque ea notis illustrabimus, quibus evidenter patebit quam vere id dicamus.

Itaque objecerat Scotus:

« *Primo.* Nulla potentia habet perfecte in potestate sua actum vel effectum, qui non potest causari ab ea sola, nec ab aliqua causa, cujus actio vel causatio est in potestate illius potentiae.

« Causatio autem Dei non est in potestate voluntatis creatae. Patet, sicut nec virtus agentis superioris est in potestate agentis inferioris. Ergo si Deus necessario concurrit immediate, ut causa immediata volitionis creatae voluntatis, voluntas creata non habet plene in sua potestate illam votionem. Major patet, quia quod habet perfecte effectum in sua potestate, potest ex se solo in illum, vel causatio cujuslibet concurrentis est in potestate ejus scilicet quod illum causet vel non causet» (1).

« Ad *primum* contra secundam conclusionem negetur major. Et ad probationem ejus dicitur, quod ad hoc quod aliquod agens habeat aliquem effectum perfecte in sua potestate, *non requiritur, quod se solo possit illum producere, nec quod causatio cujuslibet concurrentis sit in sua potestate,* si ly solo excludat causas primas, et ly concurrentis stet et supponat pro iisdem causis primis, sed sufficit, quod possit illum producere se solo i. e. *non concurrente alia causa proxima et ejusdem ordinis cum illo vel quod habeat in potestate sua causationem cujuslibet proximae concurrentis cum illo.* Sic autem est in proposito de voluntate respectu actus sui... De hoc S. Thomas, 1ª P., q. 83, a. 1 in solutione tertii sic dicit: Liberum arbitrium est causa sui motus; quia homo per liberum arbitrium seipsum mo-

(1) Objectiones exstant apud Capreolum. II. art. 2, p. 431, col. 2 seqq; responsiones vero ibid. art. 3, p. 440, col. 1 seqq. Cuilibet objectioni statim hic responsio a Capreolo data subjicitur, prout id etiam fecit R. P. p. 460 sqq.

vet ad agendum. *Non tamen hoc est de necessitate libertatis, quod sit prima causa sui id, quod liberum est ;* sicut nec ad hoc quod aliquid sit causa alterius requiritur quod sit prima causa ejus. Deus igitur est prima causa movens et naturales causas et voluntarias. Et sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert quin actus earum sint naturales, ita movendo causas voluntarias, *non aufert quin earum actiones sint voluntariae, sed potius hoc in eis facit ; operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem.* Haec ille. Potest etiam dici, quod *major argumenti solum verificatur de causa, quae universaliter et primarie habet effectum in sua potestate, et independenter, sine suppositione prioris motoris.* Modo minor in tali sensu falsa est, quia nulla creatura illo modo habet aliquem effectum in sua potestate, sed solus Deus ; licet possit habere effectum in sua potestate sicut causa secunda proxima dependens a priori, et ejus supponens motionem ».

Haec omnia nos etiam fatemur atque docemus. Quis enim unquam Molinista docuit, hominem habere in sua potestate *causationem* primi agentis, *si simpliciter* (ex parte principii) et non secundum quid (terminative) ea spectatur ? Profecto nisi Deus ab aeterno apud se decrevit concurrere nobiscum, et accommodate quidem ad nostrum liberum arbitrium concurrere ; quî possumus nos efficere, ut Deus tale decretum ab aeterno habuerit, conceperit ? Quia vero Deus ab aeterno decrevit *concurrere nobiscum sicut convenit proprietati liberae nostrae naturae*, nihil nocet nostrae libertati, quod in nostra potestate non sit efficere, ut Deus hoc decretum ab aeterno conceperit. Atque hoc modo prima difficultas Scoti est recte et plane a Capreolo soluta ; nihil tamen dictum vel concessum est, quod ullo modo praedeterminationibus physicis faveat. — Caeterum verum etiam est illud, quod addit Capreolus : si *perfecte* habere actum vel effectum in sua potestate, ita intelligitur, ut aliqua causa omnino independenter, sine ulla restrictione, plane primarie habeat effectum vel actionem in sua potestate : ad hoc requiri, ut ne a tali quidem decreto superioris causae naturae propriae et liberae accommodato dependeat. At tam absolutum et perfectum dominium actus ad libertatem arbitrii simpliciter non est necessarium. Motio denique quam supponit secunda causa est motio simultanea.

« Secundo. *Quod ab alio determinatur ad aliquid, non habet illud perfecte in sua potestate,* sed voluntas creata ex hypothesi determinatur a divina voluntate ad hoc : igitur etc. Minor probatur, quia aut una voluntas aliam determinat, et tunc non nostra divinam, quia temporale non est causa aeterni ; sed econtra ; *aut neutra aliam, et tunc neutra erit movens mota, nec erit inter istas ordo essentialis; immo si divina voluntas non determinat nostram, posset illa aliquid velle, quod non fieret propter voluntatem nostram non concurrentem* ».

« Ad secundum patet per idem (quod dictum est ad primum). Nam *major solum vera est loquendo de habere effectum in sua potestate primarie, simpliciter, independenter*, in quo sensu minor neganda est. De hoc S. Thomas de Ver. q. 24, a. 1 in solutione tertii : Deus, inquit, *operatur* in uno-

quoque agente, et *secundum modum illius agentis*; sicut causa prima operatur in operatione causae secundae, cum secunda causa non possit exire in actum, nisi per virtutem causae primae. Unde per hoc quod Deus est causa operans in cordibus hominum, non excluditur quin ipsae mentes humanae sint causae suorum motuum, unde non tollitur ratio libertatis ».

De causis secundis liberis igitur simpliciter negat Capreolus majorem Scoti. Quomodo autem in causis secundis liberis determinatio per alium i. e. per Deum admitti posset, ut non periret libertas, id pluries jam diximus. Potest igitur et debet admitti, hominem in liberis etiam actibus determinari per Deum, si attenditur, illud accidens reale, quod homo producat, et quo ipse se formaliter determinet, intrinsecus et essentialiter produci etiam a Deo, ut a prima causa, quae simul cum homine hanc determinationem accidentalem ex subjecto educit et in subjectum inducit. Id admitti non potest, quatenus determinatio ad unum praecise formaliter, ut ad unum est ex praecedenti indifferentia determinatio, attenditur. Quare non sine causa Capreolus illum de Ver. locum hic laudat, in quo S. Thomas ait, « Deum operari in unoquoque agente sed *secundum modum illius agentis* », ut intelligamus ad Deum quidem ejusque causalitatem effectivam pertinere quidquid fit in agente, quatenus id quaedam realitas physica est, adeoque etiam illius accidentis productionem, quo nos ipsi formaliter determinamus ad unum; ita vero locum habere illam cooperationem Dei ad illius accidentis productionem, ut in nostra potestate situm sit eam habere aut non habere. Meritum doctorum Societatis Jesu est, accuratius explicasse, quomodo haec duo conjungi simul possint.

Cur autem hoc dumtaxat genere determinationis admisso, non sequantur inconvenientia, quae Scotus in probatione minoris enumerat, ex iis patet, quae de concursu ejusque indifferentia deque scientia media in secunda sectione et alias disputavimus.

« Tertio. Illud *non* est *contingens propter habitudinem sui ad aliquam causam, ad cujus eventum superior causa est determinata, cujus causae determinationem sequitur determinatio omnium causarum inferiorum*. Exemplum, si voluntas nostra modo esset determinata ad unam partem de cras scribendo, et ipsa non esset impedibilis vel mutabilis, non esset meum vel manu scribere cras contingens; nunc autem est contingens ad utrumlibet ex habitudine sui ad manum, quia sicut voluntas est modo determinata ad unam partem, ita in ipsa virtualiter sunt omnes causae inferiores. Ad idem et simpliciter ex quo aliquid est determinatum, ad cujus determinationem effectus esset determinatus, eventus illius effectus non est simpliciter indeterminatus ad utrumlibet, saltem non est ejus esse contingens propter potestatem causae inferioris: sed si divina voluntas sit causa tantum velle immediate, jam est aliqua causa determinata respectu ejus, quia voluntas Dei est aeternaliter determinata ad unam partem contradictionis, et determinationem hujus causae necessario concomitatur determinatio nostrae voluntatis, alias respectu ejusdem simul staret Deum velle hoc,

et illud non fore ; igitur istud velle non est contingens ad utrumlibet propter potestatem voluntatis nostrae ».

« Ad tertium dicitur, quod major est falsa in casu, quo causa superior (1), *mere libere* sine quacumque necessitate absoluta *est determinata ad eventum talis effectus,* nec sic est determinata ad eventum talis effectus, *quin possit non esse determinata ad illum*, sed ad oppositum effectum. Sic autem est de voluntate et *scientia Dei*. Et ideo sicut effectus contingenter eveniunt per comparationem ad Deum, *ita et per comparationem ad voluntatem nostram*. Et sic ad probationem minoris per exemplum de voluntate et manu respectu scripturae dicitur, quod quantumcumque voluntas mea esset determinata ad *a,* et esset immutabilis et non impedibilis, si tamen illa determinatio *esset libera modo praedicto*, tunc *a* aeque contingenter proveniret a manu sicut a voluntate, nec esset ibi quaecumque necessitas, nisi conditionata et non absoluta. Conceditur tamen, quod nullus effectus est contingens ex habitudine ad aliquam causam secundam principaliter, et sicut ex prima radice contingentiae, sed solum ex habitudine ad divinam voluntatem. De praedictis S. Thomas de Ver., ubi supra in solut. 13, dicit sic : *Ex praescientia Dei* non potest concludi, quod actus nostri sint necessarii necessitate absoluta, quae dicitur necessitas consequentis, sed necessitate conditionata, quae dicitur necessitas consequentiae ».

Possunt haec nonnihil obscurius dicta videri ; sed admoto lumine theoriae Molinisticae omnia hic clarescunt. Respondet igitur Capreolus, Scoti majorem esse falsam, *quando duae omnino conditiones simul usuveniant* in hujusmodi causa superiore determinata, « cujus causae determinationem sequitur determinatio omnium causarum inferiorum ». Una conditio est, ut causa illa superior sit *prorsus libere* determinata ad eventum illius effectus ; altera, ut non solum prorsus libere sit ad eventum illius effectus determinata, *sed etiam ut simul possit non esse determinata ad illum effectum sed ad oppositum effectum*. Quam alteram conditionem profecto non sic explicare debemus, ut sit omnino eadem cum priore, qua poscitur, ut superior causa sit « mere libere » determinata ad eventum talis effectus. Quid ergo hac altera conditione additur, postulatur et plane exigitur? Opinor hoc exigi, ut libera superioris causae determinatio ad eventum talis effectus ita facta vel concepta sit divinitus (a superiore causa), ut in libera potestate causae inferioris vero aliquo modo situm sit, ut oppositi effectus determinatio a Deo, superiore causa, ab aeterno conciperetur, quam doctrinam ipse Capreolus 1, Dist. 45, q. 1, a. 2 palam profitetur. De hoc textu infra. Sic plane potest fieri, ut determinatio superioris cau-

(1) Cfr. infra *tertium* ex testimoniis *sexto loco* ex Capreolo a P. Schneemann allatis, quod haec doctrina clare traditur.

sae, quam « sequitur determinatio omnium causarum inferiorum », non tollat libertatem nec contingentiam effectus relate ad causam inferiorem. Quid ita? quoniam determinatio, quam Deus de illo eventu futuro apud se hac ratione habet, non concepta est sine respectu ad id, quod causa inferior ipsa libere est aliquando decretura. Unde determinatio superioris causae aliquo modo consequitur liberam electionem causae secundae et inferioris, non eam simpliciter et omni modo antecedit. — Hic plane sensus indicatur a Capreolo etiam eo, quod mox *scientiae* etiam Dei recordatur, quae profecto liberam causae secundae determinationem prospexit. « Sic autem est, inquit, de voluntate et scientia Dei ». — Quomodo porro, si aliter quam nos alteram hanc conditionem interpretaveris, legitima esset conclusio, quam Capreolus continuo subjicit? « *Et ideo sicut effectus contingenter eveniunt per comparationem ad Deum, ita et per comparationem ad voluntatem nostram* ». Quid hoc aliud est nisi ita dicere : ex ratione proposita patet, quod quamvis aliquo modo verum sit, ad determinationem causae primae sequi determinationem omnium causarum inferiorum, ut Scotus contendit, nihilominus, sicuti Deus habet suam determinationem in sua potestate constitutam, ita causae inferiores libere constitutas habent in sua potestate similiter suas; quod profecto minime usuveniret, si determinatio divina de futuro eventu necessitate plene antecedenti futuram determinationem secundae causae post se traheret. — Sic etiam patet, quomodo vera sint ea, quae de exemplo, quod probationis gratia Scotus attulerat, a Capreolo affirmantur: « quantumcunque voluntas mea esset determinata ad *a*, et esset immutabilis et non impedibilis, si tamen illa determinatio esset *libera modo praedicto, tunc a aeque contingenter proveniret a manu sicut a voluntate* ».

Quid ita ? quia supponitur jam, manum posse se in ordine suo ipsam determinare, et voluntatem nihil circa manum absolute praedefinire et praedeterminare nisi respiciendo, quod consilium ipsa manus captura sit. Atque nisi hoc supponeretur, plane absurdum esset, propterea jam aliquid affirmare contingenter provenire a manu et relate ad manum, quia contingenter idem provenit a voluntate et relate ad voluntatem. Aut quis prudens homo dicet unquam, omnia in hoc mundo contingenter evenire in ordine ad proximas et proprias causas, etiam necessarias, quia omnia contingenter i. e. libere proveniunt a causa prima et relate ad eam.

Ceterum Deum esse primam radicem omnis contingentiae, uti id Capreolus in fine hujus responsi intelligit, facile patet. Nam si prima causa esset ineluctabili necessitate ad omnia quae eveniunt, determinata libertateque careret, certe alia omnia, quae a prima causa essentialiter dependent, eadem necessitate involverentur, atque absorberentur.

De quarta objectione Scoti jam supra diximus pag. 380 sq.

« Quinto » igitur objicit Scotus : « Si Deus sit causa volitionis nostrae, erit causa totalis ejus, quia volendo causabit eam. Volendo autem est cau-

sa totalis perfectioris creaturae, puta angeli, vel cujuscumque creati de nihilo, igitur si volendo esset causa ejus, esset totalis causa illius. Sed cum totali causa alicujus nihil aliud potest concausare in eodem genere causae; igitur voluntas nullam causalitatem haberet respectu suae volitionis ».

« Ad quintum negatur antecedens illud conditionale, accipiendo causam totalem pro causa, quae non solum causat totum effectum, immo sola nulla alia concausante causat effectum. Nec valet probatio, quia volitio Dei tunc solum est causa totalis illo modo alicujus effectus, quando vult illum effectum a seipsa esse, et a nullo alio esse. Non semper autem causat illo modo, sed solum quando creat. Quando enim produxit Petrum voluit illum a seipsa esse, et ab aliis causis secundis esse, scilicet a sole, a patre, et matre. Et ideo licet volitio Dei sit *totalis causa* angeli, *non tamen actus volendi*, quia illum vult esse *a causa prima et a causa secunda* ».

Non est, cur hic quidquam adjiciamus, nec fuit profecto, cur R. P. Dummermuth ultima verba distingueret.

« Sexto. Si aliqua creatura est totalis causa respectu sui effectus, hoc maxime concedendum est de voluntate, quia ipsa est suprema inter omnes causas activas. Sed aliqua creatura potest esse totalis causa respectu sui effectus. Quod probatur dupliciter : Primo, quia hoc non repugnat creaturae. Quia enim aliquid sit totalis causa caloris effectiva, hoc non ponit in ipso aliquam infinitatem, nec perfectionem repugnantem creaturae. Si enim sit causa univoca, non oportet quod excedat effectum in perfectione. Si autem aequivoca, non oportet eam in infinitum excedere suum effectum, sed in aliquo gradu determinato. Secundo probatur eadem minor, quia illud est causa totalis alicujus effectus, quod si esset, omni alio per impossibile circumscripto [i. e. ablato], causaret; sed subjectum si esset, omni alio circumscripto, causaret propriam passionem; igitur subjectum est totalis causa suae propriae passionis. Ex hac minore dupliciter probata infertur conclusio, quod voluntas potest esse causa totalis respectu suae volitionis, ita cum praeter totalem causam nihil aliud concauset in eodem genere causae, alioquin idem esset bis causatum, vel causaretur ab aliquo, sine quo posset esse, et ita sequitur quod Deus non causat immediate actum voluntatis ».

« Ad *sextum* negatur minor. Nulla enim creatura potest esse *causa totalis* alicujus effectus in genere causae efficientis, vel formalis, finalis; sed solum in genere causae materialis. Et ad primam probationem dicitur, quod esse causam totalem caloris in genere causae efficientis repugnat creaturae, quia *omne ens per participationem provenit ab ente per essentiam*, quod necessario est infinitae perfectionis. Et cum dicitur, quod causam aequivocam non oportet in infinitum excedere suum effectum, verum est si sit causa proxima dependenter agens, *actionem prioris praesupponens;* sed falsum est, si intelligatur de causa non supponente priorem actionem. Illa enim necessario est infinita, et per consequens increata. Ad secundam di-

citur, quod creaturam aliquam esse, omni alio circumscripto, implicat contradictionem, ideo nimirum si hoc posito sequitur quodlibet. Ulterius dicitur, quod posito casu illo talis creatura non ageret, nisi esset independens quoad esse et agere, et sic esset Deus. Ulterius dicitur, quod major argumenti non majorem habet evidentiam quam ista. Illud agit independenter et tanquam prima causa, quod si esset, omni alio per impossibile circumscripto, causaret, et ageret aliquem effectum, et constat quod haec est falsa, ergo et alia, cujus causa est falsa implicatio ».

Unum hic est, quod aliquo modo possit cuipiam videri causae R. Patris prodesse. Capreolus nimirum aequivalenter hic affirmat, causam proximam agentem fore infinitae necessario perfectionis, ubi primum ageret *independenter*, *actionem prioris causae non praesupponens*. Vis objectionis sine dubio ponitur in eo, quod dicitur, *solam causam infinitae virtutis* prioris causae actionem in agendo *non praesupponere*. At quomodo actio secundae causae vero aliquo sensu actionem primae causae praesupponat, etsi prima causa ad actum tantum simultanee cum causa secunda concurrat, id, quoniam supra uberrime explicavimus, non est, cur hic repetamus.

Verum quidem est, R. P. etiam distinxisse haec verba Capreoli: « omne ens per participationem provenit ab ente per essentiam », quasi de hac re sit ulla controversia. Factum ab omnibus admittitur, modus explicandus est.

Audiatur nunc R. Patris conclusio: « Ex his locis aperte colligitur, inquit, Capreolum, Principem Thomistarum, docere Deum praevie determinare voluntatem liberam creatam ad suos actus. Praecipuas difficultates, quas contra hanc doctrinam movent Molinistae, solvit ipse. Expressius etiam loquitur quam Bannez; (Itane vero?) contendunt tamen Molinistae, Bannezium praedeterminationis physicae esse primum inventorem ». — Saltem est strenuissimus ejus excultor et diligentissimus ejus propagator (1). — Si ergo Bannezium tanquam devium a S. Thoma admittere recusant, sequantur Capreolum. Hic enim est « ex iis rivis, quos ab ipso fonte (S. Thoma) deductos, adhuc integros et illimes decurrere certa et concors doctorum hominum sententia est ». (Encycl. Aeterni Patris S^mi^ D^ni^ Leonis XIII) ».

Ita plane. Sequamur eum. Sed quid tunc eveniet de recentioribus Thomistis? Quantopere illi erraverint, quando sibi blandiebantur, quod Capreolus staret a partibus suis, id jam palam est. Patebit etiam magis.

Pergit R. P. Dummermuth p. 465: « Solutis praedictis difficultatibus proponit Capreolus objecta Henrici, eaque refutat; ac tandem sic concludit: « Unde breviter: Henricus et Scotus decepti sunt in hoc quod putaverunt liberum arbitrium et voluntatem univoce dici de Deo et de creaturis, et quod tanta libertas inesset voluntati creatae quanta increatae, ita quod sicut divina voluntas a nullo priori voluntate determinatur aut ne-

(1) Cfr Schneemann p. 139 ; Suarez l. 5, de Grat. c. 9, n. 4 ; de Vera Intellig. etc. c. 43, § « Ultra ».

cessitatur, aut movetur ad actum suum, ita nec voluntas creata, quod falsum est, ut patet inspiciendo praedicta. Omnis enim effectus creaturae aliquam necessitatem habet saltem ex suppositione prioris causae » (1).

Quomodo dici posset a Capreolo, humanam voluntatem determinari a Deo, libertate non sublata, pluries explicatum est. Necessitari vero eam a Deo, id, manente libertate ejus, durius dici et valde improprie, nemo potest ambigere (2). — Quomodo igitur ullo omnino sensu humanae voluntati libere agenti antecedens quaedam divinitus adest necessitas? Certe si ea necessitas simpliciter omnique modo antecedens poneretur, ex doctrina D. Thomae et secundum ipsam rei veritatem, everteret libertatem. Ea ergo necessitas aliquo modo consequens sit necesse est, consequens, inquam, infallibiliter certam divinam praevisionem, quae cum sibi objectum suum non ipsa vel fingat vel faciat, sed quale sit, apprehendat et videat, illud ipsum aliquo modo praesupponit. Unde eadem necessitas consequitur objectum suum. — Quoniam igitur necesse est evenire, quod Deus praevidit: humana voluntas dicitur necessitari; quae utique valde impropria locutio est. — De divina motione ad actum requisita nihil adnotandum. — Quando ergo Capreolus dicit in fine: « Omnis enim effectus creaturae *aliquam* necessitatem habet saltem ex suppositione prioris causae », attendendum, quaenam et cujus rationis haec suppositio prioris causae sit. Id ex modo dictis manifestum est. — Haec autem omnia nullo modo contradicunt systemati Molinistarum, sed plane congruunt. Immerito igitur R. P. Dummermuth p. 466 hoc modo concludit: « Decipiuntur, inquit, et Molinistae qui putant liberum arbitrium creatum a divina voluntate non determinari aut necessitari aut moveri ad suum actum, quod falsum est et doctrinae Veterum Thomistarum repugnans, ut patet inspiciendo praedicta ». — Quodsi causam hujus assertionis quaeras, cum evidens sit, omnia haec a Molinistis sensu, quo unice vera sunt et quo evidenter a veteribus Theologis proferuntur, non concedi solum sed etiam doceri: alia nulla potest hujus rei causa indicari, quam haec: R. P. eos aggreditur eosque impugnat, ad quorum doctrinam non satis attendit.

Sequitur apud R. P. alius Capreoli locus. Exstat ille in l. 2, d. 1, q. 2, a. 1 (3). Non erat, cur hunc locum excitaret, qui aliud nihil contineat nisi ad verbum expressam et repetitam doctrinam illius a. 7, q. 3. de Pot. Fortasse tamen utile sibi esse putabat R. P., illud in memoriam revocare lectoribus, P. Suarezium per aliquantum tempus opinatum esse, hoc loco S. Thomam favere Thomistis. At cur Suarez junior Suarezio seniori et magis erudito praeferendus?

Nec multo majoris momenti est id, quod R. P. ex eodem loco l. 2, d. 1, q. 2, *a. 3* affert, ubi Capreolus illa, quae S. Thomas l. 3 cont. Gentes

(1) II. p. 441, col. 2.

(2) Nec hoc ipse R. P. negabit, qui textui hanc notam subjicit: « Ut ex contextu patet, Capreolus loquitur de necessitate non absoluta, sed conditionata, ex suppositione scilicet primi motoris ».

(3) p. 18, col. 1.

c. 66 scripsit, commentatur (1). Contendit R. P., hac Capreoli commentatione illud D. Thomae testimonium a falsa Molinistarum interpretatione vindicari. Quam immerito hoc a R. P. affirmetur, ut omnibus pateat, nihil opus est aliud, nisi ipsum legi Capreoli locum. Quicunque enim placita Molinistarum noverit, statim percipiet, quidquid hic Capreolus ut Aquinatis doctrinam tradat, eadem prorsus ab omnibus passim tradi Molinistis. Ait igitur Capreolus: « Dare esse est proprius effectus Dei, dare autem *esse hominem, vel esse hoc, vel illud*,convenit particularibus agentibus. Quod *non est sic intelligendum quasi Deus solum operetur in rebus illam perfectionem, quae est esse*, quo res subsistit, ut puta quod det homini esse, non autem sapientiam vel justitiam, sed hoc fiat a causis secundis. *Nec similiter est putandum, quod nulla causa secunda det esse rei, sed solum alias perfectiones. Sed mens S. Thomae est, quod dare esse illud quod pertinet ad quodcumque esse rei, est proprius effectus Dei, et non alterius agentis*... Prima et propria ratio *quare aliquid est effectibile a Deo est ratio essendi,* ita quod ista ratio est formalis, aliae vero sunt materiales... Dico quod esse sic est effectus Dei, non quod Deus sit tantum causa rerum producendo aliquid quod pertinet ad esse rei, et non omnia; *sed quia quilibet effectus dependet a Deo quantum ad omnia, quae pertinent ad esse ejus,* ab aliis autem causis non dependet quantum ad esse inquantum hujusmodi, sed quantum ad esse hoc vel illud. Nec aliqua causa dat effectui omne, quod pertinet ad esse ejus, immo nec dat aliquid pertinens ad esse simpliciter inquantum esse, nisi inquantum agit in virtute primae causae » (2).

Lege quaeso, quae apud Suarez « de Grat. » l. 3, c. 40, n. 4 sqq. exstant; videbis, nihil hic dici, quod ibi non tradatur. Imo Thomistis solemne erat, inter istas rationes formales tale discrimen statuere, ut a solo Deo proveniret esse exsistentiae, a creatura solum esse tale. Cfr Suar. ibid. cp. 29, n. 6.

Affert deinde R. Pater ex eodem Capreoli loco doctrinam, secundum quam *Deus modificat actiones omnium agentium.* « Omnes, inquit, aliorum actiones modificantur per actionem primi agentis » (3).

Quod R. Pater putat, hac doctrina Capreoli, quae etiam D. Thomae est, posse se efficere quidquam pro systemate Neo-Thomistarum, decipitur. Sicuti enim apud classicos scriptores, quemadmodum Forcellini in Thesauro Latinitatis testis est, et apud alios medii aevi scriptores, ut constat ex « Glossario mediae et infimae Latinitatis », quod edidit Du Cange, ita apud D. Thomam verbum modificandi non raro tantum valet quantum verba moderandi, temperandi, ordinandi, cohibendi, denique quam modum ordinemque alicui rei facere, imponere vel apponere. Et quod ad Forcellini et Du Cange attinet, ita id esse, in voce modificandi traditur, ut ibi videre licebit. Sed etiam S. Thomas eam vocem hoc sensu usurpat, quan-

(1) Dummermuth, p. 467.
(2) Il. p. 47, col. 2.
(3) Il. p. 48, col. 1.

do ait: « Dum *temperantia directe modificat passiones concupiscibilis*, tendentes in bonum, *per quandam consequentiam modificat omnes alias passiones*, in quantum *ad moderantiam* priorum passionum *sequitur moderantia* posteriorum » (2. 2, q. 141, a. 3, ad 1), ubi manifesto modificare tantum est quantum moderari, modum imponere. — Iterum eodem sensu evidenter usurpatur vox 3, dist. 23, 1 q. 3, a. , ad qstcl. 1. « In agentibus ordinatis, inquit Angelicus, fines agentium secundorum *ordinantur* ad fines agentis primi; sicut totum universum ordinatur ad primum bonum, quod est Deus, sicut exercitus ad bonum ducis: et ideo actio primi agentis est prior et posterior. Prior in movendo (1): quia actio omnium secundorum agentium fundantur (2) super actionem primi agentis, quae cum sit una (scl. principaliter et in origine) communiter omnes firmans, specificatur ejus effectus (adeoque etiam ipsa terminative spectata) in hoc et in illo secundum exigentiam illius, sicut uno praecepto ducis praecipientis bellum unus accipit gladium, alius parat equum, et sic de aliis. — Est autem *posterior in utendo aliorum actibus ad finem proprium; et sic* omnes actiones aliorum agentium *modificantur* per actionem primi agentis ». En! ipsa phrasis quam Capreolus laudat, quam relegi a R. P. oportuerat. Hic autem evidenter S. Thomas verbum modificandi adhibet sic, ut idem valeat atque significet ac verbum « moderandi », « ordinandi », quod prius ipse adhibuerat. Quodsi est, quomodo ex hoc Capreoli dicto quidquam colligi poterit pro praedeterminationibus physicis? Sane ut id fieret, ostendi deberet, nisi praedeterminationibus physicis Deum non posse varias actiones causarum secundarum temperare, moderari, ordinare, in fines suos dirigere. Hoc autem ostendi profecto non potest. — Praeterea etiam illud hic notandum, agi in hac modificatione de functione quadam divinae providentiae circa actiones creaturarum, quae ipsis his actionibus quodam modo *posterior* sit. Quomodo ergo praedeterminationes physicae hac voce indica-

(1) Actio superioris causae pro varia natura et excellentia hujus causae atque effectuum modo prior est actione causae inferioris in movendo *non solum causalitate sed etiam tempore;* modo est *sola causalitate* prior, quia ipsa nimirum aliquid producit, vi cujus actio inferioris causae immediate et instantanee ex hac procedit; modo adest *sola prioritas in subsistendi consequentia,* quam dicunt, prioritasque in dignitate et independentia, prouti usuvenit in concursu causae primae relate ad concursum causae secundae; inter quos sane concursus terminative sumptos nulla proprie dicta relatio causalitatis obtinere potest, cum veram causam a suo causato oporteat re distingui, concursus autem Dei et concursus creaturae terminative sumpti una res, non duae res sint. Attamen hoc habet causalitas Dei prae causalitate omnis causae secundae, ut illa ab hac non intrinsecus et essentialiter dependeat, nec hac ut suo quasi fundamento innitatur, sed de se ab omni simultanea et antecedenti causalitate et cooperatione creaturae independens sit. Quam in agendo et causando eminentiam et independentiam «prioritatem in subsistendi consequentia» non male vocant, quia ex praesentia unius causalitatis recte infertur praesentia alterius nec tamen vice versa. Praeclare haec explicat Suarez « de Vera Intelligentia » etc. c. 30 § « Sed occurrit statim quinta » et sqq. — Ceterum, nisi fallor, motio illa, qua Deus omnia creata agentia prius ad eorum motus particulares movet, est ipsum insitum singulis naturis ab auctore naturae desiderium naturale, quo omnia creata agentia in actiones et fines sibi proportionata et accommodata aguntur. Haec noto, ne ex hoc ipso loco legenti novi scrupuli circa doctrinam S. Thomae in quaestione, quam tractamus principialiter, oriantur. At quod ad substantiam doctrinae attinet, omnia haec jam antea fuse exposita sunt.

(2) «Fundantur », inquit S. Thomas, non dicit « causantur », quia ut in nota praecedenti expo-

ri ullo modo possunt? Sic autem se rem habere, ipse S. Doctor plane eloquitur.

Alia quaedam Capreoli pronuntiata, quae ex S. Thoma hausta sunt, eodem loco memorat R. P. At quoniam in causa, quam agimus, videntur esse levissima, ea silentio praeterimus (1).

In probatione suae sententiae R. P. Dummermuth defecit. Num saltem *in refutando Patre Schneemann* fuerit felicior, id nunc examinandum. Hoc igitur modo R. P. refutationem hanc auspicatur (2): « Primum argumentum ( scl. Patris Schneemann ). Definitionem libertatis, ait R. P. Schneemann, eam ipsam proponit Capreolus, quae postea pervulgata est, a qua adeo alieni inveniuntur quidam Thomistae; eamque ille S. Thomae rectissime tribui censet: « Alio modo accipitur liberum prout opponitur determinationi et necessitati, et isto modo accipitur in praedicta divisione potentiarum, cum dicimus, aliqua agentia esse naturaliter activa, et alia libere. Illud enim dicitur agens naturale quod positis omnibus requisitis ad agendum, et nullo exsistente impedimento quin ipsum possit agere, necessario agit, nec est in ejus potestate non agere. *Agens vero illud dicitur liberum quod eodem modo omnibus positis, ita ut possit agere, non necessario agit, sed in potestate ejus est, ut agat aut non agat. S. Thomas aliter describit ista agentia naturaliter et libere, sed in idem redit* » (1 Sent. Dist. 6, q. 1, a. 2 p. 165, col. 2 ) ».

Ad haec R. P. Dummermuth : Non sumus, inquit, alieni ab hac definitione libertatis, sed a modo, quo eam exponunt Molinistae. Quomodo autem intelligenda sit praedicta definitio, optime expositum inveniet lector apud Billuart, Tract. de Act. hum. Diss. 2 art. 1, § 4. Capreolum vero non admittere istam definitionem in sensu Molinistico, aperte colligitur ex locis hucusque citatis ».

Ex locis hucusque ex Capreolo allatis potius et verius colligitur, iisdem ipsum sententiis imbutum fuisse, quas profitentur Theologi Societatis Jesu aliique, etsi hoc dari possit R. Patri Dummermuth, hos luculentius et accuratius hanc materiam pertractasse et uberius exposuisse. Quae nulla Capreoli reprehensio est nec famae ejus imminutio, sed in natura rerum et in naturali progressu Theologiae situm.

Remittit igitur nos R. P. Dummermuth pro vera intelligentia hujus solemnis definitionis libertatis ad tract. de Act. hum. Patris Billuart, Diss. 2, a. 1, § 4. Eam enim definitionem jam non rejiciunt Neo-Thomistae, licet se ad id faciendum propensos valde ostendant. Audiatur igitur, quomodo Billuart explicationem hujus definitionis libertatis, quam modo Capreolus

situm est, inter actionem causae superioris et actionem causae inferioris vera causalitatis ratio non semper obtinet.

(1) p. 467 et 468.

(2) Apud Dummermuth p. 468. Cfr Schneemann, p. 105.

tradidit, quae eadem etiam aliorum veterum Thomistarum est (1), quaeque ipso Billuart fatente suo tempore erat « valde communis », quomodo inquam, eam explicationem auspicetur.

« Hanc, inquit, definitionem | nunc « valde communem » | non rejicimus, sed absque explicatione non admittimus, quia *licet non sit absolute falsa*, est tamen ambigua et ab iis propalata | *a Capreolo*, inquam; ab Henrico Quod lib. 1, q. 16; *ab Hispalensi* in 1, dist. 34, art. 4, ad 3 Gregor. contra 4 conclus. (2); a *Dominico Soto* « de Natura et Gratia » l. 1, c. 16 (3); a *Bartholomaeo Medina* in 1, 2, q. 10, a. 4 (4), omnibus Henrico excepto veteribus Thomistis ], qui praemotiones physicas rejiciunt, neque ulla ejus mentio reperitur in S. Thoma » [ quamquam Thomistarum princeps testatur, » S. Thomam ista agentia naturaliter et libere, aliter quidem describere, sed in idem redire » ](5). Cur si ista definitio tot naevos habet, tanta in ea rejicienda apud juniores Thomistas cautio?

Cauti certe minus erant antea. Ipse v. g. Alvarez l. 12. disp. 115 nihil cunctatus est hanc secundam conclusionem ponere: « *Non est* de ratione aut definitione liberi arbitrii, quod positis omnibus, secundum ordinem causalitatis antecedenter praerequisitis ad operandum talem actum, *possit eundem actum non operari* in sensu composito, *si compositio fiat inter hujusmodi praerequisita et carentiam talis actus seu actum contrarium* ». « Itaque, ita explicans conclusionem pergit, *haec duo sunt simul incompossibilia, quod* scilicet in libero arbitrio, pro aliquo instanti temporis, *sint omnia antecedenter praerequisita secundum ordinem causalitatis ad* productionem talis actus *et non producat illum*, sed producat actum contrarium; et nihilominus cum hac impossibilitate stat libertas arbitrii ». Haec conclusio manifesto nihil est aliud quam negatio definitionis libertatis « valde Billuarti aetate communis » (6). Nam si communis definitio poscit ad libertatem arbitrii, ut *positis omnibus praerequisitis* possit agere et non agere, id sane postulatur, *ut in composito sensu cum illis omnibus praerequisitis possit agere et non agere* pro beneplacito suo; non hoc sensu, ut *si illa omnia reapse ponuntur atque adsunt, necessario debeat* agere; in alia vero conditione quando nimirum unum saltem illorum praerequisitorum deest, non adeo jam *possit non agere*, quam omnino *non possit* agere, propter defectum scilicet alicujus praerequisiti ad agendum. Primi ergo Neo-Thomi-

(1) Vide apud Suar. «de Grat.» Proleg. 1, c. 3, n. 4; apud Ripaldam. «Adversus Articulos Damnatos» etc l. 2, d. 14, sect. 26 et potissimum disp. 15, sect. 12; imo est ea definitio omnium veterum Theologorum. Vide Ripalda ll.; Ruiz « de Scientia Dei » d. 50, s. 4.

(2) Deza ll: « Potentia libera est, quae positis omnibus requisitis ad agendum potest agere et non agere, sed non ex suppositione, quod agit ».

(3) Soto ll: « Supponenda, inquit, definitio libertatis [ scl. ea, quam omnes agnoscunt ]. Illa enim causa libera est, quae positis omnibus requisitis ad agendum potest agere et non agere ».

(4) Medina ll: « Causa libera est, quae positis omnibus requisitis ad operandum potest operari et non operari; sic enim causa libera definitur *ab omnibus Theologis* ».

(5) Ceterum concedi potest, clarius esse elocutos posteriores Theologos id, quod S. Thomas minus clare indicavit.

(6) Dixisset Billuart verius: simpliciter communis.

stae contra manifestam quidem traditionem suae scholae, logica vero necessitate systematis Neo-Thomistici propellente coeperunt, quae aperte vera est, eam definitionem liberi arbitrii impugnare et negare. At posteriores prudentiores facti et cautiores, uti in aliis rebus sic in hac, nimis severas consequentias systematis mitigare conati sunt (1); utut mentibus aversos se esse ab hac definitione ne ipsi quidem celarunt (2).

Jam vero Billuart, junior Neo-Thomista, quomodo ipsam definitionem, teste Patre Dummermuth, « optime » exponat, audiamus. « Potest intelligi, inquit, ista definitio *de praerequisitis tempore vel natura et causalitate tantum*. Item potest intelligi de potentia agendi et non agendi in sensu composito et in sensu diviso. Si intelligatur *de praerequisitit sempore*, concedimus, quod libertas sit potentia agendi vel non agendi in sensu tam composito quam diviso, ita ut cum praerequisitis tempore ad actum, possit non solum componi potentia non agendi, quod est sensus divisus, sed etiam non actus, quod est sensus compositus. Si autem intelligatur *de praerequisitis tantum natura et causalitate*, negamus, quod possit agere vel non agere in sensu composito et potentia consequente, sed *tantum in sensu diviso et potentia antecedente*, hoc est, *cum requisitis natura tantum ad actum non potest componi non actus*, bene tamen *potentia expedita non agendi* » (3) :

Liceat hic aliquid interrogare : quomodo ullo sano sensu dici possit, *expeditam esse potentiam ad non agendum*, quando ipsa *prorsus debet* ob id, quod ei actu inest, ob praedeterminationem physicam v. g., *necessario* ponere vel necessario elicere actum ?

Pergit P. Billuart afferens rationem dictorum : « Quia *eo ipso instanti*, quo sunt *praerequisita natura tantum ad agendum*, ut sunt v. g. judicium ultimum rationis practicae (?), *determinatio*, *qua voluntas seipsam determinat ad agendum, est actio ;* implicat autem, posse componi simul non actionem cum actione ; et cum praedeterminatio divina sit ex praerequisitis natura tantum et causalitate ad agendum » etc.

Sane non facile invenias, quod hac « optima » explicatione Patris Billuart videatur communi hominum intelligentiae esse magis falsum. — Quid, ipsane determinatio, qua voluntas seipsam determinat ad agendum, pertinet revera ad *prae*requisita *ad agendum ?* quomodo ergo se determinat ad agendum voluntas ? An nihil agendo ? At in statu indifferentiae manens atque agens nihil, certe non se determinabit voluntas unquam

(1) Cfr Wetzer u. Welte Katholisches Kirchenlexikon 2ª edit. sub. voce Bannez, et quae supra p. 78 ipsi scripsimus de discrimine inter vetustiores et recentiores Neo-Thomistas disceptantes inter se, num praedeterminatio physica pertineat ad actum primum an ad actum secundum.

(2) Cfr v. g. etiam Massoulié « Sanctus Thomas sui interpres » t. 1, diss. 2, q. 1. art. 3.

(3) Hoc idem explicans Billuart « De Deo » diss. 6, a. 4, §. 2 ait : « posse dissentire (non agere) in sensu diviso... est *posse dissentire* (non agere) sub ipsa motione *non* tamen *posse* componere seu *actu conjungere dissensum* » ( non actum). Haec sane communi hominum intelligentiae contradictoria videntur esse et mera verba, quae sententia carent ; in ore tamen Neo-Thomistae significant, sub praedeterminatione physica manere voluntatem potentiam, quae quantum est ex parte sua, etiam sit potentia dissentiendi, licet jam actu dissentire seu actum dissensus elicere non possit. Haec in initio hujus libri vidimus.

ipsa ad agendum. Ergo secundum Billuart voluntas jam agens, atque se determinans est *prae*requisitum ad hoc, ut *omnino possit* agere, vel — per *me enim licet* ita dicere — ut *actu omnino aliquid* agat i. e. se determinet. At hoc jam non est loqui obscure, sed evidenter falsa proferre.

Sed ipsam summam et naturam hujus explicationis inspiciamus. Totum artificium eo revocatur, quod, quando de momentis natura tantum prioribus agitur, negatur sensus compositus et *mera consequens potentia* ad agendum et non agendum, cum in tali suppositione non raro etiam *potentia antecedens* ad agendum et non agendum *infitianda sit*. Hoc relinquitur, illud effertur, quasi totum sit. Proceditur igitur plane ita, quasi hujusmodi valeat ratiocinium : Certum est, actionem esse, seu, quod re idem est, potentiam transire in actum *eo ipso temporis momento*, quo primum omnia, quae *natura tantum* actionem praecedunt agenti adsunt. Ergo haec momenta, utpote quae non tempore, sed natura tantum actionem praecedant, *non possunt* unquam *fundare necessitatem vere antecedentem* ad actum, *sed consequentem tantum necessitatem*. Quare non possunt utrumque? — Terminum induximus necessitatis loco negatae potentiae ad agendum et non agendum; et recte quidem. Nam quando *negatur in agente potentia* ad agendum et non agendum, *affirmatur necessitas* ad alterutrum. — Quod igitur jus, quod fundamentum est, cur affirmetur a Billuart, ea, quae natura dumtaxat ipsa actione priora sunt, *non posse* antecedentem simpliciter necessitatem ad actum fundare, quia ea *tempore* cum actione, utut haec natura ipsis posterior est, simul adsunt? At ex hoc, quod sunt tempore simul, nihil sequitur aliud, quam in hujusmodi rerum adjunctis necessitatem non antecedere actionem tempore ; ne *natura* quidem *antecedere posse* necessitatem in hujusmodi adjunctis actionem, non potest nisi contra principem omnis recti ratiocinii legem inferri. Secundum hanc enim legem non potest plus esse in conclusione, quam fuit in praemissis. Ergo manet : ea, quae natura tantum actionem praecedunt, licet tempore cum actione simultanea sint, *posse* pro actione ponenda *fundare necessitatem naturae ordine actionem vere et plene antevertentem*. Imo quae est doctrina praemotionis et praedeterminationis physicae, *hae talem necessitatem*, quae actionem voluntatis natura plene et perfecte antevertit, *reapse fundant*. Nam hanc praemoventem et praedeterminantem motionem liberum arbitrium nullo modo active, multo minus libere producit, sed ea a solo Deo in eo producitur ; voluntatem vero eodem instante temporis, quo primum ipsa adest, insita vi atque natura ineluctabiliter, invincibiliter secum trahit et rapit in actionem et objectum determinata. Usum ergo libertatis, in quo libertatis exercitium totum est, non tempore quidem, verum natura antevertendo, totum evertit et tollit. Quid plura? In hac explicatione definitionis liberi arbitrii, quae definitio non solum « valde communis » est, quod etiam adversarius fatetur, sed quae est simpliciter communis, ut rei veritas habet, talia a P. Billuart ponuntur et a R. P. Dummermuth approbantur principia, quae, si vera essent, evincerent, ea etiam, quae omnibus

consentientibus, perfecte necessaria nobis sunt, quorumque dominium nullo pacto apud nos habemus, nihilominus nobis non necessaria esse sed plene libera, eaque plane in potestate nostra esse constituta.

Alia, quae contra explicationem Patris Billuart afferri possunt, brevitatis studio omitto. At quae quorundam Thomistarum recentiorum intima mens sit de indole et natura libertatis arbitrii, id clare prodidit Massoulié (1), quando de hac ipsa definitione communi liberi arbitrii agens haec scripsit: « Libertas itaque dicitur facultas ad agendum expedita, *vel agendi facilitas per remotionem impedimenti*, quo et ipsa ratio impediri possit et ipsa libertas: et eo pacto libertas vel voluntas expedita, positis omnibus ad agendum praerequisitis, potest agere vel non agere: *eo ferme modo, quo ratio potest et judicare et non judicare*, et imperare voluntati et non imperare; inde enim semper repetenda est radix libertatis ». Haec sane intelligenti sufficiunt. Etenim si voluntati in eligendo non prorsus alia competit mensura nec *prorsus diversus* modus libertatis quam rationi in judicando vel non judicando; cum ratio, utut radix libertatis recte appellatur, nullo tamen modo ipsa in se et formaliter in agendo et judicando libera sit, actum est plane de vera libertate arbitrii et voluntatis.

Nec profecto satis est ad habendum liberum arbitrium in aliqua actione, ut remoto impedimento adsit quaedam ad agendum facilitas in ea potentia, quae formaliter libera esse dicitur, sed ipsa se debet pro innata sua virtute et vi actu vertere posse in partem saltem alterutram contradictionis, actionis aut non actionis, prouti ipsi placet. Minus si postulaveris, commutaveris libertatem a coactione cum libertate a necessitate, incidesque, ut videtur, *aliquo tandem modo* in propositionem tertiam Jansenii ab Innocentio X damnatam: « Ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione ». Damnata enim est haec propositio, quia quae homini in actibus moralibus et meritoriis propria est libertas voluntatis, eam una libertate a coactione circumscribit.

*Secundo loco* P. Schneemann locum attulerat ex 1, dist. 45, q. 1, a. 2 *ad 4 arg. Aureoli* contra 2^am^ partem 3^iae^ concl. (2) concluseratque, Capreolum ibi docere, voluntatem in solo primo actu indeliberato determinari, *ad liberos actus ipsam se determinare voluntatem,* (utique non praedeterminatam).— Contra hoc pugnat R. P. Dummermuth, quasi P. Schneemann non sufficienter distinxerit, nec id, quod Capreolus eo loco tradiderit, enuntiaverit satis definite.

Quod ut ostendat, R. P. primum recurrit ad tertiam objectionem Aureoli, seu potius ad Capreoli ad eam responsionem, de qua P. Schneemann nihil dixerat. Deinde procedit ad illum locum Capreoli, quem P. Schneemann pro causa sua laudaverat. Ait igitur R. P. (3): « In distinc-

(1) II. I 2. dist. 2, q. 1, art. 3.
(2) p. 589 col. 2.
(3) p. 469 apud Dummermuth.

tione 45 ex professo tractat Capreolus de voluntate divina. Quaerit: « Utrum quodlibet velle intrinsecum divinae voluntatis semper impleatur ». Tertia conclusio contra quam arguit Aureolus, est sequens: « Divina voluntas quidquid vult, aeternaliter voluit, et ad volenda determinata est; et omnia quae vult, vel vult necessitate absoluta, vel necessitate conditionis seu suppositionis ». Conclusionem hanc, pergit R. Pater, praecipue probat Capreolus ex Lib. 1 c. G., c. 82, ubi habetur illa distinctio de indeterminatione potentiae « *ex parte sui* » et « *ex parte ejus ad quod dicitur* ». Vide supra p. 164 ».

« Contra secundam partem tertiae conclusionis arguit Aureolus, sic probando, quod Deus non determinat se ab aeterno ad producendum aliquid per aliquod velle intrinsecum ».

« Sit tertium ejus argumentum: Omne quod determinat se, movet se, et omne quod determinatur movetur; sed primum principium quod est Deus, est omnino immobile: non igitur potest determinari ad aliquid volendum, nec potest se determinare ad aliquid velle etiam ab aeterno; producet ergo exterius absque hoc, quod determinaverit se: unde *imaginans* quod Deus determinaverit se ab aeterno ad volendum alteram partem contradictionis, *quasi esset in potentia ad utramque partem quantum erat ex se, sed determinaverit se ad alteram,* prout imaginantur isti, *habent imaginari, quod Deus moveat se, et actuet se, et quod quantum est ex se, sit in potentia,* et multa alia absona, quae implicantur in his dictis: unde in hoc melius dixerunt Philosophi quam aliqui catholici, cum ponerent, quod Deus in seipso erat determinatus ad velle producere mundum, ne si esset indeterminatus ad velle hoc, et ad non velle, esset in potentia, et indigeret alio extrahente ipsum de potentia ad actum; et propter hoc catholice concedere oportet, quod sive Deus producat, sive non producat, nulla immutatio, aut determinatio intrinsece sit in ipso » (1).

« Sit etiam quartum argumentum Aureoli: « Deus perfectior est in agendo quocumque alio agente creato; *sed voluntas ut activa, movet seipsam ut passivam absque hoc quod ipsa ut activa prius determinetur:* unde *ipsa existente indeterminata, ut activa est,* videmus quod determinat passivum suum; quia si ut activa, prius se determinaret, procederetur in infinitum. Ergo multo fortius Deus absque hoc quod determinetur intrinsece, poterit exterius determinate producere vel non producere » (2).

« Solvuntur, inquit P. Dummermuth p. 470, haec argumenta Aureoli; solvitur etiam argumentum R. P. Schneemann, et simul probatur physica praedeterminatio ». Videamus.

« Ad tertium (Aureoli), inquit Capreolus, *negatur major, nisi loquamur de eo, quod sic determinatur, quod de potentia transit in actum* (ut contingit in voluntate creata); sic autem non est in Deo, ut diffuse dictum

(1) p. 585 col. 2.
(2) Ibidem.

fuit in probatione tertiae conclusionis (ex S. Th. L. 1, c. G., c. 82) : *non enim est ibi determinatio propter potentiam* (ut in voluntate creata), *sed propter objectum* ; nec exigitur determinatio nisi propter objectum, ut ibidem fuit expositum. Nec est verum quod nos imaginemur, sicut fingit arguens, Deum esse *in potentia* ad utrumlibet (ut contingit in voluntate creata) ; *sed imaginamur quod possibile est voluntatem Dei ferri super hoc, et quod possibile est eam ferri super oppositum, non prout possibile dicitur per respectum ad aliquam potentiam, sed prout dicit non repugnantiam. Ad hoc* autem quod aliquid determinetur ad aliquod duorum sibi possibilium illo modo, vel ad hoc quod aliquid quod est possibile ad utrumque duorum, determinetur ad alterum illorum, *non requiritur exitus de potentia in actum*, et consequenter nec motus. (Ad hoc vero quod aliquid determinetur ad aliquod duorum ad-quae est in potentia, ut contingit in libero arbitrio creato, requiritur exitus de potentia in actum) » (1).

Negatur igitur hic ad 3ium a Capreolo, in Deo volente alia a se et creante, ut sic, opus esse hujusmodi voluntatis determinatione ad alterutram partem contradictionis, quae sit alicujus potentiae vel potentialitatis actuatio, fatetur vero tali in Deo creante opus esse voluntatis determinatione, quae omnem alicujus potentiae actuationem excludens, una divina essentia, quae ad omnia sufficit, contineatur. Quid in hac responsione ad tertiam Aureoli objectionem inest, quod possit praedeterminationibus physicis prodesse ? Quod est in ea, quod doceat, minus recte responsionem Capreoli ad sequens argumentum Aureoli a R. P. Schneemann pro re sua allatam esse, inque ea responsione non posse contineri id, quod P. Schneemann affirmavit ?

At dices cum P. Dummermuth implicite tamen affirmari in responsione ad tertium argumentum Aureoli, determinationem ad unum, quam creata voluntas capit vel habet, transitum involvere de potentia in actum, adeoque eam supponere in voluntate creata potentialitatem ; eam vero potentialitatem auferri non posse a voluntate nisi praemotione (i. e. praedeterminatione) physica divina : « Haec potentialitas a voluntate aufertur per divinam praemotionem ».

Respondetur, hac quidem ratione a R. P. terminum divinae praemotionis vel etiam praedeterminationis in discussionem illatum esse, nullo vero modo hac via demonstrari, ex *Capreoli* sententia opus esse praemotione et praedeterminatione divina in voluntate creata, ut se determinet et de potentia transeat in actum. Hoc autem est id, quod R. P. docere et demonstrare debuit, si efficaciter voluit ostendere, non posse in sequenti responsione ad 4. arg. Aureoli contineri id, quod R. P. Schneemann docuit ibi contineri, quia nimirum in responsione ad 3ium arg. contrarium contineatur.

Sed jam illam Capreoli responsionem ad 4 ipsi audiamus. Ait igitur : « Ad quartum negatur minor (sequuntur verba, quae Thomistis opposuit

(1) Ibid. p. 589, col. 1.

R. P. Schneemann). Dico ergo quod *voluntas quantum ad exercitium actus*, scilicet ut velit vel non velit, *determinatur a seipsa, et illud quo se ad hoc determinat est actus ejus determinatus ; sed quantum ad specificationem actus, scilicet ut tendat in hoc, vel in illud, determinatur per intellectum ostendentem sibi suum objectum*. Non ergo oportet procedere in infinitum ex aliqua parte, *quia si loquamur de determinatione quoad specificationem actus, est status in appetitu naturali intellectus ; si autem loquamur de determinatione quoad exercitium actus, est status in appetitu naturali voluntatis, quem habet ad suum actum* » (II. p. 589 col. 2). Hucusque Capreolus a R. P. Schneemann relatus.

Ut sensum horum verborum assequamur, oportet primum videre, quinam sensus fuerit objectionis Aureoli. Quarto igitur loco ita opposuerat : Non oportet admittere determinationem in ipso Deo formaliter ullo modo exsistentem, qua alia a se velit. Nam si vel ipsa humana voluntas indeterminata in se exsistens, ut potentia activa est, nihilominus se ipsam ut passiva est, determinat, admittere sane debemus, in Deo non requiri quidquam intrinsecus ipsum quomodocunque determinans, ut producere extrinsecus determinatum effectum in mundo possit (1). — Suppositum antecedentis hoc modo ab Aureolo demonstratur : nisi voluntas humana indeterminata in seipsa exsistens, se, ut passiva est, determinaret, haberetur progressus in infinitum. Ergo indeterminata active se ipsam ut passivam determinat.

*Vides supponi ab Aureolo tanquam aliquid prorsus exploratum, etiam apud adversarios, voluntatem ipsam se determinare, non aliunde determinari*. Et quoniam aliam viam non videt ad hoc axioma sustinendum, nisi hanc concessionem : eam, uti activam, posse vel indeterminatam se determinare quatenus passiva sit, ideo statuit, ipsam, ut activa sit, indeterminatam posse se determinare quatenus sit simul potentia passiva. Haec est evidenter argumentatio Aureoli.

Fac jam, Capreolo insedisse levissimam ideam praedeterminationis physicae — et profecto, si eas S. Thomas docuit, princeps Thomistarum debuit aliquid de eis scire — *fac ergo Capreolum aliquid de praedeterminationibus physicis earumque ad agendum necessitate novisse, sane negare debuit Aureoli minorem :* « sed voluntas ut activa movet seipsam ut passivam absque hoc quod ipsa ut activa prius determinetur », *debuit*, inquam, *plane asserere, ipsam ut activam utique praedeterminari prius, non quidem a se,* ita enim certe haberetur progressus in infinitum, *sed a Deo*, utpote qui omnes causas secundas praedeterminet physice ad agendum. Atqui nihil ejusmodi dicit, dicit autem aliquid plane diversum. Scilicet voluntatem, ut activum principium, se utique determinare ipsam, idque facere producendo actum determinatum in se ; attamen inde non sequi,

(1) De hac controversia vide Suarez Metaph. t. 2, disp. 30, s. 9. ; Ruiz « de vol. div.» disp. XI per totam, potiss. sect. 3.

ipsam id facere indeterminatam, quatenus activum principium sit, sed determinatam id facere. Quomodo vero determinatam? scilicet 1° quoad specificationem atque in ordine ad objectum per repraesentationem et judicium rationis; 2° etiam quoad exercitium actus determinatam ipsam agere. Neque tamen modo Neo-Thomistico determinatam; sed ideo voluntatem satis determinatam esse quoad exercitium actus, quoniam omnis natura (activa), adeoque etiam ipsa voluntas, quatenus natura activa sit, naturaliter sit determinata ad appetendum suum actum. Quod quidem naturale actus convenientis desiderium ita sane a nobis concipiendum est, ut sit accommodatum integrae naturae agentis in quo est. Quare in agentibus, quae apprehendunt non tantum bonum hoc vel bonum illud, sed rationem boni ut sic, est desiderium illud solum in genere determinatum, liberum vero est et indeterminatum quoad bona in particulari, quae intellectu satis repraesentantur, prouti id S. Thomam non semel exponentem audivimus. — *Atque ita patet, quam alienae fuerint praedeterminationes physicae a mente Capreoli.*

At R. P. aliquid distinguendum esse arbitratur in illo responso Capreoli. Ait enim: « Recte omnino, si loquamur de voluntate divina vel etiam de voluntate creata non considerando quod de potentia transit in actum ». At faciendae hujus distinctionis vel reservationis apud Capreolum signum et indicium nullum. Quo ergo jure hoc nobis obtruditur? Imo haec exceptio contra manifestam mentem Capreoli peccat. Voluit enim, prouti perspicuum est, Capreolus in hac responsione ad 4 indicare *omnes modos,* sub quibus voluntatem determinatam esse oportet, ut agat et agere expedite possit. *Modum determinationis, qui est per praedeterminationes physicas, nec formaliter nec aequivalenter ipse posuit; ergo eum nec novit nec necessarium esse arbitratus est.* — Quinimo cum illa distinctio, quam S. Thomas l. 1 cont. Gent. c. 82 in Deo praeclare facit, si creaturis rationalibus ita applicatur, quasi hae possint determinari ex parte sui, remanentes adhuc indeterminatae ex parte ejus, ad quod dicuntur, contradictionem satis apertam involvat, quemadmodum id supra demonstravimus; eam in creaturis a summo Theologo adhibitam esse, non est censendum, nisi id clarissime demonstratur. Numquid igitur R. P. Dummermuth hoc demonstravit? Ipse id fortasse se fecisse putat. Etenim subindicavit Capreolus ad tertium, ut effert R. P. p. 471, et ipsi modo vidimus, nobis opus esse determinatione propter duo, propter potentiam i. e. quia sumus in potentia et propter objectum, Deo autem propter unum objectum. Esto! sit ita plane. Quid sequitur? Profecto nequaquam hoc, quod R. P. nos vult inde inferre, Capreolum existimasse, posse voluntatem humanam determinari quoad potentiam, nec tamen eadem realitate accidentali quoad objectum determinari. Certe in isto accidente, quo determinamur et quo voluntas de potentia traducitur in actum, duas rationes mente distinguere possumus, rationem actuationis ipsius potentiae, qua desinat haec esse mere in potentia, et rationem determinationis quoad objectum quoddam;

at absurdus procedendi modus esset inde colligere, eas rationes posse re distingui, imo esse re distinctas entitates vel re distinctos modos reales Adeo haec manifesta sunt ex iis, quae supra diximus, ut diutius eis immorari inutile sit.

In fine R. P. ad confirmanda ea, quae dixit, rursus addit illum a se praecisum locum de Ver. q. 24, a. 14.

Plura igitur ex sententia Capreoli hoc loco constant : 1° non praedeterminatio nec praemotio physica Dei est id, quo voluntas creata de potentia traducitur in actum, sed ipsa se de potentia traducit in actum, atque ad id potens est supposita repraesentatione boni per intellectum ob innatum desiderium actus convenientis. Unde 2° functio, quae a Thomistis assignatur praedeterminationi physicae divinae, praeoccupata est secundum Capreolum ipsa naturali constitutione voluntatis ; quare 3° dicendum, in systemate Capreoli, quod est ipsius D. Thomae systema, praedeterminationi physicae in creata voluntate locum non esse ; unde denique 4° dicendum, si in doctrina R. Pis Schneemann hoc loco quidquam omnino reprehendendum esset, unum hoc esset, ipsum etiam plus concessisse Thomistis quam ex hoc loco concedere opus erat : nihilominus tamen censemus, R. P. nec sine ratione nec immerito p. 105 statuisse : ex doctrina Capreoli ad unum primum actum indeliberatum determinari voluntatem creatam aliunde ; id enim videtur in sequenti textu Capreoli satis clare contineri atque enuntiari.

Videamus jam *tertium hoc ex Capreolo testimonium*, quod R. P. Schneemann p. 105 laudavit, R. P. Dummermuth supra p. 459 in nota carpsit. Ait Capreolus :

« Primus ergo actus volendi ( 2, dist. 25, q. 1 ad 3 art. ) non potest esse a voluntate, quia ipsa, quantum est de se, est in potentia ad actum volendi, et ideo oportet quod fiat actu in genere volentium per aliquid aliud, et hoc est per primam affectionem. Unde cum illa non sit ab objecto, item nec a voluntate, quia tunc esset in potestate voluntatis, quod est falsum ; necesse est primam affectionem voluntatis reduci ad Deum, sicut et ipsam productionem animae rationalis (1). Et sic ea immediate producitur a Deo effective. Alii autem actus volendi sunt effective a composito, scl. a voluntate et a prima affectione in finem, sicut docet S. Thomas ubicunque loquitur de hac materia ; sicut intellectus factus in actu principiorum movet se ad conclusiones. *Et ideo omnes actus volendi praeter primum, quia sunt in potestate voluntatis, oportet quod sunt effective ab ipsa et specificative ab objecto.* Sic ergo patet, quod ad actum volendi non sufficit sola ostentio objecti, sed *requiritur ad omnes actus praeter primum affectio ad finem vel ad bonum commune* et specificatio ab objecto. Haec Bernardus ( a Gannaco )... Et quod ista sint secundum mentem S. Thomae patet 1a 2ae, q. 10, a. 2 » ( ll. p. 439 col. 2 ).

(1) Hinc recte concludes, si esset a voluntate, non esset hoc particulari modo a Deo, ut supra in textu dicitur.

Dicitur omnino probabiliter a P. Schneemann, hoc loco idem esse « *effective produci* a voluntate affecta affectione finis » atque hoc : « *cum determinatione propria efficaci et efficienti ab ipsa produci* ».

Nam quando affirmatur, primam affectionem voluntatis, scl. quae omnibus aliis voluntatis affectibus subest et qua ceterae omnes voluntates affectiones innituntur, si tamen revera de actu elicito, quo volumus naturaliter bonum et beatitudinem in communi, sermo est in textu Capreoli, non de ipsa habituali affectione ad bonum et beatitudinem in communi a solo Deo nobis cum ipsa natura indita : quando igitur affirmatur in praedicta hypothesi, illam primam affectionem actualem immediate produci a (solo) Deo effective, manifestum sane est, non excludi mere physicam coefficientiam voluntatis ab ea productione, cum de essentia omnis affectionis vitalis actualis sit, ut a voluntate physice efficienter procedat. Ergo *non haec mere physica efficientia a voluntate circa illam primam voluntatis affectionem excluditur, sed ea sola, quae est determinativa ad actum* et qua se voluntas ipsa, quatenus praecise voluntas est, ad aliquid volendum vel non volendum determinat. — *Secundum autem textum plane aliter usuvenit in ceteris omnibus voluntatis actibus.* Ili omnes non eodem reductionis genere atque illa prima affectio in Deum reducuntur ; sed quemadmodum secundum efficientiam physicam, ita *insuper secundum determinationem immediate reducuntur in ipsum compositum creatum, ex voluntate creata et prima illa affectione ad bonum in communi consistens, non vero in Deum.*

Confirmatur id, quod modo dictum est, ex alio loco Capreoli mox afferendo (l. 2, dist. 25 pag. 434 col. 1). Ibi enim videtur pro eodem sumi « actum esse effective ab objecto » et « determinari ab objecto ». Ergo merito dicitur, Capreolum etiam hic, quando negat, affectum illum procedere effective a voluntate, negare, voluntatem se ad ipsum determinare ; cujus contrarium cum in ceteris omnibus affectibus et actibus obtineat, merito dicitur, ad hos omnes voluntatem sese ipsam determinare.

Duo autem hac doctrina continentur, quae vehementer juvant rem nostram : *unum*, si Deus non solum physice efficienter, sed etiam determinando producat aliquem voluntatis actum, voluntati remanere in hoc actu nullum alium operationis modum, nisi mere physicae efficientiae seu coefficientiae. *Alterum* est hoc : cum in ceteris omnibus voluntatis actibus praeter primum voluntas non mere physice efficientem, sed etiam determinativum habeat influxum, sequitur, Deum, si proprie loqui volumus, secundum Capreolum in omnibus his actibus determinativum nullum, qui proprie dicitur influxum exercere ; si enim Deus talem exerceret influxum, voluntas eum exercere non posset, sed mere efficientem, uti modo dictum est. Duo autem haec placitis Neo-Thomistarum prorsus adversantur.

Si hoc loco illud jam quaeritur, per quid nos Deus in illa prima affectione voluntatis ad appetendam beatitudinem in communi determinet, si-

ne dubio dicendum est, hanc determinationem non fieri per aliquem actualem et transeuntem Dei influxum in nos, qualis est praedeterminatio physica Thomistarum, sed vi ipsius naturalis tendentiae vel desiderii boni seu beatitudinis in communi, quod Deus condendo naturam nobis indidit. Vi enim hujus desiderii omnes volumus esse beati, et nos infelices esse velle non possumus. Eo igitur ad hanc affectionem eliciendam determinati sumus, nec alia determinatio requiritur. Unde ulterius colligitur, ne in hac prima quidem affectione requirendam esse praedeterminationem Dei actualem, qualem Thomistae statuunt, sed habitualem et naturalem sufficere. Ceterum Thomistae actualem praedeterminationem Dei ob hujusmodi, rationes postulant, quae in ceteris aeque actibus valent atque in primo. Ergo cum in iis non admittantur a Capreolo, ne in hoc quidem eas secundum ipsum valere censendum est.

R. P. Dummermuth recitato textu Capreoli unum addit : « Ista revera sunt ad mentem S. Thomae : non autem est ad mentem S. Thomae et Capreoli, quod intendit R. P. Schneemann, voluntatem ad primum actum determinari a Deo, non ad alios ; vel quod idem est, solum primum actum, non autem alios, immediate produci a Deo effective » (sensu scilicet, quo Bernardus a Gannaco, respective Capreolus, eam vocem hic usurpat). — Respondemus, rectne interpretatus sit R. P. Schneemann Capreolum, ipse lector jam judicet (1).

Quamvis autem locum Capreoli omnino probabiliter de prima affectione *actuali* circa finem in communi interpretemur, tamen alia quaedam loci interpretatio primo aspectu non minus probabilis videri potest ; scl. Capreolum, quando hic loquitur de prima affectione, qua voluntas fit actu in genere volentium, non locutum esse de aliquo actu elicito vitali circa bonum in genere, sed de ipsa habituali affectione et amore voluntatis ad bonum et beatitudinem in genere. Primus igitur actus volendi in textu Capreoli secundum hoc esset habitualis affectio voluntatis ad bonum seu beatitudinem in genere. Et revera hac affectione habituali voluntas vero aliquo modo fit *actu* in genere volentium, scilicet fit actu natura ad volendum ex parte sua plene idonea; quatenus nimirum voluntas hac ratione circa singula bona particularia, dummodo per intellectum sufficienter proponantur, plane indifferens jam nec est nec manet.

Attamen duo sunt in textu Capreoli, quae contra hanc interpretationem jure opposueris. Etenim 1° haec prima, de qua hic Capreolus loquitur, affectio est aliquid a potentia voluntatis diversum. Habitualis vero illa affectio est aliquid cum potentia voluntatis idem. Contra hoc quidem responderi potest, esse utique illam habitualem affectionem nihil *re* diversum a potentia voluntatis ; diversum tamen aliquid eam affectionem esse conceptu et formaliter. Nam *potentia* voluntatis, si formaliter sumitur, dicit

(1) Cfr Ruiz « de Scientia Dei ». disp. 50, s. 2.

non quidem solam actuationis capacitatem, per actum utique proprium, sed etiam vim quandam activam et virtutem, eam tamen non satis ex parte sua ad agendum determinatam. Si vero ut jam informata amore et desiderio habituali boni seu beatitudinis in communi concipitur, non concipitur amplius ut nuda potentia, quae mere actuari potest, sed ut aliquid actu, quo potentia illa ad agendum ex parte sua plene idonea evadit, quodque est ab ipsa, ut est nuda potentia et vis, diversum distinctione virtuali. At quidquid est de hac responsione, altera difficultas contra interpretationem hanc alteram textus Capreoli in ipso textu invenitur, quae, opinor, ipsam minus probabilem reddit. Est autem difficultas haec. Capreolus seu potius S. Thomas a Capreolo laudatus voluntatem affectam prima affectione comparat cum intellectu facto in actu principiorum, statuitque, sicut intellectus factus in actu principiorum possit se movere ad conclusiones, similiter voluntatem affectam affectione finis posse se movere ad electiones mediorum. Jam vero videtur clarum esse in intellectu de actibus elicitis agi. Ergo similiter jam dicendum est de voluntate. Et haec ratio videtur satis convincere, in textu Capreoli de affectione voluntatis elicita agi. Quae loci interpretatio etiam praeclare convenit cum iis, quae S. Thomas docet 1. 2, q. 10, a. 1 in corpore.

Ceterum quamvis altera textus Capreoli expositio minus probabilis esse videatur, quoniam tamen aperte falsa non est — cfr S. Thom. 1. 2, q. 91, a. 2 ad 2 — jam illud quaeramus, quaenam doctrina in textu Capreoli sic accepto contineatur (1). — Directe affirmatur unum hoc : primam affectionem et radicalem voluntatis ad bonum in genere adaequate et simpliciter esse a Deo deberique Deo ut causae ; ceteras vero omnes affectiones voluntatis formales et elicitas ipsi deberi voluntati ad finem affectae ut causae physice eas producenti, objecto, ut causae specificanti. — In obliquo affirmatur alterum, omnes affectiones voluntatis in actu secundo subesse dominio voluntatis et in ejus potestate simpliciter esse positas. — Hoc autem ex doctrina S. Thomae manifesta 2, dist. 39 ; q. 1, a. 1 tertium involvit : ut omnes hi actus sint a voluntate affecta ad finem non tantum quoad substantiam actus seu physice efficienter, sed etiam quoad determinationem voluntatis ad eos actus. Hoc autem quam vehementer adversaretur doctrinae Neo-Thomisticae, supra vidimus.

Quicunque quae hucusque disputavimus mente secutus est, is quam nihil sit illud, quod jam *in quarto testimonio* a Patre Schneemann allato R.

(1) Inter alia suaderi altera interpretatio etiam his rationibus potest. 1° Secundum textum praecedentem Capreoli voluntas quoad exercitium actus sistit « in appetitu naturali, quem habet ad suum actum ». 2° Eam suadet aliquo modo ipse hic locus. Nam affectio, de qua agitur, hoc ipso loco negatur a Capreolo esse ab objecto. Jam vero elicitum desiderium beatitudinis seu boni in communi non minus suo modo (specificative) ab objecto est, quam ceteri omnes actus nostri eliciti sunt a suis objectis. Nam nisi nobis beatitudo in communi objectum proponitur, velle ipsam non possumus. 3° De habituali affectione verissimum est illud, quod Capreolus addit, hanc affectionem non esse in potestate voluntatis. Nam actus elicitus circa beatudinem et bonum in communi, etsi in potestate nostra non est quoad specificationem actus, est tamen simpliciter in nostra potestate quoad exercitum actus.

P. Dummermuth vituperat et reprehendit ( p. 471 ), facile percipiet. P. Schneemann scripserat haec: « Quodsi Thomistae, ut ostendant voluntatem non posse se determinare nisi praedeterminatam ab alio, *indifferentiam afferunt voluntatis,* id pridem occupavit Capreolus. Et objectionem et responsionem ab eo audiamus: « Commentator, inquit, dicit in secundo physic., quod esse indifferens aequaliter ad opposita, est contradictio potentiae passivae, quam oportet reduci in actum ab alio; sed voluntas est indifferens ad oppositas volitiones; ergo sive voluntas ponatur nuda sive affecta (ad finem), quamdiu accipitur indifferens ad opposita, oportet quod moveatur ab alio determinante eam ad alterum oppositorum » (2, dist. 24, q. 1, p, 415 col. 1 ).

Hic nobis paulisper sistendum est, idque propter duas rationes: una est, quia necesse est, accuratius discere, quid Godofredus, qui haec opponebat, his ipse sibi voluerit; altera est, quia R$^{o}$ P$^{i}$ Dummermuth suggerere placet, hic, non sine consilio, R. P. Schneemann aliquid omisisse.

Quod ad primum attinet, Godofredi argumentatio directa est contra conclusionem Capreoli, quam hic quinto loco posuerat: « *Liberum arbitrium seu voluntas non est potentia pure passiva*, imo est activa et motiva. Godofredus in hac re plane aliter quam Capreolus sentiebat. Id quale fuerit Capreolus dist. 25 occasione cujusdam objectionis breviter simul et clare exponit. « Non procedit, inquit Capreolus, contra nos hoc argumentum, quia nos non dicimus, quod actus sit *effective ab objecto* (scl. *efficacia determinativa* actus), nec quod voluntas se habeat ad illum *mere passive* secundum totum compositum (ex voluntate et prima affectione, sed active). Unde illud argumentum *directe* procedit *contra Godofredum* ponentem illa duo, quae nos negamus » ( ibid. p. 434 col. 1 ).

Hic ergo erat secundum Capreolum error Godofredi, quod hic *determinationem ad agendum* pro voluntate *repetebat* non ab illo composito, sed *ab objecto, voluntate mere passive se habente.* Jam supra vidimus in altero testimonio, quod R. P. Schneemann ex Capreolo excitaverat ( 1, dist. 45, q. 2 ), sistere omnem *determinationem* voluntatis secundum Capreolum *in duobus omnino : quoad specificationem sistit actus in repraesentatione objecti per intellectum ; quoad exercitium vero actus sistit in appetitu naturali, quem habet ad suum actum* i. e. ad actum fini suo accommodatum. Quando vero ibidem dicit Capreolus, ut audivimus modo, determinationem voluntatis quoad exercitium actus statum habere ( sistere) « in appetitu naturali voluntatis, quem habet ad suum actum », alias autem vult, actum volendi ut praecise exercitium actus est, esse effective ( ac determinative ) ab illo composito ex potentia et prima affectione, facile cernitur, duo haec inter se minime opponi, sed posterius hoc ex mente Capreoli accuratius declarare illud prius. Ergo ut concludamus, erravit Godofredus in hoc, quod determinationem actus voluntatis, quae simpliciter talis appellanda est, quoad exercitium nimirum actus, non repetebat, ut oportuit, ab ipsa voluntate affecta ad finem, sed ab objecto, voluntate pure passive se ha-

bente ; quum tamen secundum veram doctrinam voluntas *quoad solum objectum seu specificationem actus aliunde determinetur.*

Quae cum ita sint, facile etiam demonstratur, nullum potuisse R. P. Schneemann habere consilium, Thomistis eorumque causae nocivum, cum non adscriberet illa, quae « de causa » eum omisisse R. P. Dummermuth suggerit atque conqueritur. Numquid enim responsio Capreoli, quam jam laudaturus est P. Schneemann, minus ferit Thomistas, quando illa, quae omissa sunt, apponuntur? Videamus. Conclusio Godofredi objicientis fuerat haec : « Ergo sive voluntas ponatur nuda, sive affecta (ad finem), quamdiu accipitur ut indifferens ad opposita, *oportet quod moveatur ab alio determinante eam ad alterum oppositorum, quod non potest esse nisi objectum* ». Ultimum hoc incisum omisit P. Schneemann. Quid igitur Capreolus respondet? « Dicendum, inquit, quod voluntas, quantum est de natura sua, est ad opposita, *ipsa tamen ratione suae libertatis determinat se ad id, quod vult, et ita non indiget alio determinante* ». Quod quidem Capreoli responsum huic aequivalet : Quamvis voluntas sit natura sua ad opposita, tamen *ut determinetur ad unum eorum quoad exercitium, alio nullo determinante se ad ipsum indiget, quia ut principium activum liberum et domina sui actus potest ipsa se ad determinatum actum quoad exercitium determinare ;* quare falsum id etiam est, quod Godofredus intulit, determinationem ad actum i. e. ad agendum fieri ab objecto : quae non ab objecto fit, sed ipsa se ad actum et actionem voluntas determinat.

*Erravit* ergo Godofredus *principaliter, quia omnino censuit, quoad exercitium actus* voluntatem *ab alio determinari* oportere ; non ob hoc praecipue erravit, quia praecise opinatus est, hanc determinationem per objectum fieri. Evidens ergo est 1°, R. P. Schneemann nullum potuisse habere consilium in illo ultimo inciso Godofredi omittendo : « quod non potest esse nisi objectum » ; evidens est 2°, immerito R. P. Dummermuth eum impugnasse ; evidens est 3°, hoc testimonium firmiter contra Thomistas stare. Quare si R. P. Dummermuth hic in fine addit, voluntatem indigere determinatione aliunde proveniente, scl. a Deo quoad exercitium actus, plane contra contextum hujus loci loquitur. Nam cum unum hoc quaereretur, a quonam tolli deberet indifferentia voluntatis quoad oppositos actus *exercendos,* plane praeter rem locutus esset Capreolus, nisi id distincte significasset, quod revera tollit indifferentiam voluntatis quoad actus exercitium ; id porro Capreolo auctore non Deus est, ut volunt Neo-Thomistae, sed ipsa per se creata voluntas. — Affirmat quidem R. P., aliis locis, dist. 25 et dist. 37, Capreolum aperte contrarium profiteri ; at hoc prorsus immerito asseri, supra vidimus cf. 376 sqq.

Memoraverat P. Schneemann *quinto* (p. 106) aliquem locum Capreoli, ubi hic aliud quoddam dictum Bernardi a Gannaco approbat. Fuit hoc : « Semper enim movetur (voluntas) a Deo in actu per affectionem ad finem... Per affectionem finis movet se ad ea, quae sunt ad finem, ut sic semper moveatur finis affectionibus, ut dicit Anselmus ». « Haec ille, ad-

dit Capreolus, et consonat dictis S. Thomae 1. 2, q. 9, a. 6 ad 3». (2, dist. 25, q. 1, p. 441 col. 1). Concluserat P. Schneemann ex hoc loco, Capreolum in sententia fuisse, per affectionem ad finem, quae est a Deo, voluntatem, activa ejus liberaque natura utique supposita, sufficienter esse roboratam atque instructam, ut posset sese circa particularia bona particularesque actus, sine ullo alio praedeterminante, ipsa determinare. Quae certe est hujus loci naturalis interpretatio, maxime si attenduntur illa, quae S. Thomas loco a Capreolo laudato habet. « Dicendum, quod *Deus* movet voluntatem hominis *sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis,* quod est bonum. Et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle ; sed (supposita hac motione) homo per rationem (i. e. per se, non per Deum) determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum vel apparens bonum ». Quae sane contra Bannez ejusque asseclas evidenter pugnant. Exceptio in forma quaestionis a R. P. Dummermuth prolata (p. 465 sq. in nota) nihil valet. « Quaerimus, inquit, ubinam doceat Capreolus, solam affectionem ad finem sufficere, (ut possit se homo ipse per se, sine alio praemovente et praedeterminante, determinare ad actum), vel praeter illam affectionem aliam motionem (praeviam et praedeterminantem) ad liberum actum non requiri ? » Respondetur, exclusionem divinae praemotionis specialis, ad singulos actus liberi arbitrii necessariae, contineri implicite in ipso textu Bernardi, maxime quatenus loco S. Thomae illustratur. Quid enim sibi vult istud incisum apud D. Thomam : « sed homo per rationem » etc. (ut illis opponitur : « *Deus* movet... »), nisi quod explicans adjeci : supposita nimirum illa motione divina in finem, quae habitualis et praevia est, posse hominem ipsum per sese, sine alia ulla motione praevia et ab alio facta, determinare se ad volendum hoc vel illud bonum particulare ? — Quae interpretatio firmatur verbis, quae S. Thomas ibidem in fine addidit : « Sed tamen, *interdum*, inquit, [Neo-Thomistae dicunt « semper et ubique »] *specialiter* movet aliquos *ad aliquid determinate volendum*, quod est bonum, sicut in his, quos movet per gratiam ». Nimirum *haec* specialis praemotio, nec tamen praedeterminatio Neo-Thomistica, Dei interdum quidem plane necessaria est, non ideo, quia agendum est omnino, sed ideo, quia supernaturalis actus est agendus ; interdum vero potest dari divinitus sine ulla necessitate ex parte operis ponendi pro mero Dei beneplacito.

Ceterum, quoniam exceptio regulam confirmat, non solet Deus voluntatem *movere specialiter ad aliquid determinate volendum, atque multo minus ad id praedeterminat.*

Dices, per hoc, quod S. Thomas asserit, « *interdum dumtaxat* » *Deum specialiter movere* humanam voluntatem, non excludi praemotionem et praedeterminationem physicam ab omni humanae voluntatis operatione, siquidem hae motiones, uti patet, ad motum Dei universalem pertinent, non ad specialem, qualis v. g. est motus gratiae.

Respondetur, ex textu atque contextu manifesto constare, omnem motum

ipsius Dei hic specialem censeri relate ad humanam voluntatem, qui eam ad aliquid determinate volendum moveat i. e. praemoveat. Quod cum in praemotione et praedeterminatione physica Thomistarum quadret,—iis enim ad aliquid determinate volendum homines ex sententia Thomistarum ab ipso Deo praemoventur — tria jam constant : constat 1° praemotionem et praedeterminationem physicam non pertinere ad Dei motum universaliter necessarium sed ad specialem ; unde constat 2° falso eas a Thomistis ad Deum ut universalem motorem referri easque pro singulis et omnibus operationibus creati agentis et in specie humanae voluntatis exigi ; unde 3° constat, argumenta omnia praecipua Thomistarum ad probandas praemotiones et praedeterminationes physicas ex sententia D. Thomae fallacia esse oportere. Nam illud argumentum, quod petitur a Deo, ut a primo agente, probaret omnino, si quid probat, motum praevium atque praedeterminantem Dei plane universalem esse relate ad omnes prorsus actiones cujuscunque creati agentis, adeoque pertinere ad Deum ut universalem motorem ; quod vero ab indifferentia humanae voluntatis petitur argumentum, id saltem ad omnes actus liberos humanae voluntatis extenderetur. Jam vero secundum S. Thomam neutrum obtinet. Quare tandem 4° concludendum, hunc locum, quem Thomistae adhibere solent ad suam doctrinam de praemotionibus et praedeterminationibus physicis stabiliendam, eam doctrinam perimere. Et quoniam Capreoli hoc loco sententia conformiter prorsus ad hanc doctrinam S. Thomae interpretanda est, constat 5° etiam Capreolum hoc loco physicis praedeterminationibus Thomistarum adversari. Merito igitur P. Schneemann etiam hunc Capreoli locum pro sua causa laudavit.

*Sexto loco* plura P. Schneemann (p. 107) attulit testimonia, quae num singula praecise id efficiant, quod ipsis effici voluit, merito dubitari potest. Ut ex primo testimonio non puto recte colligi propositum R. Patris, quod erat hujusmodi : « ad aliquem certum actum voluntatis nolle Deum nisi supposita determinatione voluntatis suam opem conferre » (1). At, quamvis hoc ita sit, eo ipso in testimonio enuntiantur principia quaedam, quae cum theoria de praedeterminationibus physicis, ad liberos etiam actus, necessariis parum profecto cohaerent. Etenim quamquam secundum hunc locum contingentia alicujus effectus simpliciter salvatur, si una tantum ejus causa sit contingens ; tamen *relate ad eam causam non* est effectus amplius *contingens*, *sed* est relate ad eam *necessarius*, *quae cum necessitate in ipsa posita eum producit*. *Contingenter* vero effectus aliquis relate *ad eam dumtaxat causam evenit*, *quae ita eum producit*, *ut deficere possit*. Haec si ad doctrinam de praedeterminationibus physicis transferuntur et applicantur, evidens est, positis iis auferri contingentiam effectuum a causis omnibus proximis, in quibus eae insunt. Ponunt enim vere necessitatem in causa ipsa secunda efficiuntque, ut causa secunda in producendo

(1) Schneemann, p. 107.

effectu deficere non possit. Quae cum ita sint, sane consequitur, Capreolum, et quem hic pro hac doctrina laudat S. Thomam rursus se praestare praedeterminationum physicarum adversarios, praesertim in causis liberis, quarum effectus relate ad ipsas has causas maxime contingentes sunt. Inspiciamus jam ipsum totum textum, de quo agitur, quemque R. P. Dummermuth p. 473 descripsit.

« In 1, dist. 38, q. 1, a. 1 inquirit Capreolus, inquit R. P. Dummermuth, « Unde habeat ortum contingentia rerum ». Inter alias conclusiones ponit sequentem : « Quarta conclusio. Nullus effectus evenit contingenter a prima causa isto modo quod possit ordinem ejus exire » (1).

« Contra quartam conclusionem arguit Scotus. Ipse quidem et multi alii imponunt S. Doctori, quod mens sua fuerit quod contingentia non habent ortum nisi a causis secundis, et non a causa prima, quo supposito arguit Scotus contra hoc. Quia tunc nihil esset contingens in universo ; nam causa secunda non movet nisi inquantum movetur a prima. Causa autem prima necessario movet secundum te. Ergo causa secunda necessario movebit, et sic omnis effectus erit necessarius. Secundo arguit : Quia si sic, tolletur omnis causa secunda pro eo quod causa prima naturaliter prius movet quam secunda. In illo autem priori causabit necessario et perfecte, cum sit infinitae virtutis, et ita in secundo instanti causa secunda nihil poterit causare nisi idem bis producatur, quod non est intelligibile » (2).

« Ad haec argumenta respondet Capreolus (p. 507 col. 2.) : « Ad primum Scoti dico quod falsum supponit et imponit nobis, scilicet quod prima causa necessario moveat necessitate absoluta : immo *quidquid movet*, movet necessario necessitate suppositionis (3), tunc argumentum nihil valet : nam stat effectum esse contingentem, [ absolute ] et tamen produci necessario necessitate suppositionis ».

« Ad secundum dico primo, quod causa prima *prius* attingit effectum quam causa secunda, *considerando virtutem causae* [ i. e. quoad independentiam in agendo ] ; sed considerando supposita agentia, dico quod causa proxima est immediatior effectui quam prima ».

« Dico secundo, quod [ si ] causa prima prius natura attingeret effectum quam secunda, non tamen in aliquo signo priori ad signum, in quo attingit secunda, nec attingeret *necessario nisi ex suppositione* (4) ; unde

(1) Capreolus ll. p. 505 col. 1.

(2) Ibid. col. 2.

(3) Verissime hoc dicitur, si tamen contingentia effectus consideratur absolute. Nam Deus, quando movet, id non facit, nisi quia vult (necessitate suppositionis « ex suppositione scl. divini propositi » ), et cetera omnia, quae movent, certe absolute loquendo contingenter movent et ex sola necessitate suppositionis; absolute enim esse posset, ut non moverent, licet secundum se naturaque eorum propria inspecta necessitate simpliciter antecedente moveant.

(4) Scl. suppositio hic est, causam secundam etiam effectum attingere. Cur eam suppositionem hic intelligi oportet? Quoniam si aliter intelligas, nihil responsum est ad difficultatem alteram Scoti. Debet enim jam ostendi, etsi Deus aliqua tandem ratione prius attingeret effectum quam secunda causa, ta-

S. Thomas ad istud argumentum in virtute respondet, de Ver. q. 5, a. 9 ad 12 : Effectus, inquit, *non sequitur ex causa prima nisi posita secunda,* unde necessitas causae primae *non inducit necessitatem in effectu, nisi posita necessitate in secunda causa.* Et ibidem ad 10 dicit : *Actio primae causae quodammodo determinatur* ad hunc effectum *per causam secundam.* Et q. 2, a. 14 ad 5 dicit : Quamvis prima causa vehementius influat quam causa secunda, tamen effectus non completur, nisi adveniente operatione causae secundae ; et ideo *si sit possibilitas ad deficiendum in causa secunda, erit eadem possibilitas ad deficiendum in effectu,* quamvis prima causa deficere non possit : sed multo amplius, si prima causa posset deficere, et effectus deficere posset : quia ergo ad esse effectus requiritur utraque causa, *utriusque defectus inducit defectum in effectu* (1) ; et ideo quaecumque causa ponatur contingens, sequitur effectum esse contingentem ; non autem si altera tantum ponatur necessaria, effectus erit necessarius, propter hoc quod ad esse effectus utraque requiritur; sed quia causa secunda non potest esse necessaria nisi prima sit necessaria, inde est quod *necessitatem causae sequitur necessitas in effectu quantum ad necessitatem causae secundae.* Haec ille. Ex quibus patet quomodo non superfluit causa secunda, *et quomodo in nullo priori instanti causa prima facit effectum quam secunda ;* immo quod ulterius iste effectus productus a causa prima, mediante secunda, non trahit aliquam absolutam necessitatem a causa prima quantumcumque sit necessaria, quia ad hoc quod effectus contingenter eveniat, *sufficit contingentia alicujus suae causae* nec tamen propter hoc e contra sequitur ex dictis S. Thomae, quod contingentia causae secundae sit totalis et praecisa causa contingentiae effectus ; immo a causa summe necessaria posset effectus contingenter produci (2), et in hac ultima falsa consequentia seducti sunt isti accusatores S. Thomae ».

*Alterum quoddam hoc sexto loco* P. Schneemann ex Capreolo testimonium laudaverat, quod in eadem quaestione paulo post occurrit. « Dico, inquit

men *non produci totum effectum a solo Deo.* Hoc autem in casu locum habere non potest, nisi ita moderatum Deus in effectum adhibeat influxum, ut ejus efficientia per se solam, nisi cooperetur causa secunda, nihil operetur et efficiat. Unde effectus quasi suspensus manet ex coefficientia accedente secundae causae. Aliis verbis : ex tali influxu primae causae non consequitur effectus necessario, nisi cooperatio secundae causae ipsi accessit. Quare etsi faciamus Deum prius aliqua ratione attingere effectum quam secundam causam, *quod tamen reapse obtinere negatur, nihilominus effectus necessario non sequeretur nisi ex suppositione causae secundae jam cooperantis.* Haec confirmantur locis pluribus ex S. Thoma allatis. — Non ergo in hoc textu eadem semper suppositio intelligenda est scl. divini propositi vel decreti, ut magno quidem verborum pondere sed falso opinatur R. P. Dummermuth (p. 475 in fine et in nota), sed varia. Superius ad 1^m utique suppositio propositi divini erat intelligenda, hic vero intelligenda est ea, quam modo indicavimus. Cfr quae supra in textu proxime sequuntur.

(1) Prouti *possibilitas* ad deficiendum in utraque causa inducit *possibilitatem* ad deficiendum in effectu, quemadmodum supra dixit S. Thomas.

(2) Intellige si eundem operandi modum et influxum *ad extra* exerceret, quem modo, ubi libera est, ad extra exercet. Nam si libertate in necessitatem mutata etiam mutaretur ejus operandi modus influxus ad extra, ut hic ipse jam esset semper determinatus ad unum simpliciter, tolleretur sane contingentia a rebus.

Capreolus (1), quod Deus *non est sic determinatus ad producendum* velle meum, quod producat illud, *nisi voluntas mea illud comproducat* » — « Ambigua est haec propositio », oggerit R. P. Dummermuth. « Significat, Deum *non producere* velle meum sine voluntate mea illud comproducente, non autem significat, Deum *nolle opem suam conferre,* nisi supposita determinatione voluntatis creatae : determinatur enim voluntas creata ex eo, quod Deus opem suam confert ». Haec R. P. p. 476 (2). Verene an falso? Falso, inquam. Quid enim ? Num unum idemque est, quod ait Capreolus : « *Deum non esse sic determinatum ad producendum* velle meum, quod producat illud, nisi voluntas mea illud comproducat » ; et alterum hoc quod R. Pater ait : « *Deum non producere velle meum* sine voluntate mea illud comproducente » ?

Certe Capreolus loquitur *de decreto, quod in Deo inest* circa volitionem meam producendam ; quod quidem decretum asserit *non esse prorsus absolutum volitionis meae decretum, sed conditionatum* ; contra R. P. Dummermuth *de actione Dei ad extra, qua talis est,* loquitur, *deque influxu in causatum,* quem Deus tum, quando reapse volumus, exhibet et adhibet. Hunc influxum non talem esse, asserit R. P., ut volitionem meam se sola producat, me eam non comproducente, quod sane nullo modo, ne a Deo quidem, fieri potest.

Planum est, aliud dicere R. P., aliud Capreolum. Unde revera sententia Capreoli nequaquam ambigua est, sed perfecte definitum et certum sensum prodit, ipsum illum, pro quo R. P. Schneemann hoc testimonium attulerat : « ad aliquem certum actum voluntatis *nolle seu non velle* Deum, *nisi supposita determinatione voluntatis* ( i. e. nisi voluntate reapse ipsa se ita ope divina determinante ) suam opem conferre » (3). Hujusmodi autem volitionis modum Deo adscribere principiis recentioris Thomismi repugnat ; qui, si de Dei voluntate absoluta alicujus rei agitur, vult ipsam semper absoluta efficacia et suapte vi ad terminum sibi propositum penetrare atque pertingere.

Hoc ergo alterum testimonium ex illo loco Capreoli etiam recte pro se sententiaque a se defensa P. Schneemann eruerat.

Nec minus praeclare *tertium testimonium* ex 1, Dist. 45, q. 1, a. 2 proposito inservit. Id cum alia tum infirmitas eorum, quae R. P. Dummermuth opponit, manifestum facient. Testimonium autem erat hoc : « Licet *non* sit *in potestate alicujus causae secundae ponere absolutum divinae voluntatis* ; tamen *in potestate* secundae causae est *respectus rationis, quem habet ad aliquod objectum volitum ponere* (4), non sicut in potestate causae

(1) Capreol. II. p. 508 col. 1.

(2) Nolo hic interrogare, si revera ambigua est propositio, qua ratione R. P. praescribat, hunc, quem ipse indicat, non alium esse sensum loci.

(3) Cfr ea quae de Dei decreto cooperandi cum creaturis ex sua parte absoluto, ex parte creaturae conditionato, supra in sectione 2ª diximus pag. 114 sq.

(4) I. e. in potestate secundae causae situm est, ut habeatur quidam respectus rationis, quem divinum velle hujusmodi creatae voluntatis involvit ; quoniam apud ipsam creaturam est facere ac deter-

per quam, sed *sicut causae sine qua non* ; si ego non vadam ad ecclesiam hodie, nunquam divina voluntas habuit respectum ad illud ire sicut ad suum volitum » (1).

Ergo secundum Capreolum in potestate mea constitutum est, ut divinum velle respectum quendam determinatum rationis habeat, quem nisi haberet, ipsum velle illius objecti in Deo nunquam fuisset. Nam determinata decisio, quae, num et qualis futura sit, suo modo apud me est, *conditio est sine qua* divinum velle illius praecise objecti locum *non* habuisset. « Conditio autem sine qua non » quamvis causa illius rei, cujus conditio est, proprie non sit, tamen rei, cujus conditio est, *aliquo modo* praesupponitur, eaque prior est. *Ergo decisio, quam pro arbitratu meo aliquando capturus sum pro hac vel illa re, aliquo modo prior est voluntate divina de ea re eique supponitur, nec sine ea Deus illud objectum unquam absolute et simpliciter voluisset.* Haec est manifesta doctrina Capreoli hoc loco. Sed haec non minus manifesto etiam Molinae sententia est, placitis vero recentioris Thomismi quam maxime adversatur.

Quid jam ad haec R. P. ? « Haec, inquit p. 476, difficultatem non habent ». Et cur difficultatem non habent ? Audiamus.

« Sensus est, inquit : Non est in potestate mea, quod Deus velit me velle hoc : est tamen in potestate mea velle hoc, quod Deus vult me velle ; et sine hac conditione scilicet quod in potestate mea sit velle hoc quod Deus vult me velle, non verificatur quod Deus velit me velle ». Ita ipse. At omnia haec aut minus accurate dicta sunt aut etiam falso. Primum incisum R. Patris Dummermuth : « Non est in potestate mea, quod Deus velit me velle hoc », distinguendum secundum Capreolum hoc modo : « Non est in potestate mea, quod Deus *velit* me velle hoc » *quoad divinae voluntatis absolutum* i. e. non possum facere, ut Deus *hunc actum quo vult* secundum se spectatum ab aeterno conceperit, ita se determinaverit, concedo ; « Non est in potestate mea, quod Deus velit me velle hoc » *quoad respectum*, quem hic divinus actus ad suum objectum involvit, nego ; si enim in tempore non sic libere voliturus essem, defuisset ab aeterno conditio necessaria, ut Deus hunc actum ab aeterno concipere vel omnino posset.

Alterum incisum responsi hoc fuit : « Est in potestate mea velle hoc, quod Deus vult me velle ». Proprie hoc non illud est, quod Capreolus dixit ; et utut in se verum est, ipsi tamen hic a R. P. imponitur. Capreolus dixit : « tamen in potestate secundae causae est *respectus rationis, quem habet (divinum velle)* ad aliquod objectum volitum ponere ». Ergo non id praecise agitur, quod habeo ipsum velle meum in potestate mea, sed quod habeo *etiam* in potestate mea *respectum quendam, utique rationis, quem involvit vel praesupponit ipsum divinum velle.* Hoc scripsit docuitque Capreolus.

minare, ut illa actio, voluntatis creatae, de qua est divinum velle ab aeterno, in tempore aut ponatur aut non ponatur, aut sit aut non sit.

(1) Capr. ibid. p. 591 in fine.

At distinguamus sententiam in ea forma, in qua R. P. eam minus accurate enuntiavit : Si ea hunc sensum habet, ut hac ratione aliquo modo *in potestate mea constituatur efficere, ut objectum, aeternae Dei volitioni necessario praesuppositum, omnino* sit ; concedo. Si vero sensus est hic, ut in potestate mea *aliud nihil* sit, nisi me velle hoc, quod Deus vult me velle, quasi hoc *velle divinum* meum in tempore velle non aliquo modo (Capreolus ait : « ut causam sine qua non ») *praesupponat,* nego.

In inciso denique ultimo : « Et sine hac conditione, scilicet quod in mea potestate sit velle hoc, quod Deus vult me velle, non verificatur, quod Deus velit me velle » duo emendanda. Etenim *conditio sine qua non* divinae voluntatis absolutae, qua vult me velle *hoc*, *non est mera potestas,* qua possum velle hoc vel aliud, sed est *usus* hujus potestatis *determinatus,* quo pro arbitratu meo *hoc* praecise *volo.* Hic enim evidenter sensus est illius Capreoli dicti : « in potestate secundae causae est respectus rationis (utique determinatus), quem habet divinum velle absolutum ad aliquod objectum (iterum determinatum) volitum ponere ». — Deinde pro vocibus « non verificatur » rectius clariusque ponitur : « non esset vel fuisset ». Sententia igitur ultima et conclusio, ut veritati respondeat atque doctrinae a Capreolo propositae, debet esse haec : « *Et nisi pro meo arbitratu habiturus ipse essem voluntatem hujus determinati objecti in tempore, non esset vel fuisset unquam ab aeterno, ut Deus absolute vellet me hoc velle* ». Quid potest magis explicitum et expressum desiderari pro nostra theoria ?

*Septimo loco* P. Schneemann posuerat testimonium ex l. 2, dist. 28, q. 1, a. 3 ad 12, de quo fuse supra pag. 371 sqq. diximus, et quam vehementer id Neo-Thomistis adversaretur, ostendimus.

*Octavum* vero R. P. Schneemann (p. 108) argumentum ex Caprolo petitum tam contra recentiores Thomistas evidens et efficax est, ut vix aliud quidquam opus sit, quam illud integrum exscribere. Auspicatus erat P. Schneemann hoc testimonium hoc modo : « Praeterea docet Capreolus, quantumvis inclinatam voluntatem posse actum omittere, et hanc causam esse, cur actus liber *e nulla causa efficiente vel concurrente* cognosci possit, sed *ita solum, ut ipse actus praesens sit aeternitati.* A qua tamen ratione loquendi illam quam diximus interpretationis absurditatem arcet, quod idem Aegidius fecerat et Hervaeus » (1). Hucusque P. Schneemann. Jam Capreolus :

« Sunt aliquae causae, inquit, quae possunt impediri, quibus tamen cognitis, non ex hoc potest perfecte cognosci, an impedientur vel non, sicut patet de humana voluntate, cujus *quantumcumque cognoscatur natura,* non tamen ex hoc scitur, an producet actum suum elicitum vel non ; ipsa enim potest se impedire, ut ita loquar, *quantumcumque sit ad elicien-*

(1) Ad haec verba notam facit R. P. Dummermuth p. 477. Vult posse dici secundum Capreolum (1, dist. 38, q. 1, a 2), Antichristum esse physice praesentem Deo in aeternitate. Hoc dici posse, modo recte explicetur, non negamus. Vide supra dicta p. 354 sq.

*dum volitionem inclinata*, ne producat: cujus ratio est, quia secundum S. Thomam, de malo, q. 16, a. 7, in causis suis sunt aliqua futura tripliciter : uno modo secundum potentiam tantum, quia scilicet aequaliter possunt esse vel non esse, quae dicuntur contingentia ad utrumlibet. Quaedam vero sunt in causis suis non solum secundum potentiam, sed secundum rationem causae activae, quae non potest impediri a suo effectu; et dicuntur ex necessitate contingere. Quaedam vero sunt in causis suis, et secundum potentiam et secundum rationem causae activae, quae tamen potest impediri a suo effectu, et ista dicuntur contingere ut in pluribus. Quia vero unumquodque cognoscitur secundum quod est in actu, non autem secundum quod est in potentia, ut dicitur 9 Metaph., *inde est quod ea quae sunt ad utrumlibet non possunt cognosci in suis causis determinate,* sed sub disjunctione, utpote quod erunt vel non erunt, sic enim habent veritatem [scl. in causis]. Ea vero quae sunt in causis suis, ut ex necessitate ab eis provenientia possunt per certitudinem cognosci in causis suis ; ea vero quae contingunt ut in pluribus, possunt cognosci in causis suis non per omnimodam certitudinem, sed per conjecturalem quandam cognitionem. Haec ille. Eandem distinctionem ponit 1 Sent. Dist, 38, q. 1, a. 5. *Cum igitur opera voluntatis futura sint in ea, sicut in causa primo modo praedictorum, patet quod ipsa cognita, et quibuscumque causis ad actum volitionis concurrentibus, non potest certitudinaliter cognosci, an ipsa producet illum actum, vel non producet, an impedietur vel non;* quia ipsa voluntas, quae ad illum actum concurrit, nullo modo est determinata plus ad producendum quam ad non producendum, et ideo ad hoc quod actus ejus futurus certitudinaliter cognoscatur, oportet quod videatur in se, et non solum secundum esse quod habet in causa sua » (1).

Ad haec R. P. Dummermuth haec adnotat: « Capreolus, inquit, non loquitur de prima causa determinante secundas, nec de causis secundis liberis ut subsunt divinae determinationi ; sed de causis liberis secundum se, et prout sunt indifferentes : in talibus autem futurum contingens certo non cognoscitur. Doctrina Capreoli non differt a doctrina S. Thomae in 1 Dist. 38, q. 1, a. 5, quam exposuimus supra p. 409 ». — *Respondeo : ut illa expositio arbitraria* fuit, ita evidenter etiam haec. Vide pag. 195. Notentur hic verba: « ipsa [i. e. voluntate] cognita *et quibuscunque causis* ad actum volitio nis *concurrentibus*, non potest certitudinaliter [opus voluntatis] cognosci ».

Aliud testimonium Capreoli, quod R. P. Schneemann attulit, petitum est ex 1 dist. 38, q. 1, a. 2, p. 510 col. 1: « *Contingentia ad utrumlibet in causis suis certitudinaliter nullo modo cognosci possunt, sed quando jam efficiuntur in rerum natura, tunc habent in seipsis esse determinatum ; tum et ideo quando sunt in actu, certitudinaliter cognosci possunt*, ut patet in eo, qui videt Socratem currere, quia dum currit, videt Socratem currere ».

(1) Capreol. 1, d. 38, q. 1, a 2, p. 515, col. 2.

Respondet R. P. Dummermuth : « Addit Capreolus : « Haec S. Thomas in 1 Sent., Dist. 38, q. 1, a. 5. » Videatur ergo supra p. 409 integra littera articuli S. Doctoris cum ejus expositione ». De mira illa expositione pluribus egimus pag. 181 sq. , vidimusque, quidquid obloquitur R. P. invictum contra Thomismum recentiorem in his S. Thomae doctrinis continere argumentum (1).

*Nonum*, quod pro sua sententia laudavit R. P. Schneemann ex Capreolo argumentum, omittimus, quoniam opinamur, ipsum neutri parti, neque Thomistis neque nobis aut prodesse aut nocere. Ejus autem loco addimus aliud, quod est plane in quaestione praesenti *classicum testimonium*. Exstat apud Capreolum l. 2, dist. 2, q. 3 ad 3 art. c^a 6 conclus. ad object. Durandi (2), ( p. 48 col. 1).

« Ad argumentum Durandi, inquit, dicitur ad primum quidem, quod *ille effectus, qui immediate procedit a Deo, et immediate a creatura,* procedit *unica actione exteriori Dei et creaturae ;* sed *procedit duplici actione sic, quod praeter exteriorem actionem communem primae causae et secundae, Deus agit actione immanente, quae est divina substantia cum respectu ad creaturam. — Et cum probatur, quod non eadem actione:* dico ad primam probationem, *quod creatura nullam actionem habere potest, quae non essentialius dependeat a Deo* quam a creatura, nec sufficit conservatio virtutis suae a Deo, *nisi illa virtus moveatur ad suum actum et conjungatur illi mediante divina virtute, ut* saepe dictum est supra, nec oportet ulterius replicare (3).

(1) Subjicit hic (p. 479) R. P. longiorem notam, qua demonstrare conatur, Capreolum docere, futura contingentia a Deo cognosci in suis decretis. At duo tantum docet: 1) essentiam divinam esse Deo rationem cognoscendi omnia, quatenus est imitabilis ad extra; 2) nullum ens creatum repraesentari ea *ut existens* nisi cum dependentia ab aliquo decreto divinae voluntatis; quod utique verissimum est, sed causae Thomistarum nihil prodest. Idem enim etiam nos docemus.

(2) Objecerat Durandus l. 2, dist. 1, q. 5, n. 9 sqq (édit. Lugd. 1563) contra doctrinam D. Thomae *de Deo immediate agente in omni operatione creaturae haec:* « *Non eadem (actione agit immediate Deus ad productionem effectuum secundae causae, qua creatura). Primo* quia illam potest habere creatura sine speciali influxu Dei, supposita conservatione suae naturae et suae virtutis activae, *quia actio, quae non excedit virtutem speciei agentis sufficienter elicitur a sola virtute speciei ;* frustra ergo poneretur principium aliud immediatum eliciens talem actionem. — *Secundo,* quia impossibile est eandem actionem numero esse a duobus vel pluribus agentibus ita quod a quolibet sit immediate et perfecte, *nisi in illis sit eadem virtus numero.* Sed in Deo et creatura non potest esse eadem virtus numero; ergo impossibile est, quod eadem actio numero sit ab utroque immediate et perfecte. Actio autem creaturae immediate est a creatura et perfecte, cum non excedat virtutem suae speciei. Ergo eadem actio non est a Deo »..... —

« *Item nec alia,* quia aut una illarum actionum prius attingeret productum quam alia aut non, sed utraque simul. *Non una prius quam alia,* puta actio Dei prius quam actio creaturae, quia si Deus sua actione prius rem totam produceret, tunc creatura per suam actionem consequentem nihil faceret. Et e converso si actio creaturae praecederet actionem Dei ..... Item *nec utraque simul attingit productum,* quia si hoc esset, altera superflueret, cum una sufficiat ad totum producendum. — Et praeterea *actiones videntur esse idem realiter cum suis terminis,* unde et ab illis sumunt denominationem. Impossibile est ergo *ad acquirendum eandem formam numero* esse diversas actiones. Patet igitur quoad ea, quae producuntur per actionem creaturae, non producuntur a Deo immediate ».

(3) Duplex hic ratio innuitur, ob quam influxus Dei cooperans in omni operatione creati agentis secundum S. Thomam est necessarius: debet divina virtus creatam virtutem formaliter traducere de po-

« Ad secundam probationem dicitur negando majorem. Quia enim [quod] *eadem actio procedit a duobus immediate et perfecte a quolibet*, contingit non solum quando eadem virtus numero est formaliter in illis duobus, imo *quando unum agit in virtute alterius. Utrumque* agit perfecte quia totum effectum et quamlibet ejus partem *sufficienter producit in ordine suo,* immediate vero, quia causa prima immediata est effectui quoad virtutem, causa vero secunda immediata est quoad suppositum agens. — Item cum probatur, quod *nec duplici actione,* probatio nulla est, quia non ponimus, quod actio exterior primae causae sit ab actione causae secundae (quod utique absurdum esset), sed quia alia est immanens causae primae, quae est suum velle, alia est ab actione exteriore causae secundae. Hoc autem non sufficienter improbat arguens. Cum enim dicit, aut utraque actio simul attingit etc.; dico, quod simul tempore, sed prius natura actio primae causae attingit effectum quam actio causae secundae (1). Nec ex hoc sequitur, quod altera superfluat, ut supra dictum est, nec quod secunda causa nihil faciat. — Quia autem dicit, quod actio est eadem realiter cum suo termino, conceditur de actione transeunte, modo superius exposito non autem de immanente, quae habet terminum extra agens [adeoque virtualiter transiens est], ideo non ponimus ibi duas actiones transeuntes proprie, sed unam immanentem in Deo [virtualiter tamen transeuntem] et aliam [simpliciter] transeuntem a causa secunda in effectum. Et *dato quod poneremus duas actiones* [formaliter et simpliciter] *transeuntes*, sicut cum idem effectus producitur a sole et ab igne, quia in sole nulla est actio immanens, dicitur tunc quod solis et ignis *eadem est actio quoad absolutum actionis*, puta motum vel mutationem, sed *actio illa est duplex quoad respectum,* quia ille motus originatur a sole et ab igne, ideo tam sol quam ignis habent respectum originis activae ad illum motum, *et ita potest dici de causa prima et secunda, si teneatur, quod effectus procedit ab illis duplici actione exteriore* ».

Ex hoc loco Capreoli habemus, posse quidem in operationibus creaturae vere duplicem actum admitti, sed tum dumtaxat, quando praeter actionem Dei exteriorem, interiorem ipsius actum, qui est ipse Deus, *simul* consideremus. Si vero ab hoc interiore Dei actu abstrahimus, *una tantum actio exterior habetur, quae Deo et creaturae communis est;* duplex solum est haec actio quoad respectum, quem habet ad duplex immediatum principium suum, Deum et creaturam. Idem est autem haec Dei creaturaeque communis actio suo modo ac terminus productus.

Quaeritur, possitne Capreolus clarius pro sententia in Societate Jesu communi suffragium ferre? Quid enim haec aliud tradit, quam operationem creaturae et cooperationem Dei unam esse re actionem, quae a prin-

tentia in actum, debet insuper ipsam applicare ut vires proprias exerere possit. Cfr. 4us et 3us modus cooperationis Dei cum creatura operante in q. 3 de Pot. art 7. in corp.

(1) Hoc sane minus stricte intelligendum est. Nam cum actio Dei, quatenus transit, et actio creaturae secundum Capreolum hoc loco eadem et idem sit, inter eas proprie dicta naturae prioritas, quae undatur in habitudine causae ad effectum, esse non potest.

cipio duplici, Deo et creatura, ut a causis in suo ordine perfectis, immediate procedat, cumque termino producto aliquo tandem modo confundatur? Hoc autem illud ipsum est, quod hic tradit Capreolus.

Quid vero dicendum de Thomistis? In eorum sententia intervenit in omni creaturae operatione *duplex omnino actio, re adaequate inter se distincta*. Una procedit ab uno immediate Deo, productio praedeterminationis physicae; altera, quae sequitur, procedit a composito illo accidentali, a creatura mota praedeterminatione physica. Viget igitur inter principem veterum Thomistarum et inter recentiores Thomistas pugna aperta.

Unum quod hic explicatione indiget, est illud, qui Capreolus dicere potuerit, actionem primae causae *prius natura* attingere effectum, quam actionem causae secundae. Nam, ut in nota praecedenti explicatum est, proprie naturae prioritas ob rationem ibi allatam inter has actiones locum habere non potest. Proprie enim non duae sunt actiones, sed una est realiter actio. — Vindicanda est igitur primae causae illa prioritas naturae in operando, quae sita est in primae causae independentia in operando, quatenus ipsa quidem operans non dependet a sustentante et fulciente influxu alterius causae; causa vero secunda operari non potest nisi suo modo sustentata et fulta a prima. Insuper potest prima causa sua actione dici attingere prius effectum quam secunda causa, quoniam prima causa eum attingit sub ratione entis, secunda vero causa sub ratione talis entis. Prior autem est ratio entis quam talis entis. Sed cum haec saepius exposita sint, non oportet ea uberius explicare.

---

## ART. III

### BREVIS DOCTRINAE CAPREOLI RECAPITULATIO.

Operae pretium est, quas varias theses Capreolus docuit, et quibus totum systema Molinae quasi delineavit et praeformavit, simul hic omnes complecti oculisque legentium subjicere. Cernetur enim ita distinctissime, quam longe princeps Thomistarum ab illis sententiis abfuerit, quas posteriores Thomistae, quasi ex intima mente Aquinatis haustae sint, celebrant atque frequentant.

Statuit igitur Capreolus 1° *Deo in operationibus naturalibus creaturae nullam convenire ad extra actionem, quae ab ipsa actione creaturae entitative distinguatur,* sed *communem modum*, quo Deus creaturas in agendo juvet, esse *per solam cooperationem simultaneam* (2, dist. 1, q. 3, a. 3 c$^{a}$ 6$^{am}$ conclus.; 2, dist. 28, q. 1, a. 3 ad 12).

2° *Omnis influxus Dei realiter* et stricte *prioris in malas creaturarum actiones se adversarium declarat* (2, dist. 25, a. 1).

3° *Impossibilitatem recte agendi, quatenus ea homini peccanti aliquo modo adest, deducit ex una absentia congruae cogitationis* (ibid.).

4° *Secundum ipsum aliquo modo in potestate nostra est, ut Deus sit determinatus ad hanc praecise volitionem in nobis et nobiscum producendam* (ibid. a. 3; 1, dist. 45, q. 1, a. 2; 1, dist. 38, q. 1, a. 1).

5° *Non habet Deus absolutum prorsus volitionis nostrae liberae decretum, sed conditionatum, scilicet supposita determinatione voluntatis nostrae* (1, dist. 38, q. 1, a. 1).

6° *Vera definitio liberi arbitrii ea est, quam tradunt Molinistae, quamque aegre ferunt Thomistae recentiores: ut illud solum agens sit vere liberum in agendo, quod positis omnibus ad agendum necessariis potest agere et non agere* (1, d. 6, q. 1, a. 2).

7° *Voluntas, ut ad exercitium actus ipsa se determinet, non indiget alia ulla praevia determinatione praeter eam, quam possidet jam in ipso appetitu voluntatis ad proprium actum* (1, dist. 45, q. 1, a. 2 ad 4 arg. Aureoli c$^{a}$ 2$^{am}$ partem 3$^{iae}$ conclusionis).

8° *Praeterquam in primo actu indeliberato, quo voluntas in bonum in communi ut in finem fertur, in ceteris omnibus actibus determinatio ad exercitium actus, formaliter sumpta, ad unam voluntatem affectam ad finem pertinet in eaque sistit* (2, d. 25, q. 1), *idque valet facere voluntas ob eam, quae libero arbitrio innata est, activam vim ac virtutem* (2, d. 24, q. 1).

9° *Causa, quae effectum cum necessitate in ipsa posita producit, necessario eum producit* (1, dist. 38, q. 1, a. 1).

10° *Non possunt libera futura in ullis suis causis, quae ad eorum productionem concurrunt, determinate cognosci* (1, d. 38, q. 1, a. 2); *sed libera futura quemadmodum tunc solum, quando in seipsis sunt, habent esse determinatum, ita solum in seipsis possunt determinate et certe cognosci* (ibid. paulo ante).

Potestne recentior Thomista his thesibus quoad rei summam subscribere? Molinistas omnes omnibus sine detrimento systematis subscribere posse, patet. Quid igitur, si modo ipsi R. P. Dummermuth illud Leonis XIII acclamemus, quod ipse supra (1) nobis acclamavit, ut hauriat ex iis rivis, quos ab ipso fonte (S. Thoma) deductos, adhuc integros et illimes decurrere certa et concors doctorum hominum sententia est? (Encycl. « Aeterni Patris »).

(1) p. 465.

§ 4

## Franciscus de Sylvestris Ferrariensis. O. P.

### ART. I

#### DOCTRINA FERRARIENSIS EXPONITUR.

Pervenimus ad Ferrariensem, cujus commentarii in « Summam de Veritate Catholicae Fidei contra Errores Gentilium seu Infidelium » celeberrimi sunt et Summorum Pontificum Pii V et Leonis XIII judicio singulariter comprobati. Quid ergo hic in ea quaestione, quam tractamus, ut D. Thomae doctrinam tradidit?

R. P. Dummermuth eodem hic exordio utitur, quo disceptationem de Capreolo inchoavit. Profert in medium auctoritatem Suarezii [l. 3 de Gratia c. 29, n. 4], Molinae [Concord. q. 14, a. 13, disp. 26], Becani [de Deo Uno c. 18, n. 14 et 15]; Conimbricensium [In 8 libr. Phys. l. 2, c. 7, q. 13, a. 1], quasi hi omnes Ferrariensi attribuerint sententiam de physicis praedeterminationibus, quales eas profitentur recentiores Thomistae. Sed de hac re diximus supra pag. 370 satis, vidimusque non de praedeterminationibus illos id concedere, sed de praemotionibus, quod sane diversum est.

Age vero quamvis vel hoc ipsum in Capreolo plus fuisset concedere, quam objectiva rei veritas pateretur, Ferrariensi tamen videri potest ea sententia non plane immerito adscribi. Locus quidem primus, quem R. P. Dummermuth p. 485 ex commentariis Ferrariensis excitat [l. 3, c. 70], id minime evincit. « Nos dicimus, inquit Ferrariensis, virtutem divinam esse omnibus immediatam, quia videlicet per se omnem rem attingit, et nulla causa agit nisi in quantum virtus primi agentis eam *applicat* ad operationem, et ea utitur tanquam *instrumento* ». Haec enim enuntiatio aliud nihil est quam fere ad verbum repetitio eorum, quae in 3, qst. de Pot. q. 7 continentur; quo vero sensu a Ferrariensi ea proferantur, id ab ipso iis quidem verbis non explicatur, attamen eum a sententia D. Thomae nolle recedere, indubium est.

Graviora sunt haec, quae mox subdit ibidem § « Ad secundum dubium ». Ait etenim: « Est Deus in causis inferioribus *per modum operantis in illis*, licet non per modum formae inhaerentis. *Agit* enim immediate *quandam sui participationem in omnibus causis inferioribus et cum illa participata similitudine simul immediate ipsarum effectus attingit;* accipitur enim tanquam una virtus, ipsa virtus in Deo exsistens et ejus intentio in causis

inferioribus producta (1), sicut ars, quae est in mente artificis, et ejus intentio in instrumento recepta pro una virtute accipiuntur ».

Si haec apud Cajetanum occurrerent, nullum facescerent negotium; possent enim apud ipsum facillime et convenientissime *de actione creaturae formaliter sumpta explicari.* Nam potest profecto actio formaliter sumpta *quaedam Dei participata similitudo* appellari, quacum Deus simul attingat effectum causarum secundarum. Potest etiam, imo debet dici in sententia Cajetani, qui ut supra meminimus, vult omnem actionem, etiam transeuntem, esse primo *aliquid formaliter in agente,* Deum esse in causis inferioribus « per modum operantis *in illis,* licet non per modum formae inhaerentis », quatenus nimirum operationem vel actionem *in* illis et cum illis primum producit. Sed alterum hoc, quomodo in Ferrariensis de actione transeunte sententia, quae utique verior est, dici queat, non apparet. Ipsi enim actio, ut praecise actio est, secundum rem non est per se in agente, sed in passo, utut *ab* agente actio procedit. Cum igitur nihilominus velit, illam participatam similitudinem Dei, quacum immediate attingat Deus effectus secundarum causarum, fieri in ipsis causis secundis, videtur sane statuere, Deum, prius quam secundum agens aliquid agat agereque possit, aliquid in ipso praeagere, causam secundam hac ratione physice praemovere. Ita sane ex hoc loco Ferrariensis videtur esse dicendum. Num vero hoc plane conveniat cum iis, quae ad cap. 89 ejusdem l. 3 ad tertiam objectionem Scoti ait, id postea videndum. Modo id unum monemus, ne propter praemotionem illam concessam quisquam opinetur, Ferrariensem etiam praedeterminationem physicam profiteri. Certe non solum secundum conceptum immensum quantum haec ab illa differt, ut pluries docuimus, sed ipse insuper Ferrariensis hoc omnino cavit; clarissime l. 4, c. 22. Juvat hunc locum integrum hac occasione exscribere; continet enim plura, quae nostrae causae prosunt.

« Considerandum est, inquit Ferrariensis, quod dicitur aliquid *agi ad aliquid, quando ad aliquid agendum ab altero movetur.* Et *si quidem actio illi determinatur ab altero omnino, ita quod ipsum non sit indifferens ad agendum, sed agat praecise secundum inclinationem sibi ab altero ad unum determinatam, sic dicitur simpliciter agi;* sicut bruta dicuntur agi, inquantum sunt eis operationes a natura determinatae ad unum: *si autem actio non determinetur sibi ab altero,* sed sic quidem moveatur ab altero sive inclinetur ad agendum, quod tamen in potestate sua sit agere et non agere, sive agere hoc modo aut illo, *tale dicitur agi non simpliciter, sed secundum quid; quia non determinatur sibi actio ab extrinseco ad unum,* sed ipsum se determinat, sed tamen aliqualiter inclinatur ad agendum ab extrinseco.

« Quia ergo sic Spiritus Sanctus nos ad agendum inclinat, quod libere tamen operamur, et ex proprio arbitrio, tanquam habentes in nostra po-

(1) Adduntur haec a Ferrariensi explicationis gratia, ut intelligatur, quomodo aliquo modo vere dici possit, Deum cum participata illa similitudine ipsum *immediate* attingere effectus, cum *per illam* solum eos attingat.

testate sequi aut non sequi Spiritus Sancti inclinationem et motionem ; ideo dicimur ab ipso agi non simpliciter, sed secundum quid; propter hoc dixit S. Thomas, quod per Spiritum Sanctum quodammodo agimur, ut praecepta Dei impleamus ». Hucusque Ferrariensis; et, ut opinor, clarissime.

Principales vero hujus loci doctrinae duae sunt; *una : cui non determinatur actio ab extrinseco ad unum, id, utut aliqualiter inclinatur* et movetur i. e. praemovetur ab extrinseco ad unum hoc operandum vel volendum, *non agitur simpliciter, sed liberum in sua actione manet. — Altera doctrina haec est : cui vero determinatur (praemotione) actio ab altero omnino* i. e. ineluctabiliter, *id agitur simpliciter nec jam est liberum in agendo.*

Quis jam non videt, hic duo enuntiari: unum, *distingui a Ferrariensi praemotionem a praedeterminatione, ut aliquid ab ea plane diversum ; unde patet, etsi Ferrariensis l. 3, c. 70 praemotionem fortasse docuit, ideo nequaquam eum jam docuisse praedeterminationem.*

*Alterum : etiam hic professus est Ferrariensis, praemotionem talem, quae sit simul vere et proprie seu stricte praedeterminatio voluntatis ad unum simpliciter, tollere libertatem.*

At duo haec placita recentiori Thomismo plane opponuntur. Etenim volunt hi, idem plane secundum rem esse, creaturam a Deo praemoveri ad unum, et creaturam praedeterminari ad unum divinitus. Quod si secus esset, quomodo loci, in quibus S. Thomas nihil ait, nisi unum hoc, Deum movere omnem creaturam ad agendum, pro demonstranda praedeterminatione physica ab iis adhiberi possent? Id etiam pluries R. P. Dummermuth explicite fassus est. — Porro negari non potest, si eos tamen consulimus scriptores, qui apud Thomistas maximi fiunt, Bannez, inquam, Alvarez, Avilam, alios, non illos, qui sibi hac aetate novum quendam condunt Thomismum, negari, inquam, non potest, hos omnes scriptores velle atque statuere, etsi alicui agenti particularis actio extrinsecus determinetur vel praedeterminetur omnino atque ineluctabiliter, agens nihilominus liberum in ea actione exercenda esse posse.

Neve dicas, quaeso, idem etiam statuere multos e Societate Jesu scriptores. Concedunt quidem hi omnes, posse alicui agenti particularem etiam actionem extrinsecus determinari i. e. *praedefiniri* sine detrimento libertatis; at tunc *de divino solo decreto* loquuntur, eoque sub lumine scientiae mediae concepto; nunquam id concedunt de determinatione, quae sit vera inclinatio physica ipsi agenti ut subjecto inhaesionis indita, qua hoc ab alio ad unum physice determinetur, quaque intrinsecus non solum quomodocumque agatur, sed ad unum agendum *ineluctabili vi* propellatur.

Manet ergo exploratum, Ferrariensem docuisse clarissime, *praedeterminationes physicas ad unum simpliciter non posse componi cum libertate agentis*, nam si aliae ullae, hae profecto praedeterminationes sunt aliquid agenti secundo ut subjecto extrinsecus vere inditum, quo hoc praemovetur et praedeterminatur ad unum agendum prorsus et ineluctabiliter.

Quid vero ad haec R. P. Dummermuth? — Nescio quid jam sit respon-

surus ad ea, quae exposui; timeo vero ne respondeat: « haec esse prorsus ridicula ». Ita enim R. P. ad eam, quae olim a R. P. Schneemann data est, expositionem respondit (1). Dixerat P. Schneemann, « Ferrariensem docere, liberam voluntatem et sequi posse motionem Dei supernaturalem et resistere; non omnino a Spiritu Sancto determinatam esse actionem, ut homo agat praecise secundum inclinationem sibi ab illo ad unum determinatam, sed eum aliqualiter tantum inclinatum ad agendum, ut et obsequi et resistere in ipsius sit potestate. Quibus verbis et refutatur et negatur doctrina praedeterminationis ». — Suntne haec fortasse evidenter falsa? Taliane sunt, ut a recentiore Thomista risu excipi et explodi possint? annon plane gravissima sunt, ex quibus vere probabili ratione se expedivisse hucusque Thomistas plerique non vident? Estne in ipsorum sententia adeo evidens, etiam sub gratiae efficacis influxu, quae est praedeterminatio physica supernaturalis ad unum simpliciter, liberum arbitrium motum et excitatum a Deo posse dissentire (resistere), si velit; prout id definivit Tridentinum sess. 6 can. 4 (2) ?

Ex ceteris, quae R. P. hac eadem occasione profert, paucissima sunt, quae vel leviter tangant sive R. Pis Schneemann sive nostram loci propositi explicationem (3). V. g. nullius momenti illud esse censemus, quod sibi significandum statuit R. P., *hominem non* dici simpliciter *agi, sicut bruta dicuntur agi in quantum his operationes a natura* ad unum determinatae sint. Nam hoc unum modo quaeritur, num secundum Ferrariensem dicendum sit, *homines agi simpliciter*, etsi ipsis operationes non sint *sicut brutis animantibus a natura* determinatae ad unum, *si* revera agerent seu potius *agerentur secundum inclinationem sibi ab alio ineluctabiliter ad unum determinatam*. Hoc porro manifesto secundum Ferrariensem affirmandum est (4). Quid ergo ad rem facit, sintne homines ita naturaliter an alia quadam via ab alio determinati?

Aliud quoque quod R. P. addit: hominem ita divinitus determinari, ut absolute tamen deficere possit in producendo: hoc, inquam, si prouti oportet intelligitur de homine sub praedeterminatione physica constituto, secundum explicitam doctrinam ipsius R. P. Dummermuth alias traditam evidenter falsum est, ut nihil respondere oporteat.

Nec majoris roboris illa sunt, quae R. P. ( p. 468 ) ex commentariis Ferrariensis ad l. 3 c. 89 decerpsit. Id jam inde merito concluditur, quod ad easdem ex Scoto objectiones quas supra ( p. 380 sqq. ) Capreolum commemorantem audivimus, eadem fere, quae ibi ille, hic Ferrariensis

(1) p. 494.

(2) Cfr Patric. Murray Tract. « de Gratia » disp. 8.

(3) Nos paululum differre in textu enarrando a P. Schneemann, non minime inde oritur, quod P. Schneemann studium versabatur circa quaestionem de gratia efficaci ut sic, nos vero, quia ita causam agere R. P. Dummermuth placuit, unam potissimum quaestionem generaliorem de physica praedeterminatione ad *omnem* actum creaturae ex Thomistarum sententia necessaria tractamus.

(4) Scilicet quod attinet ad spontaneitatem et libertatem; differentias enim alias easque permagnas intervenire, nemo negat.

respondet. Imo tanta est responsionum utriusque similitudo, ut evidens sit, Ferrariensem responsa a Capreolo olim data sub oculis habuisse eaque in suum transtulisse.

Inducit autem R. P. ea, quae a Scoto contra doctrinam S. Thomae opponuntur, hoc enuntiato: « Argumenta haec (Scoti) impugnant motionem divinam praedeterminantem ». Si non loquentis intentionem, sed sola verba respexeris, possit hoc callide dictum videri. Etenim si Scotus, hanc S. Thomae doctrinam impugnans, impugnavit revera praedeterminationes physicas, evidens est, has hoc capite a S. Thoma tradi.

At Scotus impugnavit nihil, nisi id, quod S. Thomas, atque Ferrariensis Thomam interpretans, statuit, « habere (voluntatem) alios actus liberos (praeter necessarios), eos videlicet, *ad quos ipsam movet Deus non tanquam necessario volentem, sed libere:* sicut sunt actus circa ea, quae sunt ad finem, sine quibus finis haberi potest ». Ergo non praedeterminationes physicas impugnavit Scotus, quae ipsi, non minus quam D. Thomae, ut multis de causis censemus, erant ignotae sensu Thomistico; *sed immediatam motionem Dei* in singulis voluntatis actibus, *etiam liberis*, intervenientem *impugnavit.*

At tempus est, ut ipsas objectiones Scoti, responsionesque Ferrariensis audiamus. Exstant objectiones apud Scotum 2, dist. 37 in 2 quaesito. Ita eas refert Ferrariensis:

« Primo: *Nulla potentia habet perfecte in sua potestate effectum qui non potest causari ab ea immediate, nec ab aliqua causa, cujus causatio non est in potestate illius potentiae*, quia quod habet perfecte effectum in sua potestate, potest se solo in illum; vel causatio cujuslibet concurrentis est in ejus potestate. *Sed causatio Dei non est in potestate voluntatis creatae.* Ergo si Deus necessario concurrat immediate ut causa, scilicet immediata respectu volitionis creatae, voluntas creata non habet plene in sua potestate illam volitionem: hoc est falsum; ergo etc. ».

« Confirmatur: Quia *quod ab alio determinatur ad aliquid*, non habet perfecte illud in sua potestate ».

« Secundo: Illud non est contingens propter habitudinem sui ad aliquam causam, *ad cujus eventum causa superior est determinata, cujus causae determinationem necessario sequitur determinatio omnium causarum inferiorum.* Sed si voluntas divina est causa immediata meae volitionis, jam est aliqua causa determinata respectu ejus, scilicet voluntas Dei; et determinationem ejus necessario concomitatur determinatio voluntatis meae respectu ejusdem. Igitur illud velle non est contingens; hoc est falsum, ergo etc ».

« Tertio: Cum Deus sit causa prior voluntate, quaeritur *an in illo priori signo Deus causet immediate rectitudinem perfectam in velle, an non.* Si primum, sequitur quod voluntas in secundo signo non peccat; quia non causat in effectu oppositum ejus quod prima causa causat. Si secundum, idem sequitur, quia non potest in velle rectum; non habendo autem velle rectum, si habere non potest, non peccat. Sequitur ergo quod voluntas peccare non potest ».

« Quarto: Tunc *Deus esset totalis causa volitionis;* ergo voluntas nullam haberet causalitatem supra volitionem: quia cum totali causa alicujus nihil aliud potest causare in eodem genere causae ».

« Quinto: Aliqua est totalis causa sui effectus: ergo etiam voluntas: ergo Deus non causat immediate volitionem ».

Hucusque objectiones Scoti. Sequitur Ferrariensis responsio:

« Ad omnia ista argumenta patet faciliter responsio ex iis, quae superius in 1 lib. de scientia et voluntate sunt determinata. Verumtamen, ut etiam magis eorum inefficacia constet, supposito bono intellectu conclusionis, scilicet quod Deus immediate causat actum voluntatis immediatione virtutis, non autem immediatione suppositi (1), sicut et de actibus aliarum virtutum superius est ostensum; voluntas autem causat ipsam volitionem immediate, immediatione suppositi, non autem immediatione virtutis; dicitur ad primum, quod habere perfecte in sua potestate effectum, dupliciter potest intelligi: uno modo, *quia illum potest producere et non producere, et a nulla alia causa dependentiam habet in illius effectus productione;* et *sic neque voluntas,* neque quaecumque alia causa creata *habet effectum perfecte in sua potestate*, quia omnis causa creata necessario dependet a prima causa, sicut in essendo, ita et in causando. Alio modo, *quia potest producere effectum et non producere, supposita prima causa a qua dependet, et a nulla causa ad producendum, aut ad non producendum necessitatur:* et sic conceditur quod voluntas habet perfecte in sua potestate volitionem suam; et ad hunc sensum negatur major: *stant enim simul quod aliqua causa secunda, secundum se et absoluta, possit producere et non producere effectum, et tamen causatio alterius superioris causae non sit in ejus potestate;* quia, ut in superioribus est ostensum, *stat libertas secundae causae cum necessitate immutabilitatis, sive cum necessitate suppositionis primae causae.* Ad probationem negatur assumptum. Non enim oportet ut quod habet in potestate suum effectum, illum se solo omnino possit efficere; sed sufficit, ut *se solo tanquam proximo agente* possit illum efficere; nec etiam exigitur ut causatio cujuslibet concurrentis sit in ejus potestate, sed sufficit ut in ejus potestate sit causatio causae concurrentis sui ordinis, quae scilicet sit causa proxima ».

Vides jam, verum esse quod diximus. Responsio enim haec Ferrariensis cum responsione Capreoli ad amussim convenit. Cfr supra p. 382 sq. Duo enim ad elevandam Scoti objectionem affirmat, unum: esse duo genera libertatis in agendo, unum cum absoluta et perfecta independentia a superiore aliqua causa; alterum, quod quidem omnia habeat, quae essentialiter de ratione omnis liberi arbitrii sint, at ea habeat cum dependentia a prima causa. Alterum vero, quod contra objectionem Scoti affirmat, est

(1) Scl. hoc ita est, quia secundum Ferrariensem ad l. 3, c. 70 immediatio suppositi in agendo non usuvenit, nisi ubi omne inferius suppositum in effectum immediate influens excluditur. Neque tamen hoc quidquam impedit, quin Deus alio sensu positivo dicatur vere immediatione suppositi agere, prout etiam P. Dummermuth fatetur.

hoc: ea, quae omni libertati in agendo essentialia sunt, adesse in nobis posse, etsi causationem superioris causae, a qua in agendo dependemus, in potestate nostra simpliciter non habemus. Quid ita? quia illa superior causa, nempe divina, circa causas liberas ab aeterno determinata est una necessitate immutabilitatis et suppositionis. Scilicet quamvis divina dispositio circa rationalem creaturam nec fallatur nec mutetur, sed certissime eveniat id, quod Deus evenire ab aeterno aut positive voluerit aut saltem permiserit, tamen quia decreta sua accommodavit naturis rerum, nec de causis necessariis vult colligere fructus liberos, ideo omnia ita temperavit atque moderatus est, ut motus suus atque influxus, etiam libero agenti necessarius, licet certissime adducat id, quod ipse vel absolute voluerit vel saltem prospexerit et permiserit, id tamen intacta libertate rationalis creaturae adducat. — Haec sine dubio est mens hujus responsi, prouti etiam evidentius colligitur, quando comparaveris ea, quae Ferrariensis adnotavit ad cap. 85 l. 1 § « Sed dubium difficillimum occurrit ». Vide etiam sequens responsum. — Cfr quoque S. Thomas ibid. l. 1, cp. 83, n. 4. — Quid vero ex hac doctrina contra nos sequitur? nihil prorsus. Unum quod possit concedi est hoc, difficultatem Scoti non esse hoc responso funditus et in particulari solutam, sed potius generali quadam ratione expeditam, quae tamen optime cum principiis Molinismi conveniat.

« Ad confirmationem patet per idem: *quia potest aliquid determinari ab alio ad effectum, et tamen habere illud in sua potestate,* secundo modo superius dicto; *eo quod causa prima movet unamquamque causam secundam ad suum effectum secundum conditionem ipsius causae secundae:* causam enim non potentem deficere, sic ad suum effectum determinat, ut ipsum necessario absolute producat; causam autem, quae deficere potest, *ita determinat, ut tamen absolute* deficere possit in producendo [intellige: etiam supposita determinatione] ».

Negat igitur Ferrariensis assertum Scoti, determinationem per Deum nostram tollere libertatem, quia, num vere affirmetur, determinationem per alium tollere libertatem arbitrii a nobis necne, id *totum pendeat a modo, quo haec per alium determinatio intelligitur:* Si illa determinatio formaliter intelligitur et ut praecise *stricte dicta* ad unum simpliciter *determinatio vel praedeterminatio* est, sane libertatem tollit, ut ipse Ferrariensis testis est ad l. 4, c. 22, quemadmodum supra vidimus.—*Sin vero determinatio illa non intelligitur ita, sed eo tantum modo, qui necessarius est, ut* 1° *voluntas possit dici movens mota servetque essentialem dependentiam in actibus suis a Deo; et ut possit* 2° *consequi Deus id omne infallibiliter a voluntate creata, quodcumque ipse consequi ab ea absolute voluerit:* si ita, inquam, determinatio intelligitur, nullum ipsa infert detrimentum libertati nostrae.

Sed quo tandem jure ita interpretamur verba haec Ferrariensis? Primo, quia hoc sensu de determinatione locutus est Scotus, quemadmodum id videri possumus ex modo, quo Capreolus supra p. 382 plenius hanc Scoti objectionem refert. Ad mentem autem Scoti certe Ferrariensis suum re-

sponsum accommodavit. Secus si esset, non ad objectionem Scoti, sed ad aliud aliquid respondisset, quod in quaestione non versabatur. Deinde vero ea, quae Deo ex sua et Scoti mente tribuenda sit humanae voluntatis determinatio, haec duo tantum momenta complecti, etiam ipsa verba Ferrariensis hoc loco satis indicant. Nam determinatio, quae Deo relate ad voluntatem tribuenda est, utique motus aliquis voluntatis est, talis tamen motus est, qui conditioni ejus adaptetur. Quare « causam, quae [natura sua et secundum se] deficere potest », tali modo movet Deus actualiter, ut [sub ipsa hac motione] « absolute deficere possit in producendo », licet reapse non deficiat.

Contentus est ergo Ferrariensis hoc duplici determinationis genere ; nec ut causae secundae ulla via, sive ipsa natura sive aliter, *omnino* praedeterminentur a Deo, exigit. Imo hoc exigere prorsus non potuit, nisi ipse sibi plane dissentire volebat. Constat enim ex commentariis ejus ad l. 4, c. 22, cum perfecta praedeterminatione ad actum aliunde proveniente secundum ipsum liberum arbitrium non componi.

Patet autem porro, hoc utrumque determinationis genus convenire Deo etiam in systemate nostro. Etenim 1° volumus omnino atque statuimus, non posse se determinare creaturam ullam, nisi simul condeterminante Deo. Quod fit concursu simultaneo et indifferenti. Hoc enim concursu Deus illud accidens, quo se formaliter creatura determinat, simul cum ea producit, nec creatura id producere potest nisi pendens et mota a Deo. — Deinde vero 2° etiam determinationibus seu praedeterminationibus *imperfectis*, vel accuratius in particularem actum in voluntate productis inspirationibus et inclinationibus potest Deus inclinare eam cum infallibili efficacia in omne id, quod ipse voluerit ; non quod hae inclinationes vere et proprie voluntatem in unum praedeterminent ; sed quia Deus infallibiliter praescit, quid creatura omnis, etiam libera, sit in omni eventu vel actura vel electura, dummodo in certis conditionibus ad agendum plene sufficientibus neque tamen omnino praedeterminantibus, constituta sit.

Quomodo ergo ea quae hoc loco traditur doctrina nobis non summopere favet? Explicamus omnia luculenter. Neque tamen Ferrariensem ullo modo secum ipsum committimus ; quod utique faciunt recentiores Thomistae, qui hunc locum ita interpretantur, ut hic asserat commentator, perfectas praedeterminationes voluntati aliunde ad unum provenientes, simul componi atque stare cum libertate arbitrii nostri in agendo. Quod cum ad l. 4, c. 22 plane negaverit, liquet secundum eos Ferrariensem contradictoria diversis locis tradere.

Insuper si sic esset, vocem determinationis alio hic sensu in responsione Ferrariensis intellexisset, quam in objectione Scotus eam intellexit ; quod vitium commisisse tantum Doctorem, credibile minime est.

« Ad secundum dicitur primo, verba sunt Ferrariensis, quod utique *non dicitur aliquis effectus contingens in ordine ad voluntatem nostram tan-*

*suam ad primam radicem contingentiae et libertatis*, sed in ordine ad sapientiam et voluntatem divinam, ut superius est ostensum, inquantum scilicet Deus determinavit aliqua quidem evenire necessario, et istis dedit causas necessarias; alia vero evenire contingenter, et istis dedit causas contingentes. Dicitur secundo, quod major est falsa de causa superiori, *quae est determinata non necessario absolute, sed voluntarie, et est causa effectus aliarum causarum tam secundum esse quam secundum modum necessitatis aut contingentiae.* Isto enim modo Deus est causa determinata ad productionem creaturarum, quia videlicet *libere se determinavit* ad ipsarum productionem, cum posset absolute oppositum determinare, modo in superioribus ostenso, licet ista determinatio sit necessaria necessitate immutabilitatis. *Item determinavit* [*scil. apud se*], *ut talis effectus necessario, talis vero contingenter eveniat, et ejus determinationem* [*internam et apud se*] *sequitur determinatio omnium causarum:* quia videlicet effectus, quos determinavit per istas causas evenire necessario, ipsae causae necessario producunt; illos vero, quos determinavit per illas causas contingenter et libere evenire, ipsae causae efficiunt contingenter. *Cum ista tamen contingentia absoluta effectus in ordine ad suam causam proximam*, superius est ostensum, *stare necessitatem suppositionis, qua dicitur effectus contingens evenire necessario et infallibiliter, supposito quod Deus velit illum evenire voluntate consequente et voluntate completa* ».

Hic duo adnoto. Atque primum quidem, nihil prorsus in omnibus his contineri, quod ullo modo faveat causae praedeterminationum physicarum. Id, quicunque perspicit valorem terminorum, facile videt. Est autem quoad substantiam idem prorsus responsum, quod Capreolus supra dedit ad tertiam objectionem Scoti pag. 385. — Alterum etiam hic negligendum non est. Ostendit enim hic locus, Ferrariensem longe aliter ac recentiores Thomistas ordinem decretorum divinorum de nostris futuris actionibus concepisse. Cur enim vult futurum eventum locum habere, « supposito, quod Deus velit illum evenire *voluntate consequente* et voluntate completa » ? Quid est illud, quod voluntas Dei sequitur? Puto sane decretum Dei de futuro nostro actu *sequi praevisionem determinationis nostrae;* quae nimirum determinatio reapse locum habitura sit, *dummodo* voluntati nostrae nihil eorum, quae ad agendum ei necessaria sunt, defuerit. Quorum est haec doctrina? Thomistarum an Molinistarum?

Dices: Asseritur tamen, Deum determinare *omnes* causas. Respondetur: accommodate semper ad earum naturas, concedo; secus, nego.

« Ad tertium dicitur, quod *non datur ex parte rei aliquod signum prius, in quo Deus ante ipsam voluntatem producat volitionem nostram. Si* autem sit sermo *de prioritate secundum nostrum modum intelligendi,* dicitur quod *in illo priori,* in quo intelligimus volitionem quae est peccatum, terminare actionem divinam antequam a voluntate producatur, *Deus dat volitioni perfectam bonitatem* quae nata est sibi convenire *secundum suam entitatem absolutam et in ordine ad Deum,* non autem illam quae nata est sibi con-

venire inquantum ab humana voluntate procedit. Cum infertur ex utroque membro quod tunc voluntas in secundo signo non peccat, negatur consequentia. Ad primae consequentiae probationem dicitur, quod illa deformitas quae convenit actui volitionis, ut a voluntate humana dependet, non opponitur bonitati et rectitudini quam Deus in illo actu causat, sed rectitudini quam causat humana voluntas: bonitas enim naturae et in ordine ad Deum, *et malitia moralis quae sumitur ex ordine ad voluntatem creatam*, non opponuntur, immo unum fundatur in alio; sed bene opponuntur bonitas ex voluntate humana, et malitia ex eadem proveniens circa eumdem actum. Ad secundae consequentiae probationem negatur, *quod secundum istam intellectus considerationem non possit voluntas in aliquid quod causa prior in primo signo non produxit, immo potest in rectitudinem quae nata est convenire ut a voluntate humana producitur:* talis enim bonitas est habitudo ad regulas rationis secundum quas debet humana voluntas regulari: *non inconvenit autem actum aliquam habitudinem habere secundum quod procedit ab humana voluntate, quam non habet secundum quod a Deo procedit: quia non producit ipsum actum volitionis nostrae tanquam per ipsum formaliter volens,* sicut voluntas humana ».

In hac solutione ad tertiam Scoti objectionem Ferrariensis primo loco idem responsum dat, quod supra dedit primo etiam loco Capreolus (p. 382). Ex quo responso, si quidquam sequitur, illud est plane contra doctrinam Neo-Thomistarum et pro nobis. Nam si « non datur ex parte rei aliquod signum prius, in quo Deus ante voluntatem creatam producat volitionem nostram », videtur satis evidenter sequi, Deum nec praemovendo nec praedeterminando producere volitionem nostram, saltem malam. Si enim vere praemovendo ac praedeterminando eam produceret, profecto in signo aliquo priore a parte rei eam produceret. Hoc igitur primum et principale Ferrariensis ad hanc difficultatem Scoti responsum Molinistarum doctrinae prorsus convenit, adversatur Neo-Thomistis.

Secundarium quoddam responsum adjungitur. Id admittit *prioritatem quandam signorum, sed solum secundum nostrum modum intelligendi*, in quo iterum cum Capreolo Ferrariensis consentit. Ceterum in hoc secundo responso Ferrariensis accuratius quam Capreolus difficultati Scoti inhaeret atque magis directe ad eam respondet. Fecerat Scotus duas suppositiones: unam, Deum causare in priore signo rationis immediate rectitudinem perfectam in velle, alteram, id non facere Deum. Si Deus prius facit, arguerat Scotus, non posse in posteriore signo hominem in oppositum ejus, quod Deus fecit; adeoque non posse hominem in eo signo peccare. Sin vero rectitudinem perfectam in priore signo rationis non causavit Deus, rursus homo peccare non potest, utpote qui rectitudinem perfectam actus ob defectum operationis divinae in priore signo habere jam in posteriore signo non possit. Respondet ad hoc Ferrariensis, in utraque suppositione Deum ex parte sua producere, quod perfectum bonum sit secundum se. Quod deinde ad priorem suppositionem in specie attinet, distinguendam

esse in operationibus voluntatis nostrae entitatem actus absolute spectatam, et eandem spectatam relative seu in ordine ad hominem operantem. Priore sub respectu ut dictum est, dat ei Deus bonitatem perfectam, non sub posteriore respectu. Cum autem malitia moralis actui humano praecise ab homine agente proveniat; nihil repugnare asserit, ut Deus aliquid ex parte sua perfecte rectum causet, quod tamen idem prouti ab humana voluntate procedit (eamque informat), rectum minime sit, adeoque rectitudine humana et morali careat; imo ut duo haec inter se pugnent, a besse tantum, ut malitia humana actus in ejus bonitate absoluta, quam a Deo actus habeat fundetur.

Quid est in hoc responso, quod sonet, vel saltem ullo modo indicet, praedeterminationes physicas Thomistarum? Imo potius *quaedam* hominis in operando a Deo *independentia* hac ratione adstruitur; potest enim homo operationi suae quoddam momentum inferre, quod praecise a solo homine est, a Deo non est, prouti Molinistae contra Thomistas id contendunt.

Sed multo magis apparebit, Ferrariensem a praedeterminationibus physicis Thomistarum alienum fuisse, quando ea consideraverimus, quae ad alteram Scoti suppositionem in particulari respondet. Ibi enim Ferrariensis prorsus manifestat, quid sentiat. — Quod a Deo in operationibus nostris in priore signo rationis absolute bonum fit, id secundum Ferrariensem hujusmodi est, ut cum eo possit componi nostra in secundo signo et mala actio et bona actio, et haec et illa actio. Etenim ipso auctore potest voluntas secundum istam intellectus considerationem in posteriore signo « in aliquid, quod causa prior in primo signo non produxit, imo potest in rectitudinem quae nata est convenire, ut a voluntate humana producitur ». Quibus verbis et confirmatur id, quod supra de quadam hominis in operando a Deo independentia diximus, et amplius id probatur, quod modo diximus, posse componi cum eo, quod prima causa in priore signo rationis secundum se bonum produxit, non solum nostram actionem vel bonam vel contrariam, sed hanc et illam actionem. Unde plane consequitur, id, quod Deus producit in signo rationis priore, quam actio ex parte nostra consideratur locum habere, secundum Ferrariensem aliqua ratione *indifferens esse* ad determinationem vel hanc vel illam vel etiam oppositam ab humana voluntate accipiendam. Hic autem cooperationem Dei concipiendi modus cum eo quidem, qui apud Molinistas viget, profecto congruit, praedeterminationibus vero physicis recentiorum Thomistarum e regione opponitur. An quid potest illis praedeterminationibus ad unum opponi magis quam haec cooperationis Dei indifferentia? Quae cum ita sint, nova iterum via constat, recentiores Thomistae quantopere a veteribus eorumque placitis deflexerint, ut Molinistae quodam sensu verius Thomistae sint quam ipsi recentiores Thomistae. Non enim excoluerunt hi ea, quae veteres delineaverunt, sed prorsus novum substituerunt; illud vero fecerunt Molinistae.

Addam unam quaestionem. Ultima, quam pronuntiat Ferrariensis in hoc

responso, sententia quid juvaret ad Deum ab omni culpa in malis nostris actionibus eximendum, si illud statim oggerri posset: verum quidem est, Deum quidem non producere actum volitionis nostrae sic, ut per illum ipse formaliter volens evadat; at ipse vera et propria causa est, cur illud praecise, quod moraliter malum est, nos velimus? Haec autem obvia est contra argumentum Ferrariensis responsio et plane efficax in systemate praedeterminationum physicarum, quale a recentioribus Thomistis defenditur. Ceteroquin conferantur hic, quae nos supra explicantes testimonium Capreoli ad 2 Sent. dist. 37, q. 1 diximus. Non levem illa ex hoc loco Ferrariensis hauriunt confirmationem (p. 376 sq.).

« Ad quartum dicitur, inquit Ferrariensis, quod causa totalis potest dupliciter accipi. Uno modo pro causa quae se sola operatur, omnemque aliam causam excludit; et tunc negatur antecedens. Quamvis enim Deus actum voluntatis producat immediate, non tamen est isto modo causa totalis; imo secum assumit ipsam voluntatem ad causationem illius actus: sic autem est causa totalis eorum, quae per creationem producit, quia in creatione nullam creatam causam assumit. Alio modo pro causa sufficienti in suo ordine, et tunc negatur consequentia: cum causa enim sufficienti in uno ordine, stat causa sufficiens alterius ordinis; et sic cum causalitate primae causae, stat causalitas alterius causae tanquam causae proximae ». Haec omnia etiam nos dicimus. —

« Per hanc distinctionem patet solutio ad quintum. Nam si accipiatur totalis causa primo modo, sic antecedens est falsum: nulla enim causa creata potest agere non concurrente prima causa, et sic nulla est causa totalis isto modo. Si autem accipiatur secundo modo, negatur ultima consequentia; licet enim voluntas sit causa sufficiens suae volitionis tanquam causa proxima, non tamen excluditur quin Deus ad illam tanquam prima causa concurrat ». Liquet, etiam haec concordare prorsus cum doctrina nostra.

Nunc, quae R. P. Dummermuth ad haec habeat dicere, audiamus. « Docet ergo, inquit p. 491, Ferrariensis expressis verbis, Deum *praevie movere et determinare omnes causas creatas,* etiam liberas, ad suos actus, unamquamque juxta propriam conditionem et modum. Causam necessariam, quae deficere non potest, Deus sic ad suum effectum determinat, ut ipsum necessario absolute producat; causam vero liberam et contingentem, quae deficere potest, Deus ita determinat, ut tamen absolute deficere possit in producendo ».

Ubi, quaeso, R. P. hoc « praevie » relate ad *omnes* causas hic detexit? Fortasse quia Ferrariensis dixit, posse *mera consideratione, non re,* concipi Dei operationem ut priorem nostra? Sed hoc profecto etiam minus quam labile est. At demus ei, hic etiam Ferrariensem docere vere et realiter praeviam motionem causarum secundarum, ut eam docuisse videtur l. 3 c. 70, numquid ideo docuisset perfectam praedeterminationem omnium harum causarum per Deum? Hanc saltem Ferrariensem hoc loco non docere,

evidens est. Porro nostra cum Thomistis controversia non adeo est de praemotione causarum secundarum per Deum, quam de earum per Deum praedeterminatione physica.

Nolo hic negligi omnino, aliud quoddam Ferrariensis dictum l. 2, c. 67: « Ad secundum (scl. Scoti) dicitur, quod causa prima producens effectum mediante causa secunda non in aliqua priore duratione attingit effectum, in qua non attingitur a causa secunda, licet dicatur *prius agere in quantum secunda non agit nisi in virtute primae; unde non oportet, ut effectus in aliquo priori instanti habeat necessitatem a causa prima,* sed simul productus a causa necessaria et contingente propter causae secundae contingentiam et ipse contingentiam habet ». — Si Ferrariensis ullo modo praedeterminationes physicas in mente gessisset, nunquam eam quam distinxi sententiam scribere potuisset. Habuisset enim effectus, ut ipsi recentiores Thomistae docent, prius necessitatem a causa prima.

Priusquam ad alia progrediamur, in memoriam revocandum aliquid, de quo supra pluribus egimus. Etenim recentiores Thomistae illo S. Thomae: « motio moventis *praecedit motum mobilis ratione et causa* », veluti praecipuo quodam fundamento nituntur ad suam stabiliendam atque persuadendam sententiam. Hoc ipsum autem Aquinatis dictum, secundum recentiores Thomistas stricte omnino accipiendum et maxime verum, sicuti supra p. 254 sq. vidimus, ea ratione Ferrariensis l. 3, c. 149 interpretatus est, ut late accipiendum sit et improprie. Unde placitis Thomistarum stabiliendis nullo pacto inservire potest, potest vero inservire nostris.

Solent enim Thomistae, quemadmodum pluries ex ore R. Patris Dummermuth id percepimus, hoc fere modo arguere: Secundum S. Thomam movet Deus omnes causas secundas. Ergo praemovet, imo praedeterminat eas. Prior consequentia ab iis probatur: « Motio moventis, inquit S. Thomas, *praecedit* motum mobilis ratione et *causa* ». Ergo cum actio creaturae sit motus mobilis, haec motionem moventis Dei non solum secundum modum considerandi (« ratione »), sed re etiam (« causa ») sequitur. Ergo omnis secundae causae per Deum motio est praemotio. Porro cum sit in objectum determinatum motio, et effectu carere Dei motio non possit, est etiam praedeterminatio physica ad unum.

Haec ultima consequentia duobus falsis suppositis nititur. Etenim supponitur 1°, quasi omnis Dei ad aliquid determinatum motio sit necessario absoluta ad hoc aliquid motio, et non possit esse conditionata tantum; supponitur 2°, non posse Deum finem absolute intentum consequi infallibiliter, nisi iis rebus, quae de se et natura sua effectum intentum inferant, quorum neutrum est verum.

*Sed ipsa etiam prior consequentia ex illo principio S. Thomae nulla est,* si tamen Ferrariensi interpretanti fidem adhibemus. Postquam enim primo ostendit Ferrariensis, quomodo aliquo tandem modo vere (1) dici illud queat,

(1) Vide supra p. 256 sq. Cfr. etiam p. 84 et 86 ubi hunc locum re'ulimus.

motionem moventis *ratione* motum mobilis praecedere, jam accedit ad explicandum, quì causa et causalitate motionem moventis praecedere motum mobilis *dici* possit: « Dicitur etiam, inquit, praecedere, causa i. e. causalitate, *non quia* (motio moventis) *sit vera causa effectiva* motus mobilis, quia *cum eadem res sit motio moventis et motus mobilis,* quantum ad id, quod *in recto* dicunt, *unum non potest esse alterius causa effectiva realiter*, sed *eo modo, quod id, quod alteri secundum modum considerandi praesupponitur, ut sic, dicitur prius causalitate;* potest etiam dici quod intelligitur hoc de motione et motu *quantum ad habitudines*, quibus inter se formaliter distinguuntur, non quidem sic quod una sit alterius causa, sed quia una est conditio agentis, alia vero conditio patientis ; causa vero agens est prior causa patiente et materiali ».

Quorsum haec hoc loco recolimus? Quia de Ferrariensi agimus, utque ostendamus, ejus non solum formaliter dicta repugnare praedeterminationibus physicis, sed eundem illud etiam S. Thomae principium, quo uno praecipue ad suam stabiliendam sententiam continenter utuntur Neo-Thomistae, ita interpretari, ut ipsis plane inutile, imo adversum evadat. *Quî enim in sententia recentiorum Thomistarum una res est motio moventis et motus mobilis?* Imo evidenter duae res sunt, praedeterminatio et creaturae a Deo praedeterminatae actio. Nostris autem placitis plane consentanea est haec Ferrariensis doctrina. Quae cum ita sint, magis magisque patet, Ferrariensem a nostris partibus stare, nostramque doctrinam nihil esse aliud nisi explicationem luculentiorem et uberiorem veteris scholae Thomisticae.

In fine tandem hujus qualiscunque de doctrina Ferrariensis disceptationis non prorsus silentio premendum, eundem circa cognitionem futurorum contingentium eadem omnino docere, quae S. Thomas ejusque discipuli omnes antea docuerant. Scilicet « Non potest certitudinaliter cognosci, causam ( liberam ) nullo modo impediri a productione effectus, nisi quando cognoscitur usque ad productionem effectus inclusive quod non impeditur ». Ita l. 1, c. 67 § « Aliter etiam ». Quare ita? quoniam libera causa, si tamen libera in agendo manet, in quocunque signo consideratur, ante productionem realem effectus seu actus, in sua potestate habet, se ipsam impedire ab actus seu effectus productione. Hoc autem, ut recte animadvertit R. P. Schneemann, ita non esset, si praedeterminationes physicae in operationibus nostris liberis usuvenirent. In iis enim, quemadmodum evidens est, posset cerni, causam liberam ab effectus productione impeditum non iri. Praedeterminatio enim physica effectum suum ineluctabiliter et invincibiliter adducit.

## ART. II

### BREVIS SUMMA EORUM, QUAE FERRARIENSIS ALLATIS LOCIS DOCUIT.

Paucis ea complectamur, quae Ferrariensis nobis consentanea, recentioribus Thomistis contraria docuit. Tradidit 1° *essentialem differentiam* esse inter meram *praemotionem* physicam ad determinatum actum et proprie dictam *praedeterminationem* ad certum et definitum actum; *non illam, sed hanc perimere libertatem actionis.* Ad l. 4, c. 22 — 2° *Ordinem* decretorum divinorum hunc esse, ut *voluntas* Dei absoluta de futuro eventu libero sit *consequens* voluntas, non, ut recentiores Thomistae volunt, antecedens. Ad l. 3, c. 89 ad 2am object. Scoti. — 3io *Negat, esse a parte rei aliquod signum prius, in quo Deus ante ipsam voluntatem nostram producat volitionem nostram.* Ibidem ad tertiam objectionem Scoti. Praedeterminatione autem physica, si Deus voluntatem praemoveret, in priore realiter signo produceret volitionem nostram quam nos. — 4° Profitetur Ferrariensis, *hominem in operando quandam a Deo independentiam habere, rationesque quasdam ontologicas et morales volitioni humanae convenire, quae uni causalitati hominis, non causalitati Dei sint adscribendae; imo posse voluntatem humanam etiam quando male agat, in rectitudinem perfectam tendere. Hae sane assertiones includunt quandam indifferentiam divini concursus, negant ejus ad unum particulare perfectam per Deum determinationem.* Ibidem. Omnia autem haec in sententia recentiorum Thomistarum omnino falsa sunt. Vera autem sunt, quod ad summam rei attinet, in nostra sententia. — 5° Secundum Ferrariensem *non opus est habere effectum causae secundae in aliquo priore instanti necessitatem a prima causa, quam eam a secunda causa habeat.* Ad l. 2, c. 67. Quî hoc verum est in sententia praedeterminationis physicae? — 6° *Motio moventis et motus mobilis idem sunt, si formaliter accipiuntur, secundum rem; prioritas sola est in modo considerandi, vel etiam secundum habitudines activi et passivi.* Ad l. 3, c. 149. — 7° *Non potest certo cognosci, quid effectura sit causa libera, nisi usque ad productionem effectus inclusive.* Ad l. 1, c. 67. Hoc in sententia praedeterminationum physicarum manifesto est falsum. — Atque haec de Ferrariensi.

## § 5

## Thomas De Vio Cardinalis Cajetanus O. P.

### ART. I

#### DOCTRINA CAJETANI CONTRA PRAEMOTIONES ET PRAEDETERMINATIONES PHYSICAS PROPONITUR.

Quid omnium facile celeberrimus S. Thomae interpres Cajetanus senserit, id nunc videndum. Tulit prae aliis etiam luculentius testimonium contra physicas praedeterminationes. Quamvis autem hoc videatur evidens esse, R. P. spem nihilominus concepit vel saltem non abjecit, fieri posse, ut vel ipsum Cajetanum demonstraret patronum fuisse praedeterminationum physicarum.

Ordiamur hanc enarrationem doctrinae Cajetani ab illis locis, qui communiter ex ipso contra praedeterminationes physicas afferri solent et quasi classici in hac materia habentur.

*Primus* sit locus ad 1, q. 19, a. 8, ubi respondet ad objectiones Scoti, qui sent. dist. 2, q. 2 et alias docuerat, primam radicem contingentiae rerum sitam esse in *libertate* divinae voluntatis ut sic. Contra contendit Cajetanus, a D. Thoma primam radicem contingentiae rerum recte reponi in divinae voluntatis *efficacia,* quia nimirum divina voluntas adeo efficax sit, ut non solum producat omnes res, quas producere velit, sed eo etiam eas producat modo, quo eas producere velit, vel necessario vel contingenter, adeo ut, « si divina voluntas non libere, sed naturali necessitate vellet et causaret, salva tamen efficientiae suae virtute, hoc universum, quale nunc est: adhuc contingentia salvaretur ». Hanc doctrinam ut everteret, suam stabiliret, duas secundum Cajetanum Scotus rationes attulerat; quas eo jam modo recitabo, prouti apud Cajetanum exstant. « Prima ratio et potissima, inquit Cajetanus, quae movet Scotum, est haec: Causa movens, inquantum mota, si necessario (i. e. ab ente necessario agente) movetur, necessario movet. Ergo si necessario movetur, necessario movet [i. e. si a causa sine libertate sed ex necessitate agente movetur, ipsa quoque sine libertate et ex necessitate movet et agit]; igitur si prima causa non contingenter (i. e. libere) causat, nihil in universo contingenter fit, et sic contingentia in universo est ex hoc, quod Deus contingenter (i. e. libere) vult et causat. Et probatur minor: quia nulla causa secunda agit aliquid nisi in virtute primae ».

« Secunda ratio est: prima causa prius naturaliter respicit effectum quam quaecunque alia causa; ergo si necessario [ sine libertate ] causat, omnis effectus in illo priori habet necessariam habitudinem ad ipsam. Ergo nullus effectus fit contingenter. Probatur secunda sequela, quia est impossibile, quod idem effectus habeat habitudinem contingentis et necessarii respectu tam ejusdem quam diversarum causarum ». Hae sunt rationes Scoti. Concludit Cajetanus: « Videtur autem mihi, hanc opinionem et in se et in suis fundamentis esse falsam ». — Nunc non hoc agitur, rectene annon argumentatus sit Scotus; sufficienter an non sufficienter responderit Cajetanus ad Scoti objectiones; sed unum hoc, quid ille responderit, *numque respondens talia protulerit, quae nullo pacto cum praedeterminationibus physicis componantur, sed iis prorsus opposita sint. Ita porro rem se habere, est assertio nostra.* Audiamus Cajetanum. « Ad primam, inquit, rationem Scoti, multipliciter responderi potest. Primo distinguendo ly mota, seu ly movetur. Dupliciter enim contingit secundam causam moveri a prima: *uno modo motione praevia propriae actioni*, sicut baculus movet lapidem motus a manu; *alio modo motione cooperativa intrinsece propriae actioni;* et quicquid sit de majore in primo sensu, *in secundo tamen est falsa in quo tantum verificatur minor: non enim oportet cum aliquis vult aliquid, seu cum sol illuminat, primam causam praevia motione cooperari; sed sufficit et exigitur eam intrinsece cooperari tali electioni, vel illuminationi:* et hoc quia cooperatio in unoquoque est secundum naturam uniuscujusque: sic enim disponit omnia suaviter. Unde sive necessario, sive libere cooperetur Deus, nihilominus creata voluntas libere utitur illa cooperatione ».

« Secundo, distinguendo ly inquantum mota, quoniam potest denotare causam praecisam, et *potest denotare concausam.* Et si quidem denotet causam praecisam, minor est falsa: non enim causa secunda movet ob hoc praecise, quia movetur, sed etiam ex virtute propria. *Si autem denotet concausam,* major est falsa: quoniam stat, causam *necessario* [ *non libere* ] *moveri a prima, et cum hoc, ipsum moveri modificari ex natura causae secundae;* et sic movere causae secundae provenit non ex moveri tantum, *sed ex moveri et modo proprio ipsius causae secundae.* Ex tali autem modo consurgere potest, quod non necessario movet, ut patet in causis defectibilibus. *Illa autem propositio adjuncta, scilicet causa secunda nihil agit nisi in virtute primae, non juvat:* quoniam non est sensus, quod causa secunda nullam virtutem habeat nisi primae; *sed quod ipsa secunda nullum effectum producit, nisi virtute primae concurrente et conjungente virtutem secundae suo effectui:* quoniam prima omnia attingit immediate immediatione virtutis, ut in quaestione 8 declaratum est ».

« Ad secundam vero rationem dicitur, quod prima consequentia nihil valet; quoniam prima causa non attingit effectum secundae causae in seipsa, *sed modificata cooperatione sua, juxta modum ipsius causae secundae:* et *propterea effectus secundae causae in nullo priori haberet necessariam ha-*

*bitudinem ad primam, sed solam ex se contingenter fieri habitudinem haberet.* Illa enim propositio assumpta non est sic intelligenda, *quasi sit aliqua duratio naturae, in cujus primo instanti causa prima respiciat effectum, et in secundo causa secunda :* puerilis enim hic est sensus, ex quo tamen consequentia processisse videtur. *Sed est intelligenda quoad independentiam et intimitatem :* attingit enim prima causa effectum secundae, et independentius, et intimius, quam secunda, ut patet in principio libri de causis ; *et propterea dicitur respicere prius.* Ex hoc autem sensu nihil consequentiam valere patet ». — Hucusque Cajetanus. Quoniam vero alias 1, q. 14, a, 13 easdem difficultates Scoti Cajetanus vix non eodem modo tractat, juvat ea responsa hic statim adscribere, ut una ex aliis magis illustrentur.

« Ad primam, inquit, rationem Scoti, quae est ejus Achilles, quam toties replicavit, respondetur ex duplici capite : Distinguitur enim primo ly *inquantum mota ab alia : aut ostendit causam praecisam, aut concausam.* Si praecisam, sic illa propositio implicat in adjecto : si enim causa secunda est causa, ergo non praecise movet, quia mota, sed etiam ex se aliquid confert ; et si praecise movet, quia mota, nihil ex se confert, et sic non est causa. Si vero concausam, principalem tamen, negatur assumptum, quoniam stat quod necessario [ sine libertate ] moveatur, et non necessario [ cum libertate ] moveat aliud : quia *motio causae prioris modificatur in causa secunda, secundum modum ipsius causae secundae.* Et sic, licet a prima causa moveatur necessario secunda, *recepta tamen motio in secunda,* si secunda causa imaginetur contingens, *modificatur contingentia recipientis ; et quoniam prius natura modificatur,* quam impellat ad movendum, *motio illa jam modificata ad causam contingentem, movebit secundam* ad movendum non necessario, sed contingenter. Et si secunda causa ponatur causa naturalis, possibilis tamen deficere, motio illa, jam modificata ad naturam causae secundae, movebit illam secundam ad movendum non necessario, sed ut in pluribus juxta modum proprium ipsius causae secundae, et non primae. Et sic patet ruina totius Scotici aedificii ex uno capite ».

« Rursus distinguitur ly mota ab alia, altera distinctione, scilicet *aut motione praevia propriae actioni,* sicut aqua calefacit calefacta ab igne ; *aut motione cooperante intrinsece ad propriam actionem. Primo modo, dato quod esset vera, aut sustentabilis,* secundo tamen modo sustineri non potest dicta propositio : *quoniam causa cooperans intrinsece, cooperatur unicuique secundum modum ejus cui cooperatur. Talis est autem cooperatio primae causae,* de qua scriptum est, quod attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter, juxta scilicet modum cujusque cooperans unicuique ».

« Ad secundam vero objectionem dicitur, quod *illa prioritas universaliter non est secundum aliquam quasi durationem naturae, ut in uno instanti naturae effectus attingatur a prima causa, et in alio a secunda,* ut arguens imaginatur ; *sed est secundum independentiam, et immediationem virtutis :*

*quia prior independentius et immediatius immediatione virtutis attingit effectum quam secunda;* in eodem tamen instanti naturae effectus ab utraque attingitur. Nec propterea sequitur, ergo simul suscipit necessitatem et contingentiam, quia non attingitur a prima causa secundum se et seorsum, sed modificata in secunda ; sed sequitur, ergo suscipit contingentiam a duobus causis simul necessaria et contingente ».

Quot in his locis, qui ab adversariis, ut nobis adversi laudantur, nobis argumenta occurrunt contra praedeterminationes physicas recentiorum Thomistarum eaque plane luculentissima, ut vix intelligas, quomodo ipsa ab adversa parte nobis opponi possint.

Atque *primo* quidem *excluditur motio prorsus omnis causae primae, quae vel secundum ordinem naturae praevia sit motioni causae secundae; asseritur vero Dei motio, quae operationi secundae causae mere intrinsecus cooperans sit* (1). Quomodo planius, quomodo efficacius potest doctrina de uno simultaneo Dei concursu, et negative et positive efferri?

*Secundo* docetur : quae sit summa divinae voluntatis efficacia (2), potest Deus movere atque de facto sua voluntate ita movet secundas causas, ut ille *motus divinus terminative spectatus*, seu spectatus prouti in secunda causa recipitur, ab hac *temperamentum atque modum accommodatum accipiat* (3), ne laedatur connaturalis modus operationis liberae causae (4).

Hic duo observa ; unum : Cajetano *infinitam voluntatis divinae efficaciam* rationem esse et causam, cur asserat, possibilem omnino esse ejusmodi modificationem (attemperationem), qualem vult locum habere in omni motu divino, quo Deus cooperetur intrinsecus et immediate operationi

(1) « Illa prioritas (causae primae) *universaliter non est secundum aliquam quasi durationem naturae* ut in uno instante naturae effectus attingatur a prima causa, et in alio a secunda » ; imo « *puerilis* est sensus » prioritatem primae causae sic intelligere, « *quasi sit aliqua duratio naturae, in cujus primo instanti causa prima respiciat effectum*, et in secundo causa secunda ». Quare motio causae primae « *intrinsece cooperativa atque cooperans est propriae actioni* » *causae secundae.*

(2) « Nos dicimus, quod illa conditio (unde oritur contingentia) est *summa efficacia* illius (scl. divinae voluntatis) » Ad 1, q. 19, a. 8, §. « Circa istam materiam ».

(3) Recte ita reddi posse vocem modificandi supra p. 390 sq. demonstravimus. Cfr etiam Vasquez 1. disp. 100, c. 3, n. 7, ubi ea, quae hoc loco Cajetanus contra Scotum docet, hoc modo comprehendit. Ait itaque : « Ad prius optime respondet Cajetanus, propositionem illam : « Ea, quae movent, inquantum mota » etc. esse veram, quando causa postulat ab alio moveri, tanquam praeviam formam seu dispositionem, qua ipsa moveat, ut apparet in exemplo baculi : at certe voluntas nostra non eget hoc pacto motione Dei, ut ipsa operetur, et se moveat, sed motionem Dei solum exposcit ut *adjutricem et cooperatricem*, quia ipsa sola operari non valet. *Hoc autem modo prima causa contemperatur secundae et juxta modum illius elicit operationem* : tantum abest, ut si necessario operetur, tollat libertatem secundae causae ». — « Ad posterius respondet etiam bene Cajetanus, primam causam, etiamsi principalis sit et potissima, atque hac ratione prior, non attingere effectum in aliquo priori, antequam voluntas creata cooperetur, ut ex disp. 88, c. 3 compertum est ».

(4) « Cooperatio (divina) in unoquoque est secundum naturam uniuscujusque » ; « movere (enim seu agere) causae secundae provenit non ex moveri tantum, sed ex moveri et modo proprio ipsius causae secundae » ; « quoniam stat causam secundam necessario (non libere) moveri a prima, et cum hoc [stat], ipsum moveri modificari ex natura causae secundae», quia « licet a prima causa moveatur necessario (non libere) secunda, recepta tamen motio in secunda, si secunda causa imaginatur contingens, modificatur contingentia recipientis ».

liberae creaturae. Cujus Bannez prorsus contrarium sentit (ad eundem D. Thomae locum (1)). Opinatur enim hic, ita poni in Deo *maximam imperfectionem et in agendo dependentiam*. Quasi se ita accommodet Deus, non cum libertate summa et ex benevolentissima ad creaturam demissione, sed ex necessitate et cum quadam vera ipsius sub creatura subordinatione. — Deinde alterum observa, nihil magis repugnare illi modo, quo recentiores statuunt Thomistae, Deum cum creaturis cooperari, quam hanc, quae a Cajetano docetur, condescensionem Creatoris ad creaturam, quam hanc divinae actionis ad naturam humanam ob plenitudinem divinae efficaciae *accommodationem*. Nam Thomistis si credimus, « divinus concursus, ut se tenet ex parte agentis, et ut actio est, modificari ab aliquo inferiori non potest, quia omnis causa modificabilis (quomodocunque) ab altera, non determinat seipsam ad effectum specialem », cum « Dei voluntas se determinet ad quemcunque effectum specialissimum et singularem producendum ». Bannez ll. — Haec ratio Bannezii etsi vera esset, cum reapse non ex uno capite falsa sit, maneret tamen illud : Bannezium Cajetano e regione opponi ; *maneret firmum*, tradidisse Cajetanum id, quod alteri ut aliquid prorsus intolerabile impugnant : *accommodationem divinae cooperationis ad creatas voluntates, idque tradidisse ut doctrinam menti Aquinatis prorsus conformem*. — Sed quod in errorem induxit Bannezium, si quid suspicor, hoc fuit, quod modificationem illam nimis sibi materialiter et quasi mechanice atque physice fieri cogitavit, cum eam objectivo et spirituali et intentionali modo fieri, cogitandum sit (2). — Ceterum non agitur nec de rationibus, quae pro una aut pro altera parte afferri possunt, nec quomodo istam modificationem divinae motionis in particulari oporteat concipere secundum Cajetanum, sed unum factum est notandum, *omnem* prorsus per creaturam faciendam *modificationem* motionis cooperativae Dei rejici et renui a recentioribus Thomistis ; contra aliquam saltem hujusmodi modificationem a Cajetano, et ut ex nota subjecta (3) patet, a Ferrariensi etiam affirmari ac statui, ut aliquid plane necessarium ad libertatem voluntatis creatae intactam servandam.

*Tertium*, quod in his duobus locis adversum doctrinae recentioris Thomismi continetur, est explanatio, quae datur a Cajetano illius dicti S. Thomae, quod ceteroquin Scholasticis tritum est : « causam secundam nihil agere nisi in virtute primae ». Hoc enim dictum secundum Cajetanum aliud nihil significat nisi hoc : « quod ipsa causa secunda nullum effectum producit, nisi virtute primae *concurrente et conjungente virtutem secundae suo effectui* » ; id autem taliter fit, *ut nulla vel « duratio naturae sit, in cu-*

(1) Apud Dummermuth, supra p. 242.

(2) Cfr quae supra exposuimus pag. 120; pag. 181. not. 1. sqq.

(3) Congruit cum doctrina Cajetani Ferrariensis doctrina (l. 1, c. 67), ubi de eisdem Scoti objectionibus agit. « Stant enim, inquit simul, causam moventem in quantum mota est, necessario moveri a causa prima, et tamen non necessario movere eo, *quod actio primae causae modificatur in causa secunda secundum modum ipsius causae secundae* ».

*jus primo instanti causa prima respiciat effectum,* et in secundo causa secunda : puerilis enim hic est sensus ». Haccine interpretatione illius principii S. Thomae Neo-Thomista vere contentus esse poterit, qui sine praemotione atque praedeterminatione physica influxum Dei in operationibus causarum secundarum non sufficienter explicari ac defendi opinatur?

*Quarto loco,* quando divinae causae a S. Thoma in operationibus causarum secundarum *prioritas quaedam* vindicatur, ea est intelligenda secundum Cajetanum *solummodo « quoad independentiam et intimitatem ;* attingit enim prima causa effectum secundae et independentius et intimius quam secunda . . . et *propterea* dicitur respicere prius ». Haec recentiori Thomistae omnino Molinistice dicta videri, sane necesse est.

Alia, quae minoris momenti sunt, negligo : ut quando Cajetanus dicit, Deum *non* influere *praevie* in nostras voluntates *eo modo, quo praevie influit manus in baculum ad lapidem movendum;* quod tamen exemplum esset convenientissimum, si ille modus explicandi art. 7. qst. 3 de Potentia, quo utuntur Neo-Thomistae, ad mentem Cajetani sanctique Doctoris esset.

At oppones : Nihilominus Cajetanus aliquid dicit, quod explicationi Neo-Thomistarum faveat. Nam ait ( ad q. 14 ) *motionem* primae causae *prius* natura modificari, *quam impellat ad movendum,* et *cum insuper modificetur* secundum ea, quae immediate praecedunt, *quando recipitur in causa contingenti, non prius,* videtur evidens esse, a Cajetano saltem quandam *praemotionem* physicam causarum secundarum admitti, etsi praedeterminatio hoc ipso concipiendi modo excluditur : nam motio primae causae modificatur secundum hunc ipsum locum a causa secunda.

Primum ad hanc objectionem respondemus : Etsi id, quod hic asseritur, totum concederetur, Neo-Thomistas parum juvaret. Neque enim de praemotione, sed de praedeterminatione physica potissimum lis est nobis. — Deinde vero reponitur insuper hoc : Cum non semel, sed pluries a Cajetano his ipsis textibus statuatur, totam motionem a Deo procedentem *comprehendi et absolvi una interna cooperatione cum operatione secundae causae,* illud, quod hic memoratur « prius natura » minus sane severe accipiendum est ita : quatenus *nostro concipiendi modo* prius concipimus Dei influxum accommodate ad determinatam naturam secundae causae modificari et attemperari, quam ad ejus actionem determinatam cooperari, licet reipsa modificatio i. e. attemperatio per operationem et in operatione secundae causae nec prius nec posterius locum habeat (1).

Sed fallimur tamen, quando existimamus, in his Cajetani locis quasi prima lineamenta contineri ejus doctrinae, quam theologi Societatis Jesu postea excoluerunt. Nam « *motio praevia, quam excludit Cajetanus,* et merito, *illa est, ut patet, quae in causa secunda non supponit virtutem, cui cooperetur prima causa,* quae proinde *totam* virtutem praebet et excludit cooperationem causae secundae ». Ita R. P. p. 504.

(1) Vide supra p. 181 not. 1. sq. ea quae de hac modificatione diximus.

Secundum igitur R. P. Dummermuth non simpliciter praevia motio Dei ab operationibus causarum secundarum a Cajetano excluderetur, sed ea tantum praevia motio, quae adaequatam rationem et vim contineat effectus producendi ; idque ita esse affirmat patere. Nequaquam vero id ita esse patet. Ad quod ostendendum nihil opus est aliud nisi exhibere verba Cajetani: et jam asserti falsitas manifesto deprehendetur. Etenim haec apud ipsum Cajetanum exstant (ll. a. 8): « Dupliciter contingit secundam causam moveri a prima: uno modo motione praevia propriae actioni, sicut baculus movet lapidem motus a manu; alio modo motione cooperativa intrinsece propriae actioni; et quicquid sit de majore in primo sensu, in secundo tamen est falsa, in qua tantum verificatur minor: *non enim oportet cum aliquis vult aliquid, seu cum sol illuminat, primam causam praevia motione cooperari, sed sufficit et exigitur eam intrinsece cooperari tali electioni vel illuminationi* ». Haec Cajetanus. Quaero num pateat, a Cajetano illam tantum praeviam motionem excludi, quae in secunda causa non supponat virtutem, cui cooperetur prima causa, quae proinde totam virtutem praebeat et excludat cooperationem (propriam) causae secundae? Numquid voluntas nostra, numquid sol propria et naturali energia carent ad propriam actionem exercendam? Num omnem, quam habent ad agendum virtutem, eam ex actuali et transeunti motione primae causae habent? An ipsae non vere et proprie atque insita vi primae causae cooperantur, quoties agunt? An eadem haec non sunt vera vel de ipso primo exemplo, quod affert Cajetanus, et in quo praeviam operationem et motum admittit, scl. in baculo? Hic enim etiam vi sibi innata resistendi aliquid ad effectum confert et, secus si esset, ad effectum obtinendum esset ineptus. Mirum ergo, quod R. P. putat patere, illam dumtaxat Dei motionem a Cajetano excludi, quae in causa secunda non supponit virtutem, cui cooperetur. Plane contrarium manifesto verum est.

Quando vero postea *de causa praecisa* sermo est, cujus utique notio virtutem propriam excludit, jam non agitur de motione praevia Dei ab operatione causarum secundarum excludenda ; sed agitur de adstruenda modificatione, quam operatio causae primae in causa secunda secundum Cajetanum experitur, quamque ideo in ea experiri potest, *quoniam secunda causa vera concausa est, et non,* ut Cajetanus ait, *causa praecisa.*

R. P. ad suam confirmandam explicationem subjungit: non solum *non* negari a Cajetano hoc loco praemotionem et praedeterminationem Thomisticam, sed eam etiam statui, *vocari vero eam ab ipso « motionem causae secundae intrinsece cooperativam actioni ipsius* ». Etenim affirmatur a Cajetano, movere causam primam motione sua causam secundam ad movendum ; modificari hanc primae causae motionem in causa secunda [ addere debuit: et secundum naturam causae secundae ] ; idque priusquam impellat ipsa ad agendum; motionem denique eam conjungere virtutem causae secundae suo effectui. Haec autem, si R. Patri credimus, intelligi nequeunt de concursu simultaneo, « sed solum de praemotione intrinsece cooperante » ; ut jam loqui ipsi ( p. 505 ) placet.

At ut de miro modo loquendi, qui hic Cajetano contra totum contextum a R. P. imponitur, taceam : — quae enim minus apta appellatio pro praemotione et praedeterminatione physica excogitari potest quam haec, quae a R. P. hic Cajetano affingitur ? — argumenta, quae affert R. P. nihil efficiunt, quia illae locutiones aut ita comparatae sunt, ut prorsus repugnet, eas in systemate praedeterminationum physicarum adhiberi (v. g. vox modificandi de motione primae causae in forma passiva usurpata ), aut ita saltem, ut etiam in nostro systemate sufficientem in contextu explicationem consequantur. Quod cum saepius jam demonstratum sit, uberius prosequendum non est.

Aliud porro addit R. Pater : « Puerile etiam est opponere haec Thomistis, » scilicet Cajetanum hic docere, *nullum esse instans naturae*, in quo prima causa prius quam secunda *respiciat* effectum ; « docent enim omnes inquit, causam primam et secundam simul attingere et respicere effectum producendum » (1). — Num reapse hoc doceant omnes Thomistae, ipse R. P. viderit ; si docerent reapse, traderent aliquid, quod in ipsorum sententia est manifesto falsum. Qui enim prima causa non prius natura *respicit* (nota verbum : respicit) effectum producendum quam secunda causa, si vere et physice praemovet praedeterminatque secundam causam ad effectum producendum ?

Manet igitur exploratum, Cajetanum, cujus sicut Ferrariensis commentarios summopere commendarunt Summi Pontifices Pius V et Leo XIII, adversari evidenter doctrinae recentiorum Thomistarum, nostris vero placitis apprime congrua et consentanea tradere et profiteri.

Cum locis, quos modo attulimus et explicavimus, cohaeret intime *alius locus, qui exstat ad 1. 2ae, q. 109, a. 1.* Est autem hujusmodi : « Non solum dependemus in esse et conservari a primo agente Deo glorioso, sed *in operari,* ita quod *ipso non cooperante* non possemus operari, quacunque operatione, etiam si conservaret nobis esse, et operativa omnia principia in nobis ». En ! habes omnia, quae ex parte Dei requiruntur, ut operari actu et revera possimus : praeter collationem ipsius esse et principiorum operativorum eorumque conservationem una Dei *co*operatio requiritur. Quomodo, quaeso, usuvenit, ut, quoties agitur de auxilio Dei generali, Cajetanum audiamus frequentissime postulare, ut Deus nobis cooperetur, nunquam ut praeoperetur, praeagat, praemoveat, nec aliud quidquam hujusmodi ? Hoc, quaeso, explicent recentiores Thomistae ; si id minus possunt, fateri eos necesse est, Cajetanum, sicut Capreolum, sicut Ferrariensem, sicut alios principes veteris scholae Thomisticae sibi prorsus adversari, Molinistis vero favere eisque consentanea scribere.

Aliud ex Cajetani scriptis ad manum est argumentum contra Thomistas recentiores, idque efficacissimum. Apud hos enim nihil frequentius quam ut praemotionem Dei ideo exigant, quia prima causa debeat applicare secundas causas ad agendum. Sed hac applicatione per Deum facta quid por-

(1) Pag. 505.

ro ? Applicabitne se ipsa iterum secunda causa ad agendum ? Hoc, opinor, absurde diceretur. Nam quod ad agendum proxime jam applicatum est, id nihil quidem omnino repugnat, quominus actum producat, imo ad eliciendum actum aptissimum est ; sed ut etiam ipsa se applicet ac rursus se applicet, quando jam ad determinatum actum eliciendum applicatum est, id sane absonum est. Quare si Dei est applicare praemotione physica omnes secundas causas ad agendum ( certum et determinatum actum ), eaque functio propria est divinae praemotionis, secunda causa se ipsa applicare jam ad agendum non potest. Quid inde ? Inde hoc, ut, si Cajetanum auctorem sequimur, nulla jam causa secunda libera sit. « Nam actus, licet sit velle et voluntatis et a voluntate ut eliciente actum, non tamen est voluntarius ( scilicet perfecte ) ; *quia non est a voluntate ut applicante se ad volendum,* sed naturalis » ( i. e. necessarius ) (1). *Imo omnis « actus, qui ad finem tendit (praecise et in particulari) ex directione superioris agentis, ordinantis ipsum [simpliciter] in hoc, dicitur ab exteriore agente, ea ratione, qua motus gravis a generante dicitur, et merito* » (2).

Quid ergo ? Actus, qui procedit ex praemotione et praedeterminatione divina physica, numquid non usque ad ultimam determinationem et modalitatem internam ex directione superioris agentis provenit? Asserit quidem R. P. , non intendisse Cajetanum hoc loco de ea motione loqui, quae sit praemotio (3) : quod ita concesserim, ut eam noluerit Cajetanus affirmare ; nego eo sensu, quasi praemotio et praedeterminatio physica Thomistarum non sit hujusmodi directio superioris agentis, qua agens inferius aliunde simpliciter ordinatum et applicatum tendat in finem particularem.

Priusquam ad considerandos eos locos transeamus, quos pro sua putat sententia R. P. ex operibus Cajetani excitari posse, inspiciamus etiam unum, cujus vi putamus Neo-Thomistarum doctrinam iterum non mediocriter labefactari. Est ille, quem supra jam attigimus quique exstat *ad 1 part. q. 22. a. 4.* Ibi Cajetanus duo docet : unum est hoc : Omnes eventus, etiam liberi, prouti praecise substant divinae praevisioni et providentiae, evenient infallibiliter et eatenus saltem inevitabiliter.

Alterum hoc est : « *Liberi eventus ut effectus sint vere liberi, non sufficit, ut quoad causam proximam quomodocunque adhuc contingenter eveniant, proximaque eorum causa habeat ( retineatque veram, sed meram ) potentiam ad illud infallibile ( scilicet ad actum, qui certo eveniet ) et ad ejus oppositum », idque sub divina etiam providentia, sed ad hoc insuper alterum omnino necessarium est, ut ipse ille actus, qui certissime eveniet, nihilominus a proxima etiam causa vero aliquo modo evitari possit, seu quod re idem est, non omnino inevitabiliter ab ea ponatur, etsi simul, ut praevisus et provisus a Deo, evitari ab ea nequit i. e. infallibiliter eveniet. —*

(1) Ad 1, 2, q. 6, a. 4 circa fin.
(2) Ibid.
(3) Dummermuth p. 506.

Nunc ex lectore unum quaero : qui haec doctrina sustineri ullo pacto potest admissis et statutis praemotionibus et praedeterminationibus physicis recentiorum Thomistarum ?

Sed Cajetanum ipsum audiamus. « In responsione ad primum (1), inquit Il., dubitatio occurrit valde ardua et forte ab humano intellectu insolubilis. Ad cujus evidentiam, ut melius percipiatur, in quo consistat dubitatio, advertendum est, quod aliud est, A *contingenter* evenire, et aliud est, A *necessario* evenire, et aliud est, A *infallibiliter seu inevitabiliter* evenire. Tam *primum enim quam secundum importat ordinem effectus ad causam* in actu positam. Illud quidem [ importat ], quod sua causa habet potentiam ad utrumlibet ; hoc vero, quod sua [ causa ] non potest deficere ab ipsius causalitate. Sed *tertium communius est utroque, quoniam et contingentia et necessaria sequuntur divinam providentiam positam in actu infallibiliter seu inevitabiliter,* et cum hoc illa sequuntur contingenter et ista necessario (2).

« Ex his enim quamvis quiescat intellectus, attendens ad responsionem in littera positam circa salvationem contingentiae ; *fluctuat tamen circa connexionem praedictae infallibilitatis cum libero arbitrio,* imo, ut rectius loquar, *cum libero eventu ipsarum operationum quas liberas dicimus ;* et similiter cum ambiguo eventu contingentium aliorum. Cum enim in operatione libera sit considerare ipsam voluntatem, illius causam, et eventum, seu exsecutionem ipsius, nunc ita quod non *opposite ;* (3) quamvis difficile *non sit salvare naturam talis causae,* scl. liberae, cum praedicta infallibilitate *( eo quia hujusmodi infallibilitas nihil dat vel aufert* causae ad utrumlibet ; sed *cum ipsa stat quod causa habeat potentiam indifferentem ad illud infallibile et ad ejus oppositum ; et propter hoc divina providentia non adimit contingentiam a rebus) ; verum salvare praedictam infallibilitatem cum indifferentia seu libertate exsecutionis seu eventus, hoc opus, hic labor* est (4).

« Si enim infallibile est, me diluculo primo futuro scribere, *quamvis potentiam habeam ad utrumlibet, id est, ad scribendum tunc vel ad non scri-*

(1) « Ad primum ergo dicendum, inquit S. Thomas, quod effectus divinae providentiae non solum est aliquid evenire quocunque modo, sed aliquid evenire vel contingenter vel necessario. Et ideo evenit infallibiliter et necessario, quod divina providentia disponit evenire infallibiliter et necessario, et evenit contingenter, quod divinae providentiae ratio habet, ut contingenter eveniat ».

(2) Nihil attinet nunc indagare, num simpliciter et universaliter approbandum sit hoc dictum vel hic loquendi modus Cajetani : « et *contingentia* et necessaria sequuntur divinam providentiam [ ut sic ] positam in actu infallibiliter seu *inevitabiliter* » ; de qua re conferri possunt Molina Concord. ad q. 22, a. 4 et Suarez de Deo Uno, tr. 2, l. 1, c. 18, n. 4 sqq. Sed supponentes doctrinam Cajetani, ostendimus, ipsum hoc loco talia protulisse, quae cum praedeterminatione physica nullo modo componantur.

(3) Ita nunc legendum secundum novam editionem Romanam (1888). Lectio, quae in superioribus editionibus v. g. Veneta 1593 exstabat, certe male distincta fuit : « seu exsecutionem ipsius nunc, itaquod non opposite, quamvis difficile non sit salvare etc. ».

(4) His clare testatum habes a Cajetano, non sufficere ad libertatem operationis voluntatis simpliciter, ut habeamus meram ad utrumlibet potentiam, sed requiri etiam libertatem exsecutionis et usus. Recentiores Thomistae opinantur, salvam esse libertatem arbitrii mera asserta potentia ad utrumlibet in voluntate, nihil solliciti de libertate exsecutionis seu usus seu eventus, imo exigunt, ut indifferentia, seu quod secundum Cajetanum idem est, libertas exsecutionis physicis praedeterminationibus prius tollatur. Quid tandem ad hoc dixisset Cajetanus ?

*bendum tunc; attamen potentia ista atque libertas non exibit in actum negationis scribendi, sed affirmationis, sic quod inevitabile est, quin affirmatio eveniat* ; et si sic est, cum jam ab aeterno divina providentia sit in actu determinata respectu omnium et immutabilis et infallibilis etc., sequitur, quod de facto omnia inevitabiliter eveniant, quamvis quaedam contingenter et quaedam necessario. Notanter autem dixi « de facto », quia de possibili absolute loquendo, potest Deus non determinare providentiam suam ad haec vel illa futura ; sed cum jam determinata est, repugnat immutabilitati, efficaciae, universalitati atque certitudini suae evitabilitas evenientium. Et si omnia inevitabiliter eveniunt de facto, ut quid consiliamur, et conamur ad haec magis quam illa prosequenda vel vitanda? Nihil enim minus videtur ex hoc destrui tota pars moralis omnisque conatus Ecclesiae, atque exhortatio ad bonum, quam ex negatione contingentiae. Quamvis enim negatio evitabilitatis et negatio contingentiae non aequivaleant, ut jam patet ex dictis, quoad proposita tamen inconvenientia aequivalere videntur. Nullus enim consiliatur de inevitabili, nec aliquis conatur aut hortatur aut orat circa inevitabilia.

« Ad hanc dubitationem nihil scriptum reperi in S. Thoma, quoniam nullibi eum movisse hanc recolo, sed semper studuit ad salvandam contingentiam (1). In aliis quoque Doctoribus nihil hactenus comperi ad quaestionem istam, nisi quae communiter dicuntur de sensu composito et diviso ; de necessitate consequentiae et consequentis ; de libertate electionis divinae in aeternitate deque natura causarum ad utrumlibet in universo inventarum ». Haec ex Cajetano attulisse sufficiat. Reliqua enim, quae sequuntur, non afferunt positae difficultatis solutionem, ut ipse fatetur Cajetanus ; sed ostendunt insufficientiam communium responsionum (2). Ceterum iis, quae recitavimus, constat, nos sententiam Cajetani supra recte retulisse.

(1) Hoc nimium est; id ex iis, quae alibi dicta sunt (Cfr p. 171 sq.), satis apparet. Nam recurrens ad divinam praescientiam illam, quae praecedit divina decreta circa futura libera, monstravit Aquinas clare, qua via haec difficultas solvenda sit. Eam viam ingressi sunt Fonseca, Molina, alii de Societate Jesu Theologi, atque ita demum hanc difficultatem expedierunt.

(2) Cum tamen fortasse nonnemo desideret audire, cur hae responsiones Cajetano insufficientes visae sint, hanc discussionem hic in nota addimus. Pergit itaque Cajetanus post ea, quae supra recitavimus: « Sed haec omnia, ut ex dictis patet, intellectum non quietant; quoniam non de Deo secundum se considerato sed secundum quod de facto est; et similiter non de ipsis naturis causarum aut rerum, nec de necessitate aut contingentia, sed de compossibilitate inevitabilium eventuum cum contingentia et libertate eorundem est quaestio. Non enim satisfit quaesito dicendo, quod actus eveniens est evitabilis et inevitabilis: *evitabilis quidem secundum se, inevitabilis secundum quod est provisus;* licet enim hoc sit verum, tamen non solvit nodum, quoniam actus eveniens de facto jam est provisus ab aeterno et *esse provisum vincit conditiones ipsius secundum se, et consequenter actus est simpliciter i. e. omnibus consideratis inevitabilis et secundum quid, solitarie sumptus, evitabilis;* sicut projectio mercium tempore naufragii est simpliciter volita, quia omnibus consideratis est volita, et secundum quid est nolita; quia secundum se projectio ipsa displicet. Nihil quoque ad propositum facit dicere, *quod esse provisum nihil ponit in actu eveniente.* In hoc enim exemplo manifeste apparet nihil ad rem referre, an ponat vel non ponat: esse namque volitum nihil ponit in projecta merce, et tamen etc. (sic). Nec etiam evaditur dicendo, quod quia actus eveniens est provisus a Deo et inevitabilitas ejus sequitur esse provisum ut res respectiva ad Deum: actus eveniens est de facto inevitabilis respectu Dei, non autem respectu nostri. Hoc enim aequivalet nihilo, quoniam si de facto inevitabilis est a

Quam vero Cajetanus invenire non potuit ad positam difficultatem responsionem, eam postea theologi Societatis Jesu indagarunt, et quidem, ut est multorum nec infirmorum doctorum sententia, non poenitendo successu. Ostenderunt enim, quomodo *ipse quoque eventus* liberae operationis, etiam prouti subsit providentiae Dei, imo divinae voluntati absolutae consequendi illum (1), non sit sub omni respectu homini inevitabilis, sed sub quodam respectu inevitabilis, et sub altero vere et proprie evitabilis.

Inevitabilis est eventus liberae actionis, quatenus consideratur, ut substat praescientiae divinae (scientiae mediae), estque ita simpliciter inevitabilis *consequenter* ; evitabilis vero est, idque vere et proprie, quatenus physice spectatur, proceditque a causa proxima, voluntate creata, prouti haec spectatur et secundum se et cum omnibus iis momentis, quae in ejus determinationem influunt. Est ergo evitabilis antecedenter. Nihil enim in his omnibus momentis est, quod afferat voluntati necessitatem antecedentem. Atque ab illo quidem priore respectu habet divina providentia suam certitudinem quoad eventus omnes, intentos aut permissos ; ab hoc vero habet humana libertas suam securitatem. Et divinae quidem providentiae certitudo servatur etiam, imo exaggeratur, a recentioribus Thomistis ; libertas vero humana admissis praedeterminationibus physicis in summum periculum vocatur, imo pessumdatur, sententia nostra, quia *eventus* operationis, quae dicitur libera, statutis his praedeterminationibus, cum prorsus antecedente et perfecta inevitabilitate pro humana voluntate sequitur. Hic autem, si Cajetano fidimus, libertatis actionis interitus est. Ut autem solvant hanc difficultatem praeter communia illa responsa, quae Cajetano insufficientia visa sunt, recentiores Thomistae nihil habent quod afferant.

Oppones, eandem esse conditionem Molinistarum. Etenim etiam Molinistarum solutionem Cajetanus in antecessum praeoccupavit atque rejecit. Nam solutio Molinistarum tandem reducitur in distinctionem « *actus ut evitabilis et inevitabilis : evitabilis quidem secundum se, inevitabilis secundum quod est provisus* ». Deinde haec solutio etiam in eo fundatur, quod *nihil ponatur in voluntate,* quo haec ullo modo antecedenter ad unum agendum determinetur. Has autem ambas considerationes Cajetanus ut insufficientes pridem reprobavit. Vide praecedentem notam.

Verum imprimis, ut ad id, quod secundo loco opponitur, respondeamus, fatemur quidem solutionem Molinistarum *partim* in eo fundari, quod nihil ponatur in voluntate, quo haec ullo modo ad unum praevie determinetur. Neque hoc solutionis fundamentum a Cajetano est rejectum. Nam aliud

Deo, ergo et de facto inevitabilis est et simpliciter, et a nobis; quoniam impossibile est a quocunque vitari, quod a Deo de facto vitari non potest, propter ipsius summam efficaciam. *Oportet igitur, si quaestionis hujus veritas quietare debet intellectum nostrum, alterum duorum dicere, aut quod esse provisum non sequatur inevitabilitas aut quod inevitabilitas eventus provisi non deroget evitabilitati eorundem eventuum.* Et hoc secundum quidem propter rationem supra adductam non capio quomodo possit verificari; liquet enim, quod non nisi secundum quid evitabilitas salvari apparet ».

(1) Hoc plus illo est. Cfr Suarez et Molina ll.

est, quod Molinistae dicunt, aliud, quod Cajetanus reprobavit. Cajetanus consideravit unum hoc : « quod esse provisum nihil ponit in *actu* evenien-te » ; Molinistae vero in hoc maxime nituntur, quod nihil in ipsa *potentia voluntatis* ponitur, quo ullo modo voluntas ad unum actum antecedenter determinetur. Quae duo valde diversa sunt.

Quod vero attinet ad primum : etiam haec consideratio Molinistica non est prorsus eadem atque modus considerandi, quem Cajetanus ut insuf-ficientem reprobavit. Etenim Molinistae non considerant actum mere se-cundum se, sed quatenus proveniat a potentia voluntatis instructa omni-bus iis momentis, quae ipsam ullo modo vel antecedenter vel concomitan-ter, vere tamen afficiant et determinare eam ullo modo possint; atque di-cunt, actum etiam sic consideratum esse vere et proprie evitabilem pro hu-mana voluntate. Ponunt quidem, actum etiam vere inevitabilem esse, at non ut mere provisum, sed maxime ob scientiam Dei mediam, quae affert tan-tum necessitatem consequentem. Haec duo porro iterum admodum diver-sa sunt. Praevisio enim futurorum conditionatorum providentiam prae-cedit, atque ad solum intellectum pertinet, qua voluntas divina veluti face utitur in dispositionibus providentiae capiendis. Ergo licet modus conside-randi, quem Cajetanus examinavit, nodum non solvat, quia non ostendit, quomodo inevitabilitas eventus operationis liberae sit simpliciter electio-nem voluntatis creatae consequens, Molinisticus tamen modus componendi libertatem actionis humanae cum ejus inevitabilitate, ideo non est re-jectus ; nam in eo *compositionis modo alia omnino rerum momenta* in consi-derationem inducuntur, quae Cajetanus non consideravit, quaeque necessi-tatem vere consequentem fundant.

Itaque manet exploratum, Molinistas gravissimae huic quaestioni lumen quoddam intulisse, ut opus jam non sit cum Cajetano confugere « ad [ u-nam ] altitudinem inaccessibilem veritatis » divinae, nec quaerere et inve-nire suo modo « in sola ignorantia quietem ».

---

## ART. II

### EA QUAE EX CAJETANO NOBIS OPPONUNTUR NIHIL EVINCERE, OSTENDITUR.

Transimus nunc ad elevanda ea, quae R. P. nobis ex Cajetano opposuit. Ea valde gravia non sunt, quemadmodum mox patebit.

Primo loco (1) affert quaedam Cajetani verba ad 1 part. q. 2, a. 3,

(1) p. 496. Dico R. P. primo loco haec afferre; nam quae initio suae de Cajetano disceptationis ( p. 495 ) ex 1ª p., q. 45, a. 5 § « Ad Durandum » laudat, ea profecto leviora sunt, quam, ut afferan-tur, quasi per se illis quoddam pondus insit. Non omittit autem R. P. hac occasione in memoriam re-vocare factum illud gravissimum : Patrem Suarez aliquando opinatum esse, in illo de Potentia loco

ubi hic commentatur haec S. Thomae : « Moventia (1) secunda non movent, nisi per hoc quod sunt mota a primo movente ». « Exponit Cajetanus, inquit R. P., quare secunda causa, *priusquam* (?) agat, *debeat sic* | *quomodo?*] *moveri* a prima : « Ad hoc breviter dicitur, inquit | Cajetanus |, quod *causa media,* ex eo quod causa media, *necessario dependet a prima.* Ad cujus evidentiam oportet recolere, quod *de ratione causae est efficacia :* nisi enim causa aliquid efficiat, *causa in actu,* de qua est sermo, dici non potest. *Efficacia* namque causae *in illius causalitate actuali consistit,* et propterea *nisi causalitas compleatur,* neque causa in actu, *neque efficacia, seu efficientia* aliqua salvatur : oportet ergo ad hoc *quod causae ratio servetur, ut causalitas illius compleatur* ac per hoc quicquid repugnat *complemento* causalitatis alicujus causae, repugnat causae illi. Cum igitur causa media vere causa sit, *oportet ipsam habere propriam causalitatem completam.* Tunc sic : *Complementum causalitatis causae mediae nullatenus potest esse sine dependentia a prima causa : ergo causa media ut est causa media, dependet a prima* ».

« Docet ergo Cajetanus, pergit R. P. Dummermuth, causam secundam non solum moveri a prima causa, sed etiam recipere a prima complementum et efficaciam suae causalitatis ».

Declaravit R. Pater supra, Cajetani propositum in hoc loco conscribendo hoc fuisse, ut ostenderetur, « *quare secunda causa, priusquam (?) agat, debeat moveri a prima* ». Respondit Cajetanus, moveri oportere secundam causam a prima, quia indigeat suae causalitatis complemento, quod sine dependentia a prima causa, adeoque sine motione ipsius haberi non possit. Quì ergo R. P. hic potest ita concludere, a Cajetano hic doceri *duo : non solum moveri a prima causa secundam causam, sed etiam recipere a prima complementum et efficaciam suae causalitatis* »? cum secundum contextum moveri a prima causa et causalitatis propriae complementum ab ea accipere in secunda causa idem prorsus sit. Ergo ex loco Cajetani immediate nihil habetur, nisi unum hoc, causam secundam, ut agat, debere a Deo recipere per motionem causalitatis propriae complementum. Quomodo autem et quando hoc complementum secundae causae a Deo proveniat, et quanam praecise in re situm sit, id aperte quidem his verbis nondum declaratur. Quo igitur jure R. P. illud « priusquam » supra scripsit ?

S. Thomam videri favisse recentioribus Thomistis, opinionem, quam postea ipse Suarez motus auctoritate Capreoli et Cajetani retractavit. Verba Cajetani, quae laudantur, haec sunt : « Dicitur quod illa propositio : « Omnis causa secunda est instrumentum Dei » est vera, ut patet ex quaest. 3 de Potentia a. 7, ubi angelus et omnis causa secunda non agit, *nisi a Deo agatur multipliciter*, ut diffuse ibidem ostenditur. Nec inconvenit, imo oportet, *omnem* actionem creaturae attingere ad effectum Dei, qui semper attingit ad *esse*, quod *nulla causa dat nisi in virtute primae causae* ut hic ( in 1ª p., q. 45, a. 5) et in l. 3 cont. Gent. c. 66 et 67 ostenditur ».

(1) Notandum est, S. Thomam hic id unum docere, quod ad demonstrandum primum aliquem motorem sufficit : secunda moventia non posse movere nisi aliquo modo a priore quodam motore adeoque tandem a primo moveantur. De hujus autem motus genere, in qua praecise re consistat, quaenam includat momenta, nihil prorsus explicat.

Sed alterum quoque in illa conclusione a R. P. Dummermuth posita notandum : occurrit scilicet quaedam in terminis adhibitis confusio. Attendatur igitur, quid hic intelligatur a Cajetano voce efficaciae. Ea voce hic nec virtus causae secundae nec virtutis hujus, ut talis est, qualecunque tandem complementum vel proprietas intelligitur, sed *una* secundae causae *actualis et in actu secundo efficientia,* quae rursus nihil aliud est nisi actualis secundae causae causalitas atque operatio. Id ita esse probatione non eget ; patet enim sola lectione verborum, dummodo notentur verba, quae distinximus. Quid ergo haec R. Patris verba significant : « causam secundam recipere a prima . . . efficaciam suae causalitatis » ? In contextu aliud nihil significare possunt nisi hoc : secundam causam recipere a prima causa efficientiam suae efficientiae seu causalitatem suae causalitatis. At dices : videri hoc inepte dictum. Fatemur ; sed quis in culpa est? debuit R. P. ita dicere : « *Docet ergo Cajetanus causam secundam moveri a prima causa seu recipere a prima causa complementum suae causalitatis et efficaciae seu efficientiae* ». Sed ita dicere non licuit ; quoniam sic plane evidens evasisset, Cajetanum nihil contra nos protulisse, atque unum affirmasse, non duo, denique, locum praeter rem allatum esse. Nam evidens est, moveri a Deo et ipsius causalitatis actualis a Deo complementum accipi, non duas res esse, sed duos modos exprimendi eandem rem. Item manifestum per se est, in nostro quoque systemate concursu simultaneo Dei compleri vere et intrinsecus causalitatem, efficientiam, operationem secundae causae ; imo has ab illo concursu adeo intrinsecus dependere, imo ipso constitui, ut sine eo esse prorsus non possint. Sed suggerere voluit R. Pater aliquid, quod apud Cajetanum nullo modo exstat : causam secundam non posse inchoare suam causalitatem *nisi prius natura a Deo mota sit* ad exercendam causalitatem propriam.

Imo vero si diligentius perpenditur textus, facile cernitur, *contineri in eo implicite negationem sententiae de praemotionibus physicis ad agendum necessariis.* Nam ut ostendat, dependere secundas causas a prima in agendo, nullam aliam demonstrationis viam sibi praesto esse profitetur Cajetanus *nisi unam considerationem causae secundae in actu positae seu prouti formaliter jam causet atque actum producat. In actuali igitur causalitate et operatione causae secundae divinitus complenda* ratio dependentiae secundae causae ut sic a prima causa secundum Cajetanum adaequate invenitur. Hoc autem est implicite affirmare, divinum influxum actualem et ad singulas creaturae operationes essentialiter requisitum non ipsam causam immediate attingere, sed unam ejus causalitatem, operationem et effectum. Quod aliis verbis sic dicitur : illum Dei influxum cooperantem dumtaxat esse, non praemoventem physice. Cum hoc stat, veram quandam et multiplicem prioritatem convenire divino concursui. Sed hoc, cum saepe enarratum sit, non rursus prosequi oportet. Quare cum ita sint, vix operae pretium est audire illa etiam, quae R. P. Dummermuth hic p. 496 in Suarezio reprehendit. Audiamus tamen.

« Suarez, inquit, qui virtutem instrumentalem fluentem et intentionalem rejicit, quia per eam causa secunda determinatur, pariter rejicit illud complementum causae secundae a prima receptum ». — Dicere R. P. debuit, si vere et accurate loqui volebat, Suarezium complementum causae secundae *praevium et in ipsa causa secunda ut sic receptum rejicere*. — Affert jam verba Suarezii : « Dicent (1), virtutem causae secundae, hoc ipso quod creata est, *non posse esse completam* ad agendum, *etiam in suo ordine causae secundae*, stabili ac permanente vel, ut ita dicam, habituali complemento, *sed indigere semper aliquo actuali complemento, quod recipit a Deo per hanc praeviam actionem, quae terminari intrinsece intelligitur ad quandam virtutem inditam et superadditam, quam vocant qualitatem fluentem vel intentionalem*, vel quid simile ; cui potius tribuitur *complementum virtutis causae secundae*, quia est magis actualis, magisque pendens ex actuali motione Dei. At enim, quando omnis ratio ad haec impugnanda deesset, quis ea credat sine ratione et sine auctoritate » ?

Hic R. P. Dummermuth exclamat : « Sine auctoritate ! Et tamen est aperta sententia S. Thomae et clarissimorum ejus interpretum Capreoli, Ferrariensis, Cajetani ». Respondetur 1° exclamationibus omissis ad rem dicamus. Quaestio est ipsa haec, quid Cajetanus docuerit ; num Theologi Societatis Jesu ab eo recesserint. Deinde respondetur 2°, S. Thomam et clarissimos ejus interpretes requirere pro creatura ad agendum divinum influxum, qui praevius sit, et receptus in ipsa secunda causa, praecise ut haec activitatis principium est, id prorsus negatur. Nam novimus jam, sententiam horum Doctorum longe aliam esse : nimirum ad agendum requiri quidem divinum influxum, at qui simultaneus sit operationi et influxui causae secundae in suum effectum et cum eo confletur, non qui sit praevius et in ipsam causam secundam, praecise ut ipsa activum principium est, receptus. Ita saltem S. Thomas, ita Capreolus, ita Cajetanus. Nam ad Ferrariensem quod attinet, is ab hoc fortasse concentu excipiendus propter ea, quae supra de eo disputantes attigimus ; siquidem ipse fortasse non prorsus remotus est a praemotionibus physicis admittendis ; neque tamen ideo praedeterminationum physicarum continuo fautor exsistit. Ceterum etiamsi totum hoc, quod P. R. hic postulat, ei daremus ; haberet quidem praemotiones physicas, praedeterminationes vero physicas, contra quas potissimum pugnamus, non haberet. Ergo cum auctoritate non admodum praeclare pro sententia Neo-Thomistica agitur. — Pergit R. P. rursus exclamando : « Sine ratione ! Perinde ac si S. Doctor et summi ejus interpretes illud complementum causae secundae vel virtutem intentionalem admiserint sine fundamento ». Respondetur : quod illi Doctores complementum statuendum esse duxerunt, id quidem optimis fulti rationibus statuerunt, at illud complementum diversum est prorsus ab illo, quod cum recentioribus Thomistis R. P. defendit. Concludit jam R. P. locum sic : « Po-

(1) Suarez de Concursu Dei l. 1, c. 6, n. 14.

tissima autem ratio, qua Suarez impugnat doctrinam S. Thomae et veterum Thomistarum est illud debilissimum argumentum, quod solvimus p. 76 ».— Num merito despiciatur illud argumentum, quo Suarezius refutat interpretationem, quam Neo-Thomistae dant de illa intentione, de qua S. Thomas q. 3 de Potentia a. 7 ad 7 ; id facile judicabit, quicunque, qualis sit *intima et plane immediata* dependentia omnis esse fierique creati a prima causa, perspexerit. Qui vero id perspexit minus, vim utique illius argumenti consequi non potest. Esse vero hoc idem debilissimum argumentum *principem* rationem Suarezii contra placita Neo-Thomistarum, est, ut parum dicam, arbitrarie dictum. Hoc tamen ostendere ita esse, alienum est ab hoc loco. Nam ad hoc opus esset omnia, quaecunque a Suarezio prolata sunt contra Neo-Thomistas multa et varia argumenta, examinare deque singulorum valore pronuntiare. Quis autem, quanti laboris hoc negotium sit, quam non necessarium, quantopere a nostro instituto alienum, non videt?

Ad alium locum Cajetani a R. P. allatum progredimur. « Audiatur, inquit, iterum Cajetanus. In 1ª P., q. 8, a. 3, exponens diversos modos quibus Deus est in omnibus rebus, « esse per potentiam in omnibus, inquit, est esse in omnibus immediate, immediatione virtutis ; ita quod omnia agunt, quicquid agunt, virtute Dei. . . Deus est in omnibus secundum potentiam proportionaliter, id est, modo suæ potentiæ congruo. Talis autem est participatio virtutis divinæ secundum rem in omnibus ». Quod in testimonio supra citato, cum S. Thoma, Lib. 3 c. G., cap. 66, vocat Cajetanus complementum causæ secundæ, hic cum eodem S. Doctore, q. 3 de Pot., a. 7, et Ferrariense, Lib. 3 c. G., cap. 70, vocat participationem virtutis divinae ». Haec profecto responsione jam non indigent. Sunt enim etiam in nostro systemate manifesto vera.

In sequentibus R. Pater clariora et efficaciora opinatur afferri. Sic enim loquitur p. 498 : « Sed adhuc clarius loquitur Cajetanus, quaest. 45, a, 5, ubi interpretatur illa verba S. Thomae : « Oportet *quod esse sit proprius effectus primae et universalissimae causae*, quae est Deus : unde etiam dicitur in Lib. de Causis, quod *neque intelligentia nec anima nobis dat esse, nisi inquantum operatur operatione divina* ». Quae verba habentur etiam in quaest. 3 de Pot., a. 7. Dicit ergo Cajetanus quod « causare in virtute principalis agentis, potest dupliciter intelligi. Primo sic : *in virtute principalis agentis, id est, per virtutem principaliter existentem in principali agente* ( ut vult Suarez ) ; *et sic est falsissimum*. . . Alio modo sic : in virtute principalis agentis, id est, *ut fiat sub principali agente ; et sic videtur verum,* quum principale agens dupliciter se habeat ad causam instrumentalem, scilicet ut utens propria instrumenti virtute ( seu ut movens et applicans virtutem propriam instrumenti, quo habetur tertius modus operationis divinae ) ; et ut elevans ipsam ad aliquid altius causandum, intentum scilicet ab ipsa principali causa, ( quo habetur quartus modus divinae operationis ). *Et sic instrumentum, ad hoc quod sit instrumentum,*

*exigit virtutem et actionem propriam, ei participationem actionis principalis.* Et licet in secunda tantum dicatur proprie instrumentaliter causare in prima tamen non dicitur agens principale, sed causans ex propria virtute. Unde consequentia Scoti : In hac actione non causat in virtute principalis agentis, ergo ipsum est agens principale, non valet : non enim oportet quod respectu omnis actionis causa sit aut principalis aut instrumentalis proprie loquendo ; sed datur medium, scilicet quod est causa instrumentalis ex propriis illam causans. Extensis tamen vocabulis potest dici, et causa instrumentalis etiam illius propriae actionis pro quanto agit applicata ab alio ». Docte exponuntur hisce verbis duo illi modi quibus Deus operatur ut causa prima in omni causa secunda : « Omnis enim causa secunda est instrumentum Dei, ut patet ex q. 3 de Pot., a. 7..... quia semper attingit ad esse, quod nulla causa dat nisi in virtute primae causae » ( Cajetanus ubi supra ) ».

Verum enimvero ne hoc toto quidem loco, quem R. P. clariorem esse putat, quidquam, quod ad rem sit, continetur. Textum si legeris, ut exhibetur a R. P., id vix suspicaberis. Est tamen ita. Et principio quidem haec verba et ex quaestione deprompta sunt, quae plane diversa est ab ea, quam modo tractamus, et verba a R. P. omissa sunt, quae id non solum statim docerent, sed etiam sensum verborum non mediocriter immutarent. Id revera ita esse jam ostendendum. Ostensum autem id erit, solum textum et contextum si attulerimus, ut apud Cajetanum exstat.

Ait igitur Cajetanus II : « Quoad tertium reprehenditur ( a S. Thoma ) positio praedicta ( *scl. actum creandi posse communicari creaturae* ) tali ratione. Causa secunda instrumentalis non participat actionem causae superioris, nisi inquantum per aliquid sibi proprium dispositive operatur ad effectum principalis agentis. *Sed nullum agens secundum potest aliquid dispositive operari ad effectum Dei creantis. Ergo nulla potest esse causa instrumentalis ad creationis actum.* Major probatur dupliciter ducendo ad inconveniens. Primo, quia si nihil ageret causa instrumentalis secundum sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum. Secundum, quia non oporteret esse determinata instrumenta determinatarum actionum. Deinde manifestatur inductione ad sensum, quia sic videmus in securi etc. — Minor quoque probatur dupliciter. Primo ex termino, quia esse absolute, quod est proprius effectus creantis, omnibus aliis praesupponitur. Secundo ex modo, quia creatio non est ex aliquo, et sic excludit omne disponibile ».

Vides jam, agi de creatura ut *causa proprie instrumentali creationis,* num talis esse possit ; non de creatura *prouti in omni actione quodammodo Dei instrumentum exsistit. Quod ergo in sequentibus contra Scotum disputatur, id non pertinet ad eas causas, quae in suo ordine principales sunt,* nec ad eas actiones, quae ab hujusmodi causis, ut tales sunt, procedunt, sed ad unas pertinet causas proprie instrumentales et ad eas solas actiones, quae ab ipsis, ut tales sunt, producuntur. — Sed interrogabis,

quaenam illa sint, quae et Scotus objiciat et quae Scoto a Cajetano reponantur.

« Circa hanc rationem, inquit Cajetanus, occurrunt objectiones. Primo Scoti, quia, ubi supra, dupliciter majorem assumptam impugnat, volens eam esse falsam cum illa particula « dispositive » ; sine illa autem posse bene et male intelligi. Et quia auctor expresse ponit illam particulam et in illa constituit vim medii termini ut patet, ideo singula afferenda sunt distincte. Vult ergo primo, quod causa instrumentalis non oportet, quod habeat actionem propriam, cujus oppositum in littera dicitur. — Concedens quoque, quod causa instrumentalis habet aliquid proprium, per quod agit, negat, quod per illud proprium habeat actionem nisi in virtute principalis agentis. Et hoc probat, quia in quacunque actione, quam habet instrumentum, non in virtute principalis agentis, in illa non est instrumentum, sed principale agens. — Tertio arguit contra dispositive. Instrumentum potest attingere effectum principalis agentis. Ergo non oportet, quod agat dispositive. Antecedens conceditur, inquit, etiam ab ipso i. e. a S. Thoma alibi, scilicet in 4 sent. dist. 1. q. 1. art. 4. q. 1. Et manifestatur in factione monetae et sigillatione. — Quarto invehit contra exemplum de securi et similibus, volens quod ex his non potest trahi intentum, quia sunt instrumenta ad actionem praeviam alteri actioni. Securis enim ad scissionem, quae est praevia formationi scamni. Non sic autem est in omnibus causis instrumentalibus, quoniam aliqua sunt instrumenta . . . ad solam illam actionem, qua principalis effectus fit ». Hucusque Scotus a Cajetano relatus. Vides iterum, totam discussionem versari circa causas proprie instrumentales earumque operandi modum. Quare ergo id R. P. Dummermuth non commemorat, commemorat vero talia, quae ingerere debent legentibus opinionem, tractari hic a Cajetano quaestionem, qua ratione omnes causae secundae sint in suis omnibus operationibus ( quodammodo ) instrumenta Dei?

Responsum Cajetani ad objectiones Scoti jam accipiamus. Hac enim ratione magis etiam patebit, difficultatibus quam non solidis hic a R. P. detineamur. « Ad evidentiam hujus difficultatis scito, inquit Cajetanus, quod universaliter loquendo, *dupliciter intelligi potest, causam instrumentalem exigere actionem scl. propriam et principalis agentis. Uno modo sic, ut sint duae actiones habentes diversas res pro terminis,* sicut calor animae calefacit et generat carnem. Et hoc judicio meo non est necessarium et contra hoc tendit Scotus. *Alio modo sic, ut una operatio prout est propria instrumenti virtute, faciat aliquid praevium ordine naturae ei, quod facit, prout est ex virtute principalis agentis;* sicut situalis compositio trianguli ex virtute motiva simul ponit tres virgas; ex ratione autem facit formam trianguli nulla alia actione adjuncta; et simile est in sculpturis. *Et hoc est indubitatum et intentum. Certum quidem, quia omnis causa instrumentalis propriam aliquam virtutem activam habet;* alioquin ut in littera dicitur, frustra ad agendum assumeretur etc. Omni autem virtuti activae respondet

aliquid per eam factibile, alioquin esset activa nihili. *Et quum constet quod primum in intentione est ultimum in generatione, et quod concurrentibus causa principali et instrumentali simul, primum in intentione est effectus secundum id, quod habet ex causa principali: consequens est, quod id, quod habet effectus ex causa instrumentali, est praevium ei, quod est ex causa principali sive illa duo sint multae res sive una, et distinguuntur ut res et modus ejus, sive quovis alio modo nihil refert* (1). *Intentum, quia et nomina alludunt et efficax processus est.* Nomine enim dispositionis intelligitur omne praeveniens, *et nomine propriae actionis intelligitur operatio, inquantum est ex instrumenti virtute.* Efficacia autem processus liquet, quoniam si omnis causa instrumentalis causat virtute propria aliquid praevium termino formali principalis agentis; et in creatione nihil potest causari praevium quocunque modo, consequens est, nullam posse in creando instrumentalem causam concurrere.

« Unde ad rationes Scoti contra primum sensum, quamvis forte non oportet, dico tamen, *quod causa instrumentalis habet actionem propriam, coincidentem tamen materialiter cum actione quam habet ut instrumentum agentis.* — Et cum secundo dicitur, quod *quidquid operatur per illud proprium, causat in virtute principalis agentis*, potest dupliciter intelligi. Primo sic: *In virtute principalis agentis, id est per virtutem principaliter exsistentem in principali agenti* ( « ut vult Suarez », hic monens addit R. P. ), *et sic est falsissimum*, quum per virtutem in se et non in principali causat illud proprium; alioquin, ut deductum est, per illud proprium nihil proprii faceret ». Hic sistamus paulisper.

Statuitne Suarez reapse aliquid, quod a Cajetano merito falsissimum appelletur? *dixitne revera id, quod agat causa instrumentalis secundum sibi proprium i. e. secundum eam virtutem, quam in seipsa propriam possidet, id agi ab ipsa per virtutem principaliter exsistentem in principali agente?* Nunquam quidquam adeo absurdum Suarez protulit. Sexcenties vero a Thomistis objectum est Theologis Societatis, ipsos nimium viribus causae creatae tribuere, et nihilominus nihil haesitavit R. P., hic imponere Suarezio rem plane absurdam : id, quod secunda causa secundum proprium i. e. viribus propriis agat, agere ipsam virtute, quae principaliter in Deo sit. Nihil opus est hic quidquam addere. Res per se loquitur.

« Alio modo, pergit Cajetanus, sic : *In virtute principalis agentis* i. e. *ut fiat sub principali agente.* Et sic videtur esse verum, quum principale agens dupliciter se habeat ad causam instrumentalem [proprie talem]: *ut*

(1) *Novum hic habetur argumentum, causas secundas improprie tantum dici instrumentales in ordine ad causam primam.* Nam esse tale, qui est proprius effectus causae secundae secundum loquendi modum S. Thomae, certe non praevium est ipsi esse, qui proprius effectus est primae causae, sed potius consequens. Ergo effectus proprius secundae causae ad proprium effectum primae causae inverso prorsus modo se habet, ac se habere solent effectus proprii causae vere et proprie instrumentalis ad effectus proprios causae principalis.

*utens propria instrumenti virtute* (I), *et ut elevans ipsam ad aliquid altius causandum* (II), intentum scilicet a causa principali ».

Ad prius (I) addit R. P. hanc explicationem: « ut utens propria instrumenti virtute seu ut movens et applicans virtutem propriam instrumenti, quo habetur tertius modus operationis divinae » in q. 3, de Pot. a. 7; ad posterius (II) vero addit notam hanc: « quo habetur quartus modus divinae operationis ». Non vidit R. P. se hac ratione plura, quae male apta sunt, una sententia consarcinasse. Male aptum est, *quod de causis instrumentalibus proprie dictis et maxime talibus affirmatur, id continuo ad causas instrumentales improprie tales nullo facto discrimine transferre.* Est illud deinde improbandum, id, quod instrumentalis causa proprie talis relate ad causam principalem *secundum aliquid sibi proprium facit, comparari cum eo, quod causa secunda facit cooperante causa prima.* Quid ita? quoniam proprius effectus causae proprie instrumentalis, quatenus praecise ipsius proprius effectus est, *nihil mutuatur* a causa sua principali; quidquid vero secunda causa facit atque producit, *id omne* etiam primae causae verissime et maxime proprie ut effectus tribuendum est. Hoc ergo ex Cajetano pro praemotionibus ac preadeterminationibus physicis petitum argumentum prorsus nihil est.

Reliqua, quae apud eundem sequuntur et quae supra R. P. Dummermuth retulit, post ea, quae exposuimus, adeo aperta sunt, ut inutilis laboris esset, hic plura de iis addere. Nam vix crediderim, quemquam haesitaturum esse in ultima sententia responsi, quod R. P. ex Cajetano laudat, quasi ibi statuatur, locum de causis improprie instrumentalibus esse intelligendum. Non id ibi dicitur, sed dicitur hoc, causam proprie instrumentalem non adeo vere instrumentalem esse causam relate ad id, quod secundum proprium producat, quam secundum id quod producat, prouti elevata sit a principali causa ad aliquid se altius causandum: tamen nisi omnino premantur voces, posse ipsam dici causam etiam instrumentalem illius propriae actionis « pro quanto eam agit applicata » a causa principali et in ejus ministerio.

Post haec R. P. Dummermuth alia quaedam ex Cajetano affert valde aequivoca et ad suum saltem propositum inefficacia. Et re quidem vera, putatne R. P., se posse ex iis, *quae ex 1ª p., q. 105, a. 5* eruit, quidquam pro praemotionibus, nedum pro praedeterminationibus physicis efficere? (1) Ibi enim nihil aliud continetur, quam « *Deum dare, applicare, conservare formas, quae sunt principia actionum nostrarum* ».

Nihil ex his sequitur pro systemate, quod tuetur R. P., nisi supponitur hoc: Deum non posse dici, applicare voluntates nostras ad agendum, nisi praemotionibus et praedeterminationibus physicis. At *multipliciter Deus*

(1) p. 498 sq. Verba Cajetani hic a R. P. allata haec sunt: « Deus est causa operationum secundarum, non solum ut applicans, nec solum ut dans principia actionum, sed ut dans, applicans et conservans formas, quae sunt principia actionum ».

*applicat* humanas voluntates ad agendum, etsi id nec praemotionibus nec praedeterminationibus physicis facit. Cfr p. 264 sq.

Etenim potest Deus dici voluntates ad agendum applicare, *quatenus a) eis inseruit appetentiam boni in communi*. Haec porro appetentia a voluntate ut praecise virtutem et energiam ad agendum dicit, virtualiter distinguitur. Per illam autem voluntas quodammodo applicatur divinitus ad agendum. *Ipsa* enim ratio est, qua voluntas ex parte sua *proxime apta fit, ut virtutem et energiam suam* erga particularia bona *exerere possit*. Hoc autem est applicare.

Nec difficultas ex eo nascitur, quod secundum S. Thomam, cujus verba Cajetanus explicat, applicatio voluntatis per Deum fit movendo eam. Movere enim, ut statim ab initio hujus libri ostendimus, apud S. Thomam frequentissime nihil aliud est, nisi e potentia in actum educere, actuare, exsistentia donare. Et revera Cajetanus explicans articulum praecedentem 4^um^, movere voluntatem explicavit per hoc, quod est dare i. e. producere virtutem volendi in anima. Etenim ait: « Deinde probat ( S. Thomas ) *quoad secundum modum movendi seu dando virtutem volitivam* ut sic. Ex praecedenti ergo articulo, prouti a Cajetano explicatur — atque is manifestus est sensus articuli — constat, moveri voluntatem jam ideo, quoniam Deus dat i. e. producit virtutem volitivam ut sic. Ergo recte etiam Deus dicitur movere voluntatem, quatenus ei dat i. e. in ea producit appetentiam, qua inclinamur in bonum universale, ut sic. Quid desideramus plura? Constat enim jam ob unam inditam nobis divinitus boni universalis appetentiam, posse recte affirmari, Deum applicare nostras voluntates movendo eas.

Potest etiam idem : *b)* dici ob concursum simultaneum Dei, prouti id supra ad q. 3 de Pot. a. 7, fuse explicatum est : *c)* Etiam rebus hujus mundi utitur Deus ad effectum applicationis formarum. Cfr quae item ad quaestionem illam de Pot. diximus, et cont. Gent. l. 3, c. 67, n. 4.

Itaque constat, neque in Cajetani commentario hujus art. 5, q. 105, 1^ae^ partis, neque in ipso articulo quidquam contineri, quod ullo modo favet praemotionibus, nedum praedeterminationibus Thomisticis. Omnia enim etiam sine illis sufficientem explicationem habent. Vide etiam supra p. 249 sq. et 262 sq.

At *Cajetani etiam ad praecedentem articulum 4^um^ commentarius* a R. P. pro sua re laudatur (p. 499). Itaque videamus, num, si integer textus, prouti apud Cajetanum exstat, exhibeatur, verae difficultatis species remaneat. *Dicimus ergo, totam difficultatem ex eo oriri, quod R. P. textum non ita affert, prouti apud commentatorem exstat* (1).

(1) Ut sub oculis habeat lector, quaenam ex longiore commentario sola afferre visum sit R^o^ Patri, ea hic ad verbum exscripta subjicimus: « Propium est Dei, *movere voluntatem* utroque modo [ objective et effective ] et maxime secundo modo *interius inclinando*... Ultima autem pars, scilicet quod maxime proprium Dei sit movere secundo modo [ effective ] propterea dicta est, quia movere objective voluntatem communicatur aliis, quamvis non sufficiente efficacia. *Movere* autem *ab intus* nulli communicatur; solus enim Deus *illabi* potest libero arbitrio, qui solus fecit et conservat illud ».

Exscribit R. P. primo hanc propositionem : « *Proprium est Dei, inquit Cajetanus, movere voluntatem utroque modo (« objective et effective » addit R. P.) et maxime secundo modo interius inclinando* » . . .

*Duplicem vero hunc modum movendi*, qui convenit Deo, *ipse Cajetanus distinctius explicaverat.* Dixerat, Deo convenire movere voluntatem « *uno modo sicut objectum, alio modo sicut dans ipsam virtutem volendi* ». Cur R. P. non adscripsit hanc ipsius Cajetani explicationem ? Sic nulla esset vel levissima species, quasi hic quidquam pro praemotionibus atque praedeterminationibus physicis contineatur. Omittens autem prorsus definitam explicationem ipsius scriptoris, ipse magis indefinita et ambigua verba : « objective et effective » substituit (1).

Alia etiam in hoc textu recitando omisit R. P. scl. declarationem et argumenta partium. Porro in his quaedam continentur, quae non mediocriter adversentur praedeterminationibus physicis.

Ait Cajetanus : « Haec conclusio declaratur et probatur. Primo quidem *quoad primum modum s. motionem objectivam declaratur*, quod (hoc) intelligitur *de motione sufficienti et efficaci* i. e. quae ex natura objecti sufficiat, non ad eliciendum, sed *ad efficaciter ducendum voluntatem in actum secundum respectu sui*, et hoc ad differentiam aliorum (objectorum). *Non enim differt Deus ab aliis per hoc, quod ipse solus possit voluntatem objective movere,* quoniam hoc potest quodlibet bonum, *sed per hoc quod ipse solus potest sufficienti efficacia objective movere* ». — Jam vero si haec verba quidquam significant, certe hoc significant, Deum tale esse objectum, quod solo objectivo suo influxu possit non solum allicere, sed etiam determinare voluntatem ad actum secundum et perfectum, scilicet quando prouti ipse in se est, clare et immediate exhibetur. Aio « actum secundum et *perfectum* » i. e. actum voluntatis, quo voluntas absolute et simpliciter in Deum feratur, ut ex Cajetani verbis et alias constat.

Ergo *una* objectiva motio ex parte objecti, quod Deus ipse est, sufficit per sese, ut voluntas efficaci impetu in ipsum feratur. Ubinam hic locus relinquitur praemotioni et praedeterminationi physicae, quae nimirum se habet ex parte potentiae, non ex parte objecti ?

Neve hoc dicas, praemotionem eam supponi. Nam hoc fingeretur contra apertam doctrinam verborum. Quid enim est, *hoc objectum voluntatem efficaciter in actum secundum respectu sui ducere*, nisi objectum ipsum per sese et vi propria voluntatem respectu sui traducere idque immediate. Manet ergo, in hoc saltem actu praemotioni physicae, quae ex parte potentiae se habeat, physiceque in voluntatem influat, locum non esse (2). Jam vero est axiomatis instar, si vel in uno actu hujusmodi praemotio et praedeterminatio ad agendum non requiratur, ea nunquam opus esse.

(1) Hoc cur dicam, patet. Nam si ea motio Dei, de qua praeter motionem ex parte objecti hic agitur, in collatione ipsius virtutis volendi consistit, certe motiones praedeterminantes Dei frustra hic quaesieris.

(2) Patet porro per se, in hoc actu eliciendo libertatem nullam jam esse.

Argumentum vero pro sua assertione ex S. Thoma a Cajetano hoc affertur: « Sola virtus activa excedens aut adaequans virtutem passivam potest sufficienti efficacia ipsam movere. Ergo solum bonum universale potest *sufficienter efficaciterque* voluntatem movere. Ergo solus Deus implet voluntatem et sufficienter eam movet. Antecedens patet; et prima consequentia probatur: quia virtus passiva voluntatis se extendit ad bonum universale » etc.

Vides, quomodo *Cajetanus in prima consequentia bono universali* [nimirum Deo] *duo tribuit, sufficienter i. e. se solo, atque efficaciter i. e. non ad solam quandam imperfectam inclinationem et quasi velleitatem sed ad actum absolutum et perfectum voluntatem movere.* Quomodo hoc dicere potuisset, si nullam moralem ullius objecti motionem per solam praesentiam sine praemotione physica ex parte potentiae ad ullum actum, nedum ad perfectum et absolutum sufficere existimasset? Sed de prima parte satis.

« *Secundum modum movendi scl. dando virtutem volitivam ut sic* » probat cum D. Thoma hoc modo: « Inclinare in bonum universale est primi moventis; ergo inclinare in objectum voluntatis; ergo dare velle; *ergo dare virtutem volitivam.* Antecedens probatur, quia ultimus finis proportionatur primo moventi. Prima consequentia probatur, quia bonum universale est objectum voluntatis; secunda, quia velle nihil aliud est quam inclinatio in tale objectum. Tertia est per se nota: *ejusdem enim est dare actum ab intrinseco et potentiam, imo per hoc dicitur dare actum ab intrinseco, quia dat principium ejus* [potentiam]. Et nota vim hujus rationis, *quod non loquitur* (*S. Thomas*) *de velle tali vel tali, id est specificato ad tale objectum*, sed de velle absolute, cujus proprium objectum est bonum, non tale aut tale; et *principium est non voluntas sic aut sic affecta* (intentione scl. finis particularis) *sed voluntas ut sic. Et propterea si Dei est dare hunc actum, qui est velle, oportet ut ejus sit dare voluntatem.* — Ultima autem pars seu quod maxime proprium Dei sit movere secundo modo propterea dicta est, quia movere objective voluntatem communicatur aliis, quamvis non sufficienti efficacia. Movere autem ab intus nulli communicatur; solus enim Deus illabi potest libero arbitrio, qui solus fecit et conservat illud ».

Luce clarius est, sistere conclusionem Cajetani, quod attinet ad secundum modum movendi, qui unius Dei proprius est, *constanter in hac assertione, Deum ideo et per hoc movere voluntatem intrinsecus, quod ipse det potentiam volendi;* et propterea hunc movendi modum competere Deo exclusive, quod pro amplitudine objecti hujus facultatis, quod est bonum universale, ipse solus possit esse ejus conditor. Cum ergo condendo facultatem moveat hoc altero modo voluntatem Deus, cumque ipse solus possit eam facultatem condere, sane consequitur, ipsum solum posse hoc modo voluntatem movere. Sed quidnam est in omnibus his, quod vel leviter pertinet ad praemotiones et praedeterminationes physicas?

Hic ergo textus in prima parte contra praemotiones Neo-Thomistarum

pugnat ; in altera vero et tertia parte nihil continet, quod ad eas omnino pertineat.

At negleximus voculam, quam si pressissemus, fortasse aliquid pro sententia Neo-Thomistarum potuisset colligi. Est vox « illabendi » : « solus enim Deus illabi potest libero arbitrio », ait Cajetanus. Sed ad summum hoc pronuntiato affirmatur hoc : quae est Dei in libero arbitrio propter creationem et conservationem intima praesentia, *posse* eum etiam alio modo, quam sola communi et ordinaria via voluntates humanas intrinsecus movere mediante scl. appetentia boni ; at hoc facere eum semper, in omni quem elicimus actum, facere necessario, supposito ordine naturae, facere praemotionibus et praedeterminationibus Thomisticis, ne leviter quidem innuitur. Ad summum illud prius colligi posse affirmo. Nam ex textu profecto longe probabilius illapsus Dei in liberum arbitrium ad ejus illapsum per conditionem et conservationem virtutis volitivae ut sic hoc loco restringitur.

Nihil fatigatur R. P. textibus afferendis. Affert ergo locum *ex commentario Cajetani ad q.* 57, 1ae *p. art.* 4. Verba, quae laudantur, jam in medium proferenda sunt. Primo quaedam ipsius D. Thomae ponuntur : « Solus Deus cogitationes cordium et affectiones voluntatum cognoscere potest. Cujus ratio est, quia voluntas rationalis creaturae *soli Deo subjacet,* et ipse solus *in eam operari potest*, qui est principale ejus objectum, ut finis ultimus. Et ideo ea, quae ex voluntate sola dependent et quae in voluntate sola sunt, soli Deo sunt nota ». — Additur jam explicatio Cajetani.

« Vis rationis S. Thomae, inquit Cajetanus, consistit in hoc, quod voluntas ut operans *in particulari* est extra ordinem rerum naturalium. Ergo est naturaliter occulta cuicunque extrinseco intellectui creato. Et tenet sequela, quia species naturales intellectus non repraesentant nisi naturalia (i. e. « causas et effectus naturales ») . Antecedens vero probat, quia voluntas *soli Deo subjacet* (i. e. quemadmodum Cajetanus immediate ante ait : voluntas in operando « exempta est a dependentia et connexione a quacunque re naturali ») *et quoad exercitium actus et quoad specificationem actus in particulari, quia ipse solus potest efficaciter movere voluntatem tam effective* (*physice*) *quam objective*, cum sit summum bonum et finis ultimus etc . . . Voluntas (igitur) et voluntarium ex hoc ipso quod voluntarium, est in seipso occultum cuicunque extrinseco creato, quia soli Deo subjacet effective et objective ».

Quid ex hoc loco habemus ? *Subesse voluntatem in operationibus suis* (*saltem perfectis*) *uni Deo effective et objective tum quoad exercitium actus tum quoad specificationem actus in particulari,* quoniam ipse solus *potest* utroque modo voluntatem *efficaciter* movere. *Efficaciter* autem movet Deus voluntatem *ex parte objecti* tum quoad exercitium actus tum quoad specificationem actus in particulari sine dubio *in uno dumtaxat casu :* quando seipsum, qualis est in se, clare videndum exhibet. Numquid igitur dicemus, plane e converso ex parte potentiae (physice) movere Deum *semper* efficaciter voluntates atque in *omni* prorsus actu ? Et quo jure hoc diceremus ?

Fortasse quia subjectio voluntatum sub Deo ut causa et ratio affertur, cur unus Deus debeat cognoscere *omnia* secreta cordium *omnes*que motus voluntatum ? At ubi habes, debere esse actu exercitam, ut ita dicam, subjectionem voluntatis sub Deo per influxum determinantem ad unum agendum, alium omnem subjectionis modum ad hoc non sufficere? — Et revera supra p. 284 sq. explicavimus, quomodo multiplex subjectio voluntatum sub Deo, etiam sine praevio actuali exercitio influxus determinantis in eas, adjuncta tamen scientia media, Deo sit sufficiens ratio ad cognoscenda omnia et singula, quaecunque ipso simultanee concurrente, intra voluntatem et intellectum nostrum agimus. Ergo pro causa Neo-Thomistica ex hoc loco nihil R. P. lucrari potest. Quinimo — et hoc est illud, quod *altero loco* notamus — *duo in hoc textu contra Neo-Thomistas pugnant.* Una est assertio Cajetani ex mente Aquinatis facta, voluntatem in perfectis operationibus — id enim significat « efficaciter movere » — exemptam esse ab omni dependentia et connexione cujuslibet rei naturalis. Opinor autem, praemotiones et praedeterminationes physicas terminative spectatas etiam inter res naturales computari. Quid inde consequitur ? Hoc omnino, secundum D. Thomam et Cajetanum perfectos voluntatis actus a physicis praemotionibus et praedeterminationibus immunes esse nec ab iis dependere. Habemus ergo praedeterminationes physicas, quae non praedeterminant physice, et praemotiones, quae id, quod Neo-Thomistae volunt iis praestari, praestare non possunt. Nam secundum S. Thomam et ejus interpretem Cajetanum una increata virtus Dei immediate, non aliqua creata res vel virtus media, quaecunque tandem illa est, voluntatem in actum secundum perfectum traducere potest. Cfr locus mox afferendus ex 2. 2, q. 172, a. 2.— Alterum quod Neo-Thomistis in textu adversatur, est hoc: objectivae motioni Dei et morali idem effectus eademque efficacia tribuitur, quae Dei motioni physicae et efficienti convenire potest, movere scilicet voluntatem efficaciter. Numquid hoc consentaneum est assertis Neo-Thomistarum ? Vide quae modo disputavimus p. 456 sq.

Sed alios insuper locos, R. P. in promptu habet pro sua causa defendenda. Jam affert, quae Cajetanus in 2. 2, q. 172, a 2 commentatur (1). Juvat afferre integrum textum : ita quam hoc testimonium nihil prorsus ipsius causae inserviat, manifestum erit. Quaestio a Cajetano mota est haec : inspiratio prophetica num ab Angelis fiat, an ab ipso immediate *Deo.* — « Ad secundum dicitur quod *inspiratio prophetica* (2), *cum non requirat aliquam impressionem in voluntate ex parte ipsius voluntatis*, sed possit mediante objecto instigativo ad elevationem mentis fieri, *ab angelo fieri potest.* Differentia enim in littera posita non militat adversus hoc propter dictam rationem, *quia scl. inspiratio potest ex parte objecti fieri. Constat enim quod angelus potest ex parte objecti voluntatem nostram movere persuasive. Et sic forte fit communiter prophetica inspiratio.*

(1) p. 499.
(2) Opponitur illuminatio et revelatio prophetica, de quibus S. Doctor ipse in articulo dicit.

« *At si de inspiratione efficaci* intelligendum est, cum prophetica dicitur inspiratio, constat, *cum solius Dei sit efficaciter movere voluntatem et ex parte ipsius voluntatis, ut inspirationis nomen sonat,* dicendum esset, *quod non est ab Angelo* sed a Deo immediate, *non per impressionem alicujus formae in voluntatem, sed per actualem motionem interiorem, qua solus ipse creator voluntatis potest eam, quum vult et quo vult movere* juxta illud : Cor regis in manu Domini et volvet illud, quocunque voluerit. Haec responsio quia formalis est, amplectenda magis videtur ».

R. Pater sine dubio censet, praemotionem et praedeterminationem physicam altero inspirationis modo, quae propria et efficax est inspiratio, indicari. At hoc, quominus ita sit, vetant ipsa Neo-Thomistarum placita. Quare id vetant? Quoniam prior inspirationis modus per Angelum huic opponitur *atque hic ab illo priore excluditur*. Jam vero fac, alterum hunc modum physicis praemotionibus ac praedeterminationibus fieri, consequitur secundum Thomistas *eam a priore nec excludi nec priori opponi posse ;* siquidem nulla prorsus creaturae motio vel actio sine praemotione et praedeterminatione physica secundum Thomistas locum habere potest.

At fortasse nititur R. P. cetera negligens in hoc inciso : « cum solius Dei sit efficaciter movere voluntatem et ex parte ipsius voluntatis ». Respondemus 1°. Non propterea praecise, *quia de facto est efficax* motio seu inspiratio prophetica, in altera parte textus ea *uni* Deo tribuitur; talem enim motionem secundum priorem partem textus etiam angelus causare potest ; sed *propter modum* inspirationis et motionis. — Modus autem proprius est hic, quod haec inspiratio cum absoluta certitudine eventus et simul ex parte ipsius voluntatis fit. Nam neutrum competit angelo, sed uni Deo. Nam praeter ipsam voluntatem Deus solus eam immediate et physice movere potest, et ipse solus potest cum absoluta certitudine eventus, et hoc insigni sensu « efficaciter », a voluntate obtinere, quidquid vult.

Quae interpretatio si recta est, prouti certe et ipso textu et doctrinis S. Thomae et Cajetani alias traditis comprobatur, profecto nihil jam est, quod cogat nos dicere, motum, de quo hic agitur in inspiratione prophetica per Deum, esse Thomisticam praemotionem aut motum voluntatem praedeterminantem, sed sufficit dicere, eum consistere in motu vel motibus voluntatis indeliberatis et imperfectis, i. e. in inclinationibus quibusdam divinitus voluntati prophetae immissis, quibus Deus certissime effectum assequitur ob abundantiam inexhaustam adjumentorum suorum et ob divinae praevisionis excellentiam.

2°. Respondemus : in quacunque tandem re vel realitate hic influxus Dei in voluntatem prophetae collocatur, unum videtur constare, in praedeterminatione vel praemotione physica collocari eum non posse. Nam hae non sunt quaedam *motiones actuales ipsius* voluntatis interiores sed sunt potius quaedam formae seu quasi formae voluntati impressae, scl. sunt motionum actualium interiorum principia proxima. Secundum autem Cajetanum inspiratio prophetica fit a Deo « *non* per *impressionem alicujus formae* in volun-

tatem (prophetae), sed per actualem motionem interiorem, qua solus ipse creator voluntatis potest eam, quum vult et quo vult, movere ».

Magno verborum pondere a R. P. sequens testimonium Cajetani affertur :

« Expressissime etiam loquitur Cajetanus in Commentario super Matth., Cap. 5, ad illa verba : Et procedens inde vidit alios duos fratres, et vocavit eos. « Nec est mirandum, inquit, quod isti et illi statim secuti fuerint Jesum : quia interiori operatione Jesus movebat, motione non invitatoria, sed efficaci, corda eorum ad relinquendum omnia, et sequendum ipsum. Tali enim attractioni interni spiritus, nullus unquam restitit, nullus etiam resistet unquam, quia efficit voluntarium sectatorem, operarium, martyrem, etc. » « Notanda sunt haec verba », ita pergit P. Dummermuth. « Vocationi efficaci nullus unquam restitit, nullus etiam resistet unquam. Quare? Quia efficax vocatio facit voluntarium sectatorem, efficit voluntarium operarium. Recolantur hic verba S. Thomae : « Si Deus movet voluntatem ad aliquid, incompossibile est huic positioni quod voluntas ad illud non moveatur ». Ratio hujus est, quia operatio Dei inefficax esse non potest. Unde alibi dicit S. Doctor, quod « semper hoc homo eligit quod Deus operatur in ejus voluntate », nam « operatio Dei est sicut perficiens », id est, physice movet voluntatem : « Ad actionem autem perficientis statim effectus sequitur » (1). — De his textibus S. Thomae diximus supra. De testimonio Cajetani dicimus, omnia vera esse. Tantum unum erat Rev. Patri ostendendum ; at hoc ostendere neglexit : efficacem vocationem *ideo* facere voluntarium sectatorem etc. quia natura sua, quia physice praedeterminando hominis adducit consensum. Inutiliter ergo hoc est allatum.

Tandem pervenimus ad ultimum ex Cajetano excitatum testimonium.

« Perspicue etiam, ait R. Pater p. 500, docet Cajetanus, Deum futura contingentia non cognoscere, nisi post decretum seu determinationem suae voluntatis : « Negatur, inquit, quod ideae (divinae) *mere naturaliter* repraesentent quicquid repraesentant. Dicimus namque, quod aliquid repraesentant mere naturaliter, puta quidditates rerum ; et *aliquid non mere naturaliter, sed naturaliter ex suppositione libera, scilicet existentias rerum et conjunctiones contingentes.* Illa enim repraesentant ante omnem actum voluntatis divinae : ista autem supposita libera determinatione divinae voluntatis, ad alteram partem contradictionis, ut ipsemet Scotus acceptat de repraesentatione horum in essentia, ut ratione intelligendi. Et sic patet caetera ruere : quoniam non eodem modo se habent ad futura, et non futura, et ad hoc tempus et aliud, sed determinatae sunt ex supposita voluntate divina ». (In 1am P. q. 14, a. 13, § « Ad evidentiam autem ». Vide etiam ibid. q. 19, a. 3, § « In responsione ad sextum »).

Quid in hoc loco insit, quod specialiter faveat Thomistis, non est adeo facile ad assequendum. Video a Cajetano tradi quidem hoc : essentiam divinam, prouti est ratio objectiva rerum, non repraesentare futura contingen-

(1) « 1a 2ae, q. 10, a. 4 ad 3 — Lib. 3 cont. Gent. c. 92 — De Malo q. 3, a. 3 ».

tia mere naturaliter, quemadmodum quidditates rerum mere naturaliter repraesentat, sed tantum repraesentare ea, supposita libera determinatione divinae voluntatis ad alteram partem contradictionis; at sub quonam lumine haec libera determinatio in Deo locum habeat, num sub uno lumine scientiae necessariae an vero sub lumine scientiae mediae, id Cajetanus non dicit. Hanc quaestionem Cajetanus ingressus non est. Alio autem Cajetani loco, ad quem R. P. Dummermuth nos mittit, ad 1, q. 19, a. 3, § « In responsione ad sextum », talia iterum occurrunt, quae videntur conformiora esse doctrinis Molinistarum quam adversariorum. Statuit Cajetanus ll. illam propositionem: « quaecunque Deus scit, de necessitate scit », verissimam quidem esse, « si intelligatur de scientia simplicis intelligentiae, quae scl. naturaliter praecedit actum voluntatis »; « de his enim verum est quod habent esse in Deo de necessitate ». « Si quis autem dictum hoc accipit de scitis a *Deo omnibus* qualitercunque, animadvertat, quod complexiones contingentes, puta me nunc scribere, non sunt verae necessario sed libere; et consequenter libere in Deo habent esse et non ex necessitate ». *Jam adverte in iis, quae sequuntur, a Cajetano principium enuntiari, quo tanquam primario nituntur Molinistae.* « Est tamen, ita pergit Cajetanus, *quidam necessitatis modus* etiam in horum scientia apud Deum . . . *quoniam omne scibile, quam primum est scibile, oportet scitum esse a Deo*, non autem omne volibile quam primum est volibile, oportet a Deo esse volitum, ut patet. Et ratio diversitatis est, *quia omne verum, oportet esse in Deo et consequenter cognitum*, quia cognitum secundum quod in cognoscente est, cognoscitur; omne autem bonum non oportet esse aut fore in seipso, et consequenter non opportet esse volitum a Deo ». *Jam vero hoc Molinistae constanter principii instar statuunt: quando agitur de Dei scientia, sufficere ut aliquid quomodocunque sit verum, ut ipsum a Deo cognoscatur; nec oportere quaerere, in qua re media proprie et per quam hujusmodi a Deo cognoscantur; unde in futuris conditionatis conditionata eorum veritas sufficiens ratio est ad eorum per Deum determinatam et certam cognitionem asserendam.*

Quae ex Cajetano pro se suaque sententia attulit R. P., discussimus; quam vero nullum eis pro causa Neo-Thomistica pondus insit, in aperto est; atque hic a discutiendis aliis quibusdam testimoniis a P. Dummermuth ex aliis scriptoribus allatis desistimus atque cessamus. Nam quae sit doctrina S. Thomae, quae tradita in ejus antiqua veraque schola doctrina, superioribus articulis et paragraphis adeo invicte demonstratum est, ut reliqua omnia, quaecunque possunt afferri, possint quidem praecedentia confirmare, evertere vero atque elevare ea non possint. Est tamen in animo unum alterumve testimonium, quod P. Schneemann nuper omisit, ex insignioribus quibusdam Thomistis pro causa nostra addere. Quod priusquam praestemus, quemadmodum id in Capreolo et in Ferrariensi fecimus, ita Cajetani doctrinam brevi synopsi colligemus.

## ART. III

### SYNOPSIS PROPOSITIONUM, QUAE CAJETANUS PLACITIS SCHOLAE MOLINISTICAE CONFORMES DOCUIT.

1ª propositio. Operatio primae causae nullo modo praecurrit, ne natura quidem, motionem secundae causae, sed ei intrinsecus dumtaxat cooperatur. Ad 1, q. 19, a. 8 et q. 14, a. 13.

2ª propositio. Motio divina a secunda causa modum et temperamentum accipit. Ibidem.

3ª propositio. Dictum illud « causa secunda nihil agit nisi in virtute causae primae » significat quidem causam secundam non posse ullum producere effectum, nisi prima causa concurrente ; nullo vero modo significat aliquam primae causae *realem prioritatem in respiciendo effectum secundae causae*. Ibidem et ad 1. 2, q. 109, a. 1.

4ª propositio. Quae primae causae in operationibus creaturarum prioritas vindicatur, ea sola independentiae et intimitatis majoris est, qua quidem prioritate prima causa prae secunda effectum hujus independentius atque intimius attingit et penetrat. Ibid. ad 1, q. 19 etc.

5ª propositio. Ut in agendo libera sit voluntas, debet ipsa se ad agendum applicare, non ab alio applicari : quinimo omnis actus, qui ad finem omnino determinatum simpliciter ex directione superioris agentis tendit, nec perfecte voluntarius nec perfecte ab ipso agente est ; siquidem in tali actu agens agitur potius quam agit. Ad 1. 2, q. 9, a 4 circa finem.

6ª propositio. Ut aliquis actus libere eveniat, nequaquam sufficit, ut agens retineat meram ad utrumlibet oppositorum potentiam, sed omnino opus est, evenire ita actum, etsi ceteroquin infallibiliter eveniat, ut a proxima causa, etiam quando haec in concreto et prouti substat divinae providentiae spectatur, non ponatur prorsus inevitabiliter. Ad 1, q. 22, a. 4.

7ª propositio. Una objectiva motio, sine ulla praemotione et praedeterminatione, quae se tenet ex parte potentiae, in Deo clare in se viso sufficit ad voluntatem simpliciter et absolute determinandam, ut toto affectu in Deum feratur. Ad 1, q. 105, a. 4. — Haec de Cajetano.

## § 6

## De duobus aliis veteribus Thomistis.

### ART. I

#### CONRADUS KOELLIN, O. P.

Ex Conrado Koellin qui coenobii Coloniensis O. P. praesul fuit, quique unus ex primis contra Lutherum insurrexit, duo jam pro sententia nostra R. P. Schneemann testimonia excitavit (1); neutrum tamen aeque luculentum est atque illud, cujus jam Suarez de Concursu l. 2, c. 3, n. 16 olim meminit. Petitur ipsum ex « egregio ejus commentario in primam secundae », ut Bellarmini utar verbis (2). « Cum, inquit (in q. 79, a. 1), in hac materia dicitur quod *Deus est causa actus peccati quoad substantiam per prius et plus quam voluntas peccans,* licet non agat vel sit causa deformitatis, nota propter Scotum, quod *non debet intelligi quasi prima causa in aliquo instante attingat effectum et operationem causae secundae in seipsa* (scl. prima causa non attingit hanc pro se et seorsum), *quasi habeat unam motionem praeviam actioni creaturae* voluntatis peccantis, *et illa motio praevia producat prius pro aliquo instante, quam voluntas.* Ille enim sensus falsus est; *non enim, cum aliquis vult, oportet, antequam velit, praecedere motionem Dei,* loquendo de naturali volitione vel mala (3). Et in hoc sensu videtur se fundasse Scotus in alio proposito, ubi vult, quod ad hoc, quod res sint contingentes, oporteat voluntatem divinam esse contingentem i. e. liberam, ita quod si ex necessitate vellet, nihil esset contingens. Et in hoc scienter contradicit philosophis, etiam Aristoteli, quamvis immerito, sed de hoc alibi. *Sensus autem verus est* quod secunda causa non producit nisi in virtute primae, quae *secundam conjungit suo effectui et intimius attingit effectum quam secunda, sed cooperando intrinsece secundum modum naturae causae secundae,* unde *attingit operationem voluntatis modificatam* (*attemperatam*) *juxta conditionem voluntatis* (4). Et ergo talis *effectus non* habet necessariam habitudinem ad causam primam sed contingentem, *quia fit ab ea secundum conditionem voluntatis et causae secundae,* quae est contingens (5). *Unde habet*

(1) Scilicet ad 1. 2, q. 9, a. 6 et q. 10, a. 4 apud Schnemann p. 112.
(2) « De Scriptoribus Ecclesiasticis ».
(3) Haec omnia et singula sane Molinistice dicuntur.
(4) Vides tradi hic eandem doctrinam, quam supra Cajetanus tradidit.
(5) Ne hoc quidem consentaneum est placitis Neo-Thomistarum. Cfr notam sequentem.

(*causa prima*) *motionem cooperativam propriae actioni creaturae, et secundum modum ejus*. Unde si Deus ageret ex necessitate naturae, ut philosophi posuerunt, staret nihilominus contingentia rerum propter defectibilitatem et libertatem causarum secundarum (1). Quare in proposito intelligas, juxta Doctoris sancti mentem, Deum primo concurrere ad actum peccati, quia videlicet voluntas non agit nisi in virtute Dei ; *quae tamen solum habet motionem cooperativam, et prius attingit cooperando quia intimius attingit* (2) ; *et ne imagineris modo Scotico, quasi sit aliqua duratio naturae*, in cujus primo instanti Deus attingat actum peccati et in secundo secunda, *sed simul duratione, tamen Deus prius perfectione* ». Mirum, ut doctor antiquae scholae Thomisticae — Conradus enim jam 1536 senex Coloniae diem obiit — plane Molinistice in omnibus loquatur : prioritas, quae in agendo cum creaturis competit Deo, est unius perfectionis et intimitatis prioritas, nullo modo durationis, quinimo ne naturae quidem ; conjungit Deus causam secundam suo effectui non aliter nisi cooperando intrinsecus secundum modum causae secundae ; falsum denique est, cum aliquis vult, oportere antequam velit, praecedere motionem Dei ; hoc tum tantum verum est, quando de alia ac naturali operatione creaturae agitur. Ita Conradus. Numquid aliter Molinistae ?

---

## ART II

### DIDACUS DEZA, ARCHIEPISCOPUS HISPALENSIS, O. P.

Juvabit quaedam etiam afferre ex operibus Didaci Dezae O. P., quem communiter Hispalensem vocant, quia Ecclesiae Archiepiscopalis Hispalensis Antistes erat, quando profundissimas suas in quatuor libros sententiarum elucubrationes anno 1517 publici juris fecit. Is ergo in l. 2, dist. 24, quaest. unica inter alia, quae laudari possent multa, in art. 4 ad 15 haec habet : « Quae non necessaria sunt ad consequendum finem et si sint utilia, non se habent ad voluntatem determinate et necessario sicut finis ; *et ad ista volenda voluntas seipsam determinat, cum posset ad ea volenda se non determinare et illa non appetere* ». Ergo secundum Dezam ita se determinat vo-

(1) Quî hoc verum sit in sententia Neo-Thomistarum, non cernitur. Nam, ut creatura agere omnino possit, secundum ipsos defectibilitas voluntatis praedeterminationibus physicis prius tollenda est, et voluntas ad Dei similitudinem, qui indefectibilis est, ante ipsam actionem evehenda. Cf. Dummermuth p. 164 sqq. ; p. 354 sqq.

(2) Quam hic modus loquendi, nec modus loquendi solum, sed ipsa etiam doctrina a modo loquendi et a doctrina recentioris Thomismi discrepat! « Prius attingere » est « intimius attingere », « prius attingere » est, ut mox dicet « perfectius attingere ».

luntas ipsa ad ea, quae rationem mediorum habent, ut posset se non determinare ad ea. Hoc Neo-Thomistae durius dictum videbitur, si tamen sincere secum ipse egerit. Quare? quoniam *se posse non determinare,* quando de facto se determinat voluntas, id *evidenter ad actum secundum voluntatis pertinet;* minime vero ad actum primum (ad meram potentiam se non determinandi). Quamvis autem Neo-Thomistae concedant, a voluntate se determinante ad aliquid, quod medii rationem habet, retineri simul potestatem ad non se determinandum i. e. actum primum; attamen eam in ista conditione posse reapse et actualiter seu de facto non se determinare, non exsequi determinandi actionem quasi in actu secundo, hoc ab ipsis rejicitur. Etenim secundum ipsos repugnat, adesse Dei praedeterminationem physicam ad actum quendam secundum, quae ab intrinsecus efficax sit ad eum actum praemotio, nec tamen sequi ipsum actum. Contra Deza docet, quando se ad aliquid, quod medii rationem habet, determinet voluntas, posse eam se non determinare.

Haec quidem satis clare ostendunt, veterum doctorum Salmanticensium vias non fuisse easdem atque recentiorum. Nam quam saeculo decimo quinto ad finem vergente Deza cathedram Salmanticae occupabat, eam circa finem saeculi decimi sexti occupabat Dominicus Bannez, praemotionum atque praedeterminationum physicarum, si minus auctor et fundator, diligentissimus saltem cultor et acerrimus propugnator. — Sed alia etiam apud eundem Dezam his clariora et efficaciora testimonia exstant.

Statuit Deza in 1, dist. 38, q. 1, a. 3 inter alia duas propositiones, quae ad rem nostram spectant. Una haec est et ad objectum pertinet: « *Contingens, ut futurum est, maxime si sit contingens ad utrumlibet, non potest cognosci per certitudinem et infallibiliter, sed secundum quod est in seipso ac praesens cognoscitur* » ; altera vero haec est et ad cognitionem Dei pertinet: « Deus ab aeterno cognoscit futura contingentia certitudinaliter et determinate, *non ut futura sunt, sed in seipsis, secundum quod Deo ab aeterno sunt praesentia* ». Ostendit deinde, esse effectum in causis « nihil esse aliud, nisi in causis esse *potentiam aut virtutem ordinatam ad tales effectus* ». Unde concludit: « Si . . . virtus et potentia causae non habet ordinem determinatum et necessarium ad producendum effectum, sed ea posita potest sequi et non sequi effectus, non dicitur effectus esse in causa determinate et ex necessitate, sed contingenter et incerte et indeterminate. Cum autem in causis futuri contingentis non sit potentia aut virtus habens ordinem necessarium ad futurum contingens, alias non esset futurum contingens sed necessarium, pro eo, quod necessitas et contingentia in effectu provenit ex necessitate et contingentia causae; sequitur, quod *futurum contingens in causis suis non habeat esse necessarium nec determinatum et infallibile, ac per hoc quod in causis suis cognosci non potest certitudinaliter ac determinate et infallibiliter. Et secundum mentem S. Thomae hoc non solum verum est de causis secundis et proximis futuri contingentis, sed etiam de prima quae Deus est.* Militat enim ratio supra inducta respectu

primae causae sicut respectu proximarum, *quoniam virtus et potentia Dei non habet necessarium ordinem et determinatum ad esse et productionem futurorum contingentium magis quam ad eorum non esse, sed libere et ad utrumlibet se habet ad ea, quantum est de se* (1). Concluditur ergo secundum praemissam deductionem, quod non solum in causis proximis, *sed neque etiam in causa prima, quae est Deus, futura contingentia cognosci possunt certitudinaliter et determinate*, cum non sit eorum causa necessaria et determinata sed libera ad utrumlibet (2), neque per consequens ipsa sint in Deo necessario, absolute et determinate ».

Postquam deinceps ostendit Hispalensis, se in hac doctrina tradenda doctrinam D. Thomae ad amussim secutum esse, id sibi jam opponit, quod solent Neo-Thomistae, atque in specie R. P. Dummermuth Molinistis opponere, quando conantur ostendere, S. Thomam docuisse, futura libera in nulla omnino ipsorum causa, adeoque ne in ipso quidem Deo certo cognosci posse ; loqui aiunt D. Thomam de unis causis secundis secundum se et seorsum acceptis, non prouti substent divinae determinationi, in hac enim futura contingentia sine dubio cognosci certo posse. Quid vero Hispalensis ? Ipsum audiamus. « Si autem quis objiciat, inquit Il., quod *licet virtus et potentia divina secundum se et absolute non habeat ordinem necessarium ad esse vel non esse futurorum contingentium, tamen considera-*

(1) Si quis haec interpretaretur atque acciperet ita dumtaxat, ut unum hoc affirmaretur ab Hispalensi, divinam essentiam ut sic et ex natura sua non esse magis determinatam ad contingentium futurorum exsistentiam quam ad eorum non exsistentiam, nihil profecto pro causa sua diceret Hispalensis. Etenim 1° hoc vel in ipsis futuris necessariis usuvenit ; neque enim Deus natura sua et ut sic magis determinatus est ad eorum esse quam ad eorum non esse. Deinde vero 2° etiam ob aliam rationem nihil sic pro assertione sua docuisset ; quoniam *etsi non natura* esset divina potentia divinaque virtus magis determinata ad esse futuri contingentis quam ad ejus non esse, *libera tamen voluntatis suae determinatione* posset ejus causalitas esse magis ad unum quam ad alterum determinata, quemadmodum id statuunt recentiores Thomistae ; qui consequenter contendunt, futura contingentia in Deo ut in eorum causa posse certo praecognosci. Unde constat, sententiam Hispalensis esse debere hanc : *nullam omnino in Deo posse usuvenire determinationem, nec naturalem nec liberam, quae mere de se necessario et determinate inducat esse ( exsistentiam ) futuri contingentis, sed utut Deus aliquid contingenter futurum esse libere velit, ita eum id velle, ut nec ex hac volitione libera Dei nec aliunde inducatur physica quaedam proprieque dicta antecedens necessitas ad hoc, ut hoc futurum contingens suo tempore eveniat, sed vere physicam possibilitatem manere, ut utrumlibet eveniat.* Quae Hispalensis mens ac sententia, uti nobiscum concordat plane, ita summopere placitis recentiorum Thomistarum de decretis divinis physice voluntatem ad unum praedeterminantibus adversatur. Haec enim decreta profecto sunt liberae determinationes in Deo ipsaque maxime necessario atque determinate inducunt de se omnis futuri contingentis exsistentiam in particulari. Hinc liquet ulterius, quando Hispalensis subdit, Deum « non esse futurorum contingentium causam necessariam et determinatam » vel id, quod modo dixit, « eum non habere necessarium ordinem et determinatum ad esse et productionem futurorum contingentium magis, quam ad eorum non esse », *hoc sine dubio ita hic intelligendum esse, ut in quocunque signo consideretur Deus, sive secundum naturam sive prout se ad cooperandum liberis creaturis libere determinavit, nihil in eo unquam inveniatur, ex quo tanquam ex causa futurum contingens necessario et determinate derivetur, sed divinam causalitatem semper ita comparatam esse, ut contingentia liberi futuri et possibilitas physica, ut non eveniat, sarta tecta servetur.* Hoc repugnare placitis recentioris Thomismi manifestum est ; hanc ipsam vero mentem Hispalensis esse, ex iis, quae dicturi sumus, magis etiam patebit.

(2) i. e. contingentia futura ita causat Deus, ut nihil repugnet, ea etiam aliter evenire, quatenus nimirum est *ex una vi divinae causalitatis*, quae de se ( ex parte sua ) ad utrumlibet se habet. Vide praecedentem notam.

*ta dispositione et determinatione scientiae et voluntatis divinae de futuris contingentibus producendis, quae fuit in Deo ab aeterno, videtur, quod ab aeterno fuerit ordo necessarius et determinatus in potentia et virtute Dei ad illorum esse et productionem ; ex quo sequitur, quod futura contingentia certitudinaliter et determinate ab aeterno potuerunt cognosci per intellectum divinum in suis causis primis, — ad ista respondemus,* quod, sicut voluntas Dei ab aeterno determinavit aliqua futura contingentia producenda fore in esse, ita etiam determinavit, quod essent producenda contingenter et fallibiliter, et sic aptavit eis causas proximas contingentes et impedibiles ac defectibiles, ex quibus effectus ipsi contingentes possunt evenire et non evenire et produci et non produci (1) ... *Ex quo sequitur, quod futura contingentia in causa prima, etiam determinata, quantum est ex ratione causalitatis, cognosci non possunt per certitudinem et determinate* ».

Hic duo notanda : 1° negatur unum : quando de liberis futuris certo a Deo cognoscendis agatur, ipsam causam primam ratione unius causalitatis, etsi haec ex parte Dei determinata omnino in ordine ad libera agentia concipiatur, sufficiens adaequate fundamentum praebere posse ad contingentia futura determinate et certo cognoscenda, quod est aperte doctrinam et supra laudatam distinctionem Neo-Thomistarum negare. Hoc non est probandum, sed per se patet.

Indicatur vero 2° alterum quiddam : etsi causalitatis ratio, quomodocunque consideretur, sola nequaquam sufficiat ad libera certo cognoscenda futura, esse tamen in Deo aliam quandam rationem, quae sufficiat ad hoc, ut etiam futurorum contingentium Deus certam, determinatam, infallibilem notitiam habeat ; quae qualis sit paulo infra ab ipso traditur, ubi hoc statuit, « res in Deo esse sicut in perfectissimo repraesentativo », quo omnia perfectissime exhibeantur, *prouti in seipsis sunt.* Quod utique est in genere profiteri sententiam Molinae de cognitione Dei circa futura contingentia ; quamvis non ausim affirmare, quidquid hoc loco Hispalensis explicationis gratia insuper addidit, id omnibus nostris Doctoribus probatum iri (2). Satis nobis est ostendisse, etiam Hispalensem Molinisticis potius quam Neo-Thomisticis sententiis imbutum fuisse eisque inhaesisse.

Quae Hispalensis ut ex doctrina D. Thomae hausta proposuit his locis, tribus propositionibus possunt comprehendi, quae singulae a doctrinis Neo-Thomistarum prorsus dissentiunt, Molinistarum vero doctrinis summopere consentaneae sunt.

1. Etiam quando consideratur Deus, prouti sese jam libere determinavit ad hoc, ut certus quidam libere contingens eventus suo tempore locum habeat, debet vel ita Deus concipi hac ratione constitutus, ut in libera

(1) Sensus horum verborum non potest esse nisi hic : *quomodocunque causae proximae considerantur, quamdiu nihil aliud in iis consideratur quam sola ea, quibus physice in effectum influunt : contingentes, impedibiles, defectibiles sunt.* Nam si vel unum physicum *momentum* in iis esset, quo eorum defectibilitas tolleretur, qualis est secundum Thomistas divina praedeterminatio physica, non sequeretur conclusio, quam Hispalensis mox subjicit : « quod futura contingentia » etc.

(2) Cfr v. g. Molina Concord. q. 14, a. 13, disp. 48, § « Ut tam ».

creatura non maneat solum quomodocunque tandem quaedam facultas aliud etiam agendi, sed debet vera in ea manere et simpliciter dicta physica possibilitas, ut etiam diversus ab eo, qui reapse locum habet, eventus ab ipsa inducatur.

2. Quando se ad ea voluntas creata determinat, quae pro ipsa medii rationem habent, ita se ad ea determinat, ut possit, etiam in concreto, ad ea non se determinare.

3. Fieri prorsus non potest, ut Deus, quatenus concipitur ut mere physice causans effectus creaturae liberos, in quocunque tandem signo consideretur, sibi ipsi adaequate sufficiens ratio objectiva exsistat ad futurum contingens certo cognoscendum, sed hoc cognoscere ideo tantum potest, quia est perfectissimum repraesentativum omnis veritatis, secundum quod haec actu in seipsa est.

# SECTIO SEPTIMA

## DE NEO-THOMISMI ORIGINE ATQUE AETATE DEQUE EJUS CAUSIS.

Brevissime hac ultima sectione duo complectemur, quae videntur nobis non immerito a lectoribus desiderari : unum, quae videatur fuisse Neo-Thomismi origo, alterum, quae causae praecipuae.

### § 1

### De origine ac tempore Neo-Thomismi.

#### ART. I

#### FRANCISCUS A VICTORIA O. P.

Constat inter omnes, *Dominicum Bannez* O. P. qui ab anno 1580-1604 primariam cathedram Theologiae in Salmanticensi Universitate tenuit, doctrinam de praemotionibus ac praedeterminationibus physicis maximo cum vigore professum esse, eamque late ab eo fuisse propagatam (1). Nec minus certum est, *Petrum Soto* similibus, imo multo etiam rigidioribus, sententiis indulsisse (2). Hoc evidenter constat altera, quam ad Ruardum Tapperum, celeberrimum Universitatis Lovaniensis cancellarium, dedit epistolam. Quoniam vero haec epistola fere est de iis, quae ad quaestionem magis limitatam de gratia efficaci pertinent, non de iis, quae spectant ad generalem quaestionem de modo, quo Deus omnibus agentibus secundis adsit, ideo praeferimus, praecipuas ejus partes in nota subjicere (3).

(1) Cfr Schneemann ll. p. 192 sqq.

(2) Cfr Dummermuth p. 559 et p. 646; Suarez l. 3 de Grat. c. 35, n. 7.

(3) Exstat haec secunda Petri Soto ad Tapperum epistola in opere Ant. Reginaldi : « De mente Concilii Tridentini circa gratiam se ipsa efficacem » in appendice Col. XXIII sqq. Mirum quantum Soto in nonnullis accessit ad modum loquendi, quem Bajus postea et Jansenius usurparunt. Quamobrem minus mirum illud, P. Du Chesne in suo opere « Histoire du Bajanisme » origines haeresis Bajanae ab hac epistola repetiisse. Sed haec res utcunque se habet, operae pretium est, praecipua quaedam ex hac epistola afferre. « Pari fide, inter alia ait Sotus ll., putamus tenendum, hanc gratiam, de qua Scriptura et Patres loquuntur, quamque ad singulos actus bonos necessariam esse et dari, antiqua Concilia et Augustinus contra Pelagium affirmant, non esse quamcunque inspirationem, sive bonae cogitationis immissionem, vel sancti alicujus propositi suggestionem vel pulsum cordis, non, inquam, esse aliquid horum solum, sed Dei efficacem operationem et motum, quo in anima nostra et volun-

Sed ab ipsa instauratione studiorum Theologicorum in Hispania, quae summo cum successu per *Franciscum a Victoria* O. P. facta

tate et cum ea atque per eam efficit ipsam voluntariam operationem bonam, hoc est ipsum velle, credere et quodcunque opus bonum ».

Habes hic : unam hanc, quae tali modo efficax sit, secundum doctrinam catholicam esse gratiam. Sed audi jam, quae sequuntur.

« Et ne videamur de nomine tantum disputare, vocentur dona illa | de quibus prius dixit scl. gratiae mere sufficientes | gratiae et misericordiae, quamquam Paulus praedestinatos solum vocet vasa misericordiae et reliquos vasa apta ad interitum, et in illis dicat Deum divitias gloriae ostendere, in istis autem velle ostendere iram etc : sint tamen utcunque dona gratiae, quibus sustinet in multa patientia vasa illa irae, certe illa gratia quaedam erit multo inferior et minor illa altera, de qua loquimur ; nec minor certe et inferior, ut aperte dicam, quasi in eadem specie sed *omnino alterius ordinis*. Illis enim donis, illis, si ita placet, gratiis non efficitur velle illud, quo ad gratiam venimus, ceterum hac unica gratia efficitur. Nec dici potest, ideo illis non effici, quoniam auxilia sunt minoris efficaciae, alterum vero efficacius, sicut minore et infirmiore calore ignis non calefit aqua, calefit autem majore et ferventiore. Absit, ut hoc dicamus de Dei in nobis virtute et operatione, ut quasi quaedam insufficiens sit et imperfecta, alia vero perfecta ».

Habes hic notandum alterum : quae efficax est et una secundum ipsum proprie gratia, illam ab aliis, quae a quibusdam minus vere dicuntur, gratiis essentialiter prorsus ordineque differre, nec ullo modo tantum secundum plus aut minus intra eandem speciem. Pergit jam :

« Agit ergo Dei inspiratio semper efficaciter id, ad quod a Deo immittitur, nec est in ea perfectum et imperfectum ». . .

Sonant haec fortasse pie ; sed si ea intelliguntur simpliciter ita, prouti dicuntur, continent doctrinam minus piam, imo erroneam : mere sufficientem gratiam non immitti a Deo, ut opus salutare fiat. Quod dici nequit de Dei voluntate seria in danda hac gratia, etsi ea voluntas conditionata, non absoluta sit. Serio enim immittit Deus gratiam mere sufficientem ad hoc, ut opus salutare fiat.

Pergit Sotus : « Sunt igitur, quantum videtur, *diversarum rationum et ordinum haec dona ;* unde nec proprie videtur inter ea comparatio, nisi sicut inter res diversarum omnino rationum ». . .

Hic tertium habes, efficacem et secundum Sotum unam proprie gratiam adeo a gratiis mere sufficientibus differre, quae secundum ipsum improprie dicuntur, ut ne comparari quidem inter se juste possint ; quod utique ad alterum dictum consequens est.

« Patres nihil, quod infra hanc, de qua loquimur, gratiam, qua convertimur, nomine gratiae Christi dignati sunt ». . . | Affert quosdam textus S. Augustini | « Denique quidquid morbum non sanat, eo loco ( lib. de Gratia Christi ) cp. 8 et 9 magis ad legem, quae vulnerat, quam ad gratiam pertinere dicit. Quomodo enim haec gratia dicenda sunt, qua juvamur, quae « ut multum juvent, inquit | S. Augustinus |, ad hoc juvant, ut gratia requiratur ». Ut tamen de re etiam gravissima nos agere pateat, dicimus, ex hac Patrum doctrina necessario colligi, quantum possumus capere : etiamsi cui daretur donum, *quo* tantum *possit* vel a peccato recedere vel *bonum operari, non vero faciat : si daretur, inquam, possibilitas boni, quomodocunque id placeat cogitare. . . dicimus nullo modo etiam tunc fieri posse a nobis bonum sine novo adveniente auxilio gratiae, quo fiat bonum, nullo, inquam, modo fieri posse* ex lege illa : « Sine me nihil potestis facere » et « qui operatur in nobis velle et perficere ». . . ( Affert quosdam textus ex Aug. ).

Quidquid de textibus allatis est, hoc modo non disputamus ; habes jam quarto : Gratiis mere sufficientibus veram *non* dari possibilitatem bonae operationis, quia nullo modo fieri possit, ut illis solis praeventi bonum operemur : « si daretur possibilitas boni ».

« Quibus verbis ( S. Augustini ), et quae supra diximus de eo, quod « gratiam » Scriptura et Patres vocant, et quae nunc asserimus, nulla gratia dari, ut possimus bonum facere sine alia gratia, nisi qua fit, ut faciamus, confirmantur apertissime. *Nulla igitur est gratia, qua solum bonum charitatis velle possumus, nisi qua et volumus.* Detur itaque quod possimus facere bonum sive per naturam sive per gratiam aut alia dona, possumus, inquam, simpliciter, sed nunquam possumus sine alio auxilio nisi scl. jam adsit gratia, qua et facimus ». . . [ Num recte dicatur, nos id posse simpliciter, quod ita tantum possumus, prouti Soto hic adstruit, lector judicet ].

« Ex quibus certe omnibus sequitur, *posse quoddam* [ potentiam quandam ] ad bonum faciendum *concedere* in eo, qui nondum facit, absque nova gratia, ipsum videtur quod in Pelagianis damnat Augustinus. . . Haec igitur sola vera est gratia necessaria ad salutem quam Catholica confitetur Ecclesia ».

est (1), vera quaedam germina hujus doctrinae spargi coepta sunt; non quod ea doctrina ipsi in succum et sanguinem transierit, sed quia quaedam tradidit, in quibus non potest non videri ea doctrina involvi. Et profecto non facile est ad intelligendum, quî doctrina praedeterminationis physicae evitari possit, imo quî ipsa non implicite asseratur, si duo principia, quae Victoria ad 1. 2, q. 10, a. 4 in codice manuscripto Vaticano (cod. 4630) (2) enuntiavit, una amplexus sis.

Putat ergo Soto, catholicam doctrinam omnino prohibere, quominus admittamus vel veram quandam ad bonum supernaturale faciendum potentiam in eo, qui nondum facit. Quantopere in hac assertione a vero aberret offendatque ipse contra doctrinam catholicam, manifestum est.

« Ex his inferri credimus, hanc gratiam multis subtrahi, vel omnino, ut iis, qui nusquam ea charitate bonum voluerunt; vel aliquando, sed non finaliter, ut peccatoribus ad vitam praedestinatis; vel certe finaliter, nempe praescitis damnari; *aliis vero conferri, idque nullo in iis praecedente discrimine*, imo nonnunquam praecedente discrimine, quo cui subtrahitur vel natura vel moribus propinquior erat, et cui conceditur, remotior ».

Habes hic quinto : donum illud efficax gratiae, de quo Soto, nullo modo, ut consequamur, in nostra potestate situm esse.

Post alia quaedam interposita prosequitur Soto : « *Et sicut Deo, ut primo motore et auctore, aliquid operante in causa secunda et per eam, omnino sequitur effectus, nec tamen libertas aufertur a liberis causis*, ita eo, ut gratiae distributore operante per gratiam, non deerit effectus ipse nec libertas aufertur ».

« Ex qua etiam similitudine hoc, quod sequitur, ut certum semper habuimus, quia *cum Deus, ut universale agens, ad naturae opera efficaciter moveat voluntatem*, non proponens nec suadens tantum, *sed in eam imprimens, ipsamque effective inclinans*. . . ita per omnia ut gratiae distributor ad opera gratiae non minus voluntatem movet . . . *Ex quo consequens est, ad ea tantum naturalia opera, quae facimus, facienda adesse nobis generale ejus auxilium, non vero ad oppositum vel omnino alia*; v. g. cum ambulamus, non adest Dei universalis cooperatio, ut sedeamus. *Quis vero dicat, subtractam nobis esse facultatem sedendi, cum tamen revera subtractum sit auxilium ad illud? . . . Nec etiam idem censebimus de subtracto auxilio gratiae, ut scl. non propterea libertas auferatur illa faciendi, ad quae facienda subtracta est gratia* » ?

Habes hic plura, quae prorsus Neo-Thomistica sunt : ipsa ea, quae toto hoc libro impugnavimus. Sed quam maxime notandum est hoc : facultatem aliquid agendi manere secundum Soto, absente etiam auxilio Dei ad id agendum omnino necessario, atque hanc nudam inopemque facultatem secundum ipsum sufficere, ut maneat in nobis agendi libertas. Eadem plane docent recentiores Thomistae.

Quemadmodum nihil nocere opinatus est Soto libertati agendi carentiam auxiliorum, quae ad agendum prorsus sunt necessaria, modo interna et innata homini potentia aliquid agendi conservetur, ita *putat, se satis valide impugnare posse quoddam « secundum principium ( a Tappero statutum ) de libertate arbitrii : « Non est libertas, ubi est necessitas, et ad unum aliquid determinata facultas »*. « Quamvis in hac re nolim contendere, inquit, *contraria tamen sunt haec verba Augustino in libro 5 de Civ. Dei cp. 10, ubi aperte necessitatem coactionis sive ut ipse dicit, qua etiam si nolumus efficit, quod potest, libertatem auferre fatetur, non autem necessitatem inevitabilitatis*, secundum quam videlicet, ut ipse inquit, necesse est esse, ut aliquid ita sit vel fiat; hanc etiam in Deo esse ostendit ». . . [ Affertur hic inter alia S. Augustini cp. 46 de Nat. et Grat. ].

« *Ad libertatem itaque voluntatis ex Augustino et Thoma non video requiri potentiam aut indeterminationem ad utrumque esse oppositorum, quam nonnulli quoad specificationem vocant, sed sufficere vel libertatem a coactione. . . vel certe libertatem et indeterminationem secundum exercitium, qua scl. possumus de quocunque bono non cogitare, et ita non velle* ».

Non est, cur hic quidquam adnotem, res per se loquitur. —

(1) Cfr inter alia, quae de eo P. Franc. Ehrle S. J. scripsit in periodico Germanico « Der Katholik » anno 1884 Zweite Hælfte p. 506 sqq.; ubi etiam commemoratum invenies, quid de eo paulo juniores, qui ejus partim discipuli fuerant, celebres omnes Theologi Salmanticenses Canus ( de Locis Theol. l. XII, c. 1 ), Barth. Medina ( Expositio in 1$^{m}$ 2$^{ae}$ D. Thomae. Praefatio ), Bannez ( Comment. in 2$^{m}$ 2$^{ae}$ q. 1, a. 7 ) judicaverint. Medina eum restauratorem divinae Theologiae, Bannez vero quasi reparatorem Theologiae Scholasticae vocat.

(2) Schneemann, p. 116.

Unum horum principiorum est hoc : *Quoties Deus nobiscum concurrit, fieri non potest planeque repugnat, ut nos non agamus ;* alterum : *Concursus Dei exhibitus nostram operationem non concomitatur tantum, sed ut vera causa operationis nostrae ei naturae antecessione praecedit.* Haec autem duo principia Victoria clarissime et iterato loco laudato elocutus est. Accedit, quod Victoria concursum Dei ad actum nostrum liberum *hac absoluta volitione* praeberi censet : « *Volo, quod voluntas amet* », vel generaliter : « *Volo ut voluntas agat* », licet contendat, hac absoluta actus nostri volitione per Deum posita, quoniam naturam voluntatis non mutet, relinqui voluntatem in eliciendo amore liberam, sicut est ex sua natura. Tandem hoc etiam animadverte, quomodo Victoria contra definitionem libertatis communissime receptam pugnet.

Quae ut videas, ita reapse esse, adscribo locum integrum, prouti eum exhibet p. 524 sqq. R. P. Dummermuth (1) :

(1) Quamvis Victoria loco laudato talia eloquatur, ut, si sensum verborum naturalem et obvium teneas, non possis doctrinam praedeterminationis physicae non videre, ex altera tamen parte loci apud eum inveniuntur, in quibus modum loquendi priorum Theologorum adeo servat ac retinet, ut cum doctrina illa componi non posse videatur. Ut aliqua afferam : recentior Thomista vix illud scripserit, quod ait Victoria ad 1. 2, q. 1, a. 1 : « Habere dominium actuum est : quod homo *habet in sua potestate, quando agit, non agere,* et quando non agit, agere, et agere taliter vel taliter » ( apud Schneemann p. 117 ; apud Dummermuth p. 520). Nam secundum recentiores Thomistas, homo quando agit, retinet quidem potentiam ad non agendum et vice versa ; attamen habere hominem simpliciter in sua potestate tunc non agere, id statuere recentior Thomista nequit. Insuperabilis enim est virtus praemotionis et praedeterminationis physicae ad agendum ; et in quo signo adest, homo non potest reapse non agere.

Porro alteram etiam doctrinam parum consentaneam placitis recentiorum Thomistarum in eodem articulo Victoria tradit. Objicit sibi : « Sed si quis instet contra hoc [ hominem debere moveri ad volitionem finis a Deo, quoniam ante volitionem finis sit in pura potentia ], quia ex hac ratione etiam probatur, quod voluntas movetur ad volendum medium ab alio ; *quia antequam voluntas movetur ( ad volendum medium ) est etiam in potentia ; ergo debet moveri ad actum ab extrinseco, puta a Deo,* sed hoc est contra S. Thomam dicentem, quod voluntas ad finem [ solum ] movetur ab extrinseco. Respondeo, concedendo quod voluntas movet se ad medium, sed non voluntas sola et nuda, sed voluntas cum volitione finis. Et hoc non est inconveniens, scilicet quod ipsum agens cum aliquo actu superaddito moveat se » ( Vide Schneemann et Dummermuth ll. ).

Notum est ex superioribus, postulari praemotionem physicam a recentioribus Thomistis ad singulos actus creaturae ob hanc causam, quia, ut ajunt, primum tolli debet a Deo potentialitas ab agente creato relate ad actionem ponendam, ut reapse et cum effectu eam agere possit ; tantum actuatum a Deo et quidem in ordine ad actionem eam ponendam, quae ponenda est, agens creatum reapse actionem exercere potest. At secundum hunc locum Victoriae voluntas non indiget actuatione per Deum relate ad singulos actus et volitiones mediorum ; sed tantum relate ad primum actum seu volitionem finis a Deo actuanda est. Ita actuata ipsa se ulterius ( ad media ) actuare potest ; quae est utique doctrina superiorum Theologorum.

Animadvertit vero R. P. Dummermuth p. 521 nota 1 ad hunc locum, excludi a Victoria illam ( solam ) motionem, « qua voluntas movetur a Deo ad ipsum finem, quam motionem Thomistae vocant motionem specialem, quia supplet primum actum requisitum ad hoc, ut voluntas se ipsam movere possit », non excludi motionem communem. At quia arguens concluserat necessitatem divinae motionis etiam ad volitionem mediorum extendi oportere, quia voluntas etiam relate ad ea volenda in potentia sit ; quid convenientius fuisset, si tamen Victoria jam totus ad doctrinas recentioris Thomismi transierat, quam respondere, eam potentialitatem quidem ex parte potentiae a Deo levandam esse, manere tamen indifferentiam voluntatis quoad objecta, et hanc tolli non a Deo, sed a voluntate informata intentione finis ? Cfr R. P. Dummermuth p. 164 sq. Nihil tamen hujusmodi respondet, quamvis

« Quaest. X, art. 4. *Utrum voluntas moveatur a Deo necessario.* « S. Thomas ponit conclusionem negativam, quod Deus non movet voluntatem necessario . . . Haec conclusio certa est apud omnes in 2 Dist. 25, ubi omnes tenent quod voluntas agit libere, dato Deus concurrat semper generali concursu ad agendum.

« Dubium tamen est in argumento facto pro haereticis, scilicet, posito concursu Dei, non potest voluntas non agere, quia alias divina voluntas frustraretur. Et hoc argumentum tetigit S. Thomas hic in 3 argumento. Et ita posset dari responsio ad hoc argumentum, scilicet quod *concursus generalis Dei datur omnibus rebus in omni tempore, sive res agant sive non, id est, etiam si ego non deambulem modo, nihilominus habeo concursum generalem quo ambulare possum, si velim :* et iste modus dicendi imaginatur, quod in primo instanti quo Deus creavit creaturas, concessit concursum generalem. Et tenendo hanc imaginationem salvatur libertas voluntatis, quia voluntas potest agere et non agere posito hoc concursu generali, et hoc nullum est, inconveniens. Et opinio ista imaginatur, concursum generalem esse sicut quaedam qualitas existens in rebus : et ita res quando operatur, operatur mediante illa qualitate.

« *Sed ista imaginatio* etsi clara sit, *non videtur tenenda.* Patet, quando Deus concurrit generaliter cum aliqua re, iste concursus est actio Dei : ergo Deus aliquid agit : *ergo est impossibile quod ille concursus sit cum igne, et quod ignis non agat.* Ergo.

« Praeterea, sive Deum concurrere cum creatura sit Deum velle, sive non, hoc est tamen certum quod nunquam concurrit Deus cum igne, *nisi Deus velit ignem calefacere ;* sed est impossibile quod Deus velit ignem calefacere, quin ignis calefaciat, quia alias voluntas Dei frustraretur. *Ergo nequa-*

id maximopere difficultatem minueret ; sed reponit simpliciter, voluntatem actuatam intentione finis posse suam superare potentialitatem quoad electionem mediorum per seipsam.

Porro etiam illud parum Thomistice statuitur a Victoria ibid. ad q. 9, a. 6 « 2ª Conclusio », motionem voluntatis per Deum ad certum actum *in particulari* esse motionem supernaturalem. « Secundo modo, inquit, movet Deus voluntatem supernaturaliter, puta, *quando movet Deus voluntatem in particulari ad certum actum* ». (Apud Schneemann p. 119 ; apud Dummermuth p. 523). Nam secundum recentiores Thomistas Deus ad omnem actum in particulari et determinate movet. At secundum Victoriam hoc tantum locum habet, quando de supernaturali actu eliciendo agitur.

Item in sequenti quaestione 10, art 4. plura sunt, quae recentiori Thomismo adversantur. V. g. illud, quod exstat apud Dummermuth p. 528 : « Ex quo infero, quod *in potestate voluntatis est, quod Deus concurrat cum illa vel non* » ; et alterum ( ibid. ) : « Revelavit Deus Petro : ter me negabis » ; et tamen fuit in potestate Petri post illam revelationem, quod Deus nunquam revelasset, quia *in facultate Petri erat non negare Christum* ». Quomodo haec assertio vera est positis principiis Neo-Thomismi ? Si propterea inevitabilis erat Petro negatio Christi, quia Deus ab aeterno absolute decrevit, Petrum ad materialem actum hujus negationis physice praedeterminare : numquid vere in Petri facultate erat non negare Christum ?

Quid omnia haec dicimus ? Propter duo : unum, ut ostendamus, saltem in succum et sanguinem nondum transiisse Victoriae principia Neo-Thomismi ; *fere* adhuc inhaeret principiis modoque loquendi veterum Theologorum ; alterum, ut innuam, illum articulum 4 qst. 10 in 1ª 2ae, de quo in textu, fortasse admittere interpretationem, qua in concordiam et secum ipso et cum aliis doctrinis Victoriae et cum tota vetere Schola Thomistica redigatur, quamvis eam interpretationem hucusque ipse assecutus non sim. Nihilominus etsi talis interpretatio inveniretur, opinarer tamen, Victoriam saltem suo hic modo loquendi Neo-Thomismo originem dedisse.

*quam est possibile quod Deus concurrat, quin ipsa voluntas agat.* Et ita relinquimus istum modum. Et dico quod quando Deus concurrit cum creatura, semper creatura agit ».

« Et ideo aliter respondetur ad argumentum. *Et Almaynus*, in 1° cap. suorum Moralium, respondet hoc modo, concedendo quod non est possibile, posito concursu Dei, quod voluntas non (1) potest non agere, ne concursus Dei sit frustra. Dicit tamen quod voluntas est libera. Ratio est quia *ad libertatem sufficit quod, positis omnibus praeviis ad agendum, voluntas possit agere et non agere* : id est, ad hoc quod voluntas agat, primum est quod objectum sit praesentatum illi vel cognitum sub ratione boni ; sed posito isto praevio, scilicet quod objectum sit cognitum sub ratione boni, voluntas potest non agere. *Sed concursus divinus non est praevius, sed est concomitans actum voluntatis*, quia semper quando est divinus concursus, voluntas agit ; ideo voluntas est libera » (2).

« *Sed certe solutio ista est impertinens, quia quantum ad quod dicit, quod concursus Dei non sit praevius ad hoc quod voluntas agat,* arguitur sic : Voluntas non potest agere, *nisi ponatur* [ in rerum natura ] concursus Dei : *ergo concursus Dei est praevius* » (3).

« Praeterea, ad hoc quod aliquid dicatur praevium ad agendum, sat est quod sit prius natura, quam causa illa, id est voluntas, agat. *Sed concursus Dei est prius natura quam causa agat :* patet quod concursus Dei sit prius natura quam voluntas agat, quia ad agendum praesupponitur ; ergo est praevius : patet quod praesupponatur, quia aliter voluntas non potest agere ».

« Praeterea, probatur quod concursus Dei sit prius natura, quia *est causa quod voluntas agat : ergo est prius natura.* Consequentia nota est, quia *omnis causa est prius natura suo causato.* Probatur antecedens : quia concursus Dei movet voluntatem ut agat per suum concursum ; ergo est causa quod voluntas velit ».

« Praeterea et ultimo arguitur : Sequitur ex hac opinione quod voluntas nunquam est libera, quia vel est libera in illo instanti in quo est concursus Dei, aut ante illud instans : non primum, quia fateris quod *pro illo instanti pro quo est concursus, voluntas non potest non agere.* Si dicatis quod est libera ante concursum Dei, arguitur : sic ergo potest agere et non agere ;

(1) Illud « non » videtur redundare. Sensus enim hujus sententiae est, fieri non posse, ut posito concursu voluntas non agat.

(2) Haec Almayni responsio secundum substantiam optima est. Nam cum concursus Dei actu exhibitus mere concomitetur exercitium libertatis nostrae ( intrinsece cooperans est actioni nostrae, ut ajebat Cajetanus ) in voluntatem formaliter determinando atque ita necessitando influere aut non potest aut saltem non debet; licet verum sit, voluntatem creatam non posse exercere libertatem et sese ad unum agendum determinare, nisi simul concurrat Deus. De doctrina Almayni, quem Bellarminus l. 4. « de Grat. et Lib. Arbitr. » c. 14. ita affert, quasi determinationem liberi arbitrii in singulis actibus per Deum docuerit, Cfr Ruiz « De Scientia Dei » 49, s. 8, n. 20 sq. ibid. d. 50, s. 4, n. 28, qui ostendit, Almaynum in hac quaestione nihil protulisse, quod certo falsum sit. —

(3) Hoc Victoriae argumentum, si conclusio accipitur, ut sonat, inane est. Supponitur in eo, actionem aliquam non posse essentialiter pendere a conditione quadam et influxu mere concomitante,

sed prima pars est falsa, quia sine concursu non potest agere. Ergo » (1).

« *Et ideo nos dicimus, quod non est definiendum liberum eo modo quo Almaynus ; sed isto modo, liberum est quod quando agit, potest non agere :* v. g. voluntas amat Petrum libere, et tamen in hoc instanti potest non amare ; sed causae naturales, ut puta ignis non libere calefacit, sed necessario. Haec definitio communiter ponitur ab omnibus, dempto Almayno » (2).

Pergit Victoria : « Et ita supponendum est principium dialecticum, *scilicet quod cum propositione affirmativa de inesse bene compatitur propositio modalis divisa* [ *in sensu diviso* ] *de possibilitate, cujus copula negatur ;* ut cum ista propositione : Petrus amat, stat haec modalis divisa : Petrus potest non amare. *Et haec est libertas.* Tamen cum ista : Ignis calefacit, non stat ista : Ignis potest non calefacere ».

« Et per hoc ad argumentum commune respondeo facile : *Posito concursu Dei, voluntas non potest non agere.* Primo dico, quod posito isto concursu, possum habere amorem Petri, et non habere amorem, quia modalis divisa non repugnat alteri de inesse. Et ad replicationem : Possum non amare : ponatur haec propositio de inesse, quia est possibilis, scilicet quod non amem : ergo jam non amo, et Deus concurrit. Respondeo concedendo quod sua de inesse sit possibilis, *tamen non est vera quia repugnat priori.* Et ad argumentum : ponatur in esse quia est possibilis. Respondeo negando quod ponatur in esse, *quia repugnat posito.* Et ita si ponitur in esse, puta non amo, non est vera illa prior, puta Deus concurrit, aut Ego amo ».

Posito igitur concursu praevio, quandam utique possibilitatem contrarii vel contradictorii in voluntate esse vel remanere, a Victoria admittitur. Sed qualis tandem haec possibilitas est ? Est *possibilitas contrarii vel contradictorii, quam repugnat reduci in actum* — recentior Thomista diceret, eam esse possibilitatem contrarii vel contradictorii in sensu diviso, non in sensu composito. Etenim affirmatur a Victoria, quando voluntas ob concursum Dei praevium ad amorem elicit actum amoris, eum actum jam non posse non elici, manere tamen in voluntate possibilitatem quandam non amandi. Et ideo quoniam ita « haec modalis divisa : Petrus po-

quasi omnis conditionis necessariae influxus necessario antecedens sit. Similiter cetera argumenta Victoriae, si asserta conclusionesque severe accipiuntur, faciles habent solutiones. Sed eas singulas afferre nostrum non est.

(1) Ex hac ultima ratione Victoriae contra Almaynum maxime patet, ipsum *loqui de concursu Dei actu exhibito.* Attende verba : « Pro illo instanti » etc. Porro de hoc ipso concursu alia tria affirmat : unum, « esse Ipsum veram causam, quod voluntas agat » — cfr ratio praecedens — alterum, fieri non posse, ut Deus concurrat, nec tamen voluntas agat — cfr responsa Victoriae contra priorem sententiam allatam — tertium : « sine ( hoc ) concursu creatura non potest agere ». Ergo ex sententia Victoriae concursus Dei exhibitus ( in rerum natura positus ) necessarius est, ut creatura agere possit ; est porro vera causa actionis creaturae ; est causa ex parte sua necessario inducens actionem creaturae. Haec porro sunt illa, quae supra ei tribuimus, et quae ab ipso doceri in sequentibus confirmabitur.

(2) Hoc falso asseri ex superioribus constat.

test non amare », vera manet, etiam quando Petrus amat, propterea opinatur, salvam esse voluntatis libertatem, licet concedat, fieri jam absolute non posse, ut voluntas abstineat in eo signo, quo amet, ab actu amoris, quoniam talis actus suspensio « repugnet posito » scl. actui et concursui Dei praevio ad actum amoris.

Consentanea his illa sunt, quae supra contra primam opinionem Victoria statuerat: « Ergo nequaquam, inquit, est possibile, quod Deus concurrat, quin voluntas agat », « quia alias voluntas Dei (absoluta) frustraretur ». Qui ergo actus a voluntate reapse elicitur, ex voluntate Dei absoluta elicitur i.e. ex voluntate, qua Deus absolute vult, hunc actum fieri. Cui absolutae voluntati respondet medium exsecutionis, scl. concursus praevius. Is nimirum secundum Victoriam talis est in potentiam voluntatis praevius Dei influxus, ut ipso posito repugnet, actum determinatum non elici, licet remaneat in voluntate nuda remotaque potentia ad non actum vel etiam ad contrarium actum. Quis est qui non videat, hic clarissime saltem praeformari doctrinam Neo-Thomismi de cooperatione Dei cum creatura agente? imo quis potest negare, hic non omnia tradi elementa, quibus Neo-Thomismus essentialiter constituitur?

Audiamus jam ea, quae porro apud Victoriam sequuntur.

« Et eodem modo argumentum commune solvitur. Ponatur quod Deus revelet mihi Antichristum fore, et producat hoc judicium in meo intellectu; tunc cum ista de inesse: Deus revelat, stat haec modalis: Antichristus potest non fore. Ultra, ergo sua de inesse est possibilis, puta non erit. Transeat. Ponatur in esse quod non erit: *Dico quod destruitis positum; quia sua de inesse repugnat isti: Deus revelavit. Et ita si Deus facit quod Antichristus non erit, Deus nunquam revelavit quod Antichristus erit*, quia Deus solum revelat ea quae erunt. Sed si Antichristus non erit per te, nunquam Deus revelavit Antichristum fore ».

« Sed est argumentum contra ea quae dicta sunt. *Deus potest necessitare voluntatem; et non est alius modus quo necessitet, nisi concurrendo ad amorem. Ergo* ».

« Respondetur, quod quando Deus concurrit cum voluntate, *potest facere hoc per duos actus. Primo habens istam volitionem: Volo quod voluntas amet; tunc voluntas non necessitatur:* et hoc dicit S. Thomas in littera, *quod concursus divinus non mutat naturam voluntatis, id est, relinquit voluntatem liberam,* sicut est ex natura sua: et iste est concursus generalis. Et hic non tractamus an concursus Dei sit ipsum velle, vel aliquis actus alterius potentiae executivae in Deo. *Sat est nobis quod quando Deus concurrit generaliter cum creatura, habet istam volitionem: Volo quod creatura agat, vel voluntas amet* ».

« *Sed alium actum potest habere Deus,* quando concurrit cum voluntate, scilicet istum: *Volo quod voluntas necessario agat,* et tunc Deus necessitat voluntatem; et ille concursus est specialis, et raro sic concurrit, sed communiter concurrit generaliter; et *ita quando creatura est ex natura sua li-*

*bera, ut voluntas, cum illa volitione divina, scilicet, Volo quod creatura agat, potest voluntas non agere ;* sed quando creatura est agens naturale, cum illa volitione Dei non potest non agere » (1).

« Ex quo infero quod in potestate voluntatis est, quod Deus concurrat cum illa vel non. Patet, quia in facultate voluntatis est habere amorem vel non habere (2). Si voluntas habet amorem, Deus concurrit cum ea; si vero non habet actum, non concurrit cum ea. Et ad hoc datur simile ex materia futurorum contingentium. Revelavit Deus Petro: « ter me negabis »; et tamen fuit in potestate Petri post illam revelationem, quod Deus nunquam revelasset, quia in facultate Petri erat non negare Christum (3). Ultra, non negabit, ergo Deus non revelavit. Patet, nam dato opposito, sequitur quod Christus mentitus est. Et ideo pro hoc facit regula, quod quando propo-

(1) Numquid his duobus modis volendi positis Victoria principia superius a se posita et enuntiata reliquit et ad principia veteris Thomismi reversus est ? Non censemus. Nam licet Deus in decernendo concursu generali, qui secundum Victoriam liberam relinquit voluntatem, dicatur tantum decernere : « Volo, quod creatura agat vel voluntas amet » ; in concursu vero speciali, qui tollit libertatem, dicat : « Volo, quod voluntas necessario agat » : tamen utraque voluntas, utrumque decretum videtur de facto et a parte rei libertatem tollere, neque videtur his a Victoria statui aliud nisi illud ipsum, quod posteriores Thomistae statuunt, quando dicunt : alia praedeterminationis physicae decreta esse hujusmodi, ut Deus non tantum velit actum, sed etiam eum modum actus, qui sit liber ; alia vero decreta ita cadere in actum, ut etiam ipsius actus necessitatem simul inducant. Nam ubi primum Deus plane antecedenter et absolute vult aliquem actum fieri, et propterea in voluntatem praevie *talem influxum adhibet, qui metaphysica necessitate secum trahat potentiam* in eum actum, libertas actionis conclamata jacet. Sola differentia inter utrumque decretum haec videtur esse, quod semel necessitas consequentis actionis diserte et explicite affirmatur, semel in iis, quae explicite affirmantur, implicite continetur. Ergo in his, quae Victoria hic docet, nihil eorum, quae superius dixit, retractat, sed tantum modum indicat, quo non obstantibus iis, quae supra statuerat, servari libertatem arbitrii putat. Hic autem modus, quo non statuitur decretum concurrendi sub praesupposita conditione ex parte agentis creaturae vel consequenter ad eam in Deo, sed simpliciter absolute et antecedenter, quoque simul non negatur talis praevius influxus Dei in causam i. e. in potentiam liberam, cui repugnet non actio, sane omnia retinet, quae essentiam doctrinae praedeterminationis physicae efficiant.

(2) Hoc in sententia Victoriae immerito dici, ex iis, quae superius disputata sunt, luculenter constat. Distinguamus igitur primo ultimum dictum seu rationem additam Victoriae secundum ea, quae ipse superius docuit : « In facultate voluntatis est habere amorem vel non habere i. e. voluntas est facultas de se idonea et physice potens ad eliciendum actum amoris, *si cetera requisita adsint,* et est simul facultas, quae eo actu potest *secundum se spectata* carere, conceditur assertum ; est facultas, quae *sub concursu Dei praevio* ad amorem, cui concursui repugnat non elici amorem, retinet potentiam ad non amorem seu potest non amare, subdistinguo : retinet quandam *potentiam non reducibilem in actum*, quae proinde ad verum libertatis exercitium insufficiens est, concedo iterum assertum ; retinet potentiam reducibilem in actum, et proinde potentiam sufficientem ad libertatis exercium, nego assertum. Haec ex iis, quae superius dicta sunt, patent. Quaero jam, quomodo vera esse possit praecedens illatio : « *Ex quo infero quod* in potestate voluntatis est, quod Deus concurrat *cum illa vel non* » ? Nam ut ratio addita simpliciter falsa est in sententia Victoriae, quoniam in facultate voluntatis nec est nec esse potest potentia simultanea in eodem signo rationis pro arbitrio voluntatis aut reducenda in actum amoris aut non reducenda, sed debet jam amare praesente concursu ; ita etiam falsum est, in potestate voluntatis esse vel esse posse, ut Deus concurrat vel non concurrat. Et profecto quod vere praevium est ad omnes et singulos actus nostros, id ut sit aut non sit, non potest esse in potestate nostra.

(3) Hoc utique ipsum per se verum est. Numquid etiam in sententia et praemissis Victoriae ? — Sed, quemadmodum supra diximus, Victoria nondum plane a vestigiis veteris scholae declinaverat. Hinc illa parum inter se consentanea.

sitio de praeterito dependet ex futuro contingenti, praeteritum est contingens sicut futurum: v. g. Deus revelavit Petrum negaturum: revelavit dependet ex illa, « ter me negabis »; et quia futurum est contingens, ita illa de praeterito est contingens » (Fol. 85 sqq.).

Ex iis, quae ad textum supra adnotavimus, evidenter patet, quaenam sit doctrina Victoriae hoc loco. Unde id, quod ultimo loco dixit, propositionem praeteritam in casu, de quo agitur, ex futuro contingenti pendere, in ipsius sententia verum esse, plane non video. Distinguendum est igitur: pendet propositio illa praeterita ex futuro contingenti i. e. ex eo, quod esset *natura sua* contingens, transeat; quod modo pro natura concursus et pro volitione, qua Deus a Victoria concurrere dicitur, est contingens, nego. Vult enim Deus voluntate absoluta effectum, atque talis ab ipso concursus praevius statuitur, cui repugnet natura sua non actio creaturae.

---

## ART. II.

### DOMINICUS SOTO O. P.

Quamquam autem auctoritas Victoriae in rebus theologicis maxima erat, in sententia tamen, quam de praevia Dei motione in actibus nostris liberis II. videtur professus esse, celeberrimum suum discipulum, *Dominicum Soto O. P., sectatorem* non habuit (1). Scripsit hic inter alia sub ipsam sessionem VI Tridentini, cujus ipse pars non minima erat, opus suum « De Natura et Gratia » atque Patribus Tridentinis inscripsit. In eo porro libro plura enuntiavit, quae aliter quam Molinistice intelligi prorsus nequeunt. Unus tamen locus ibi exstat (l. 1, cp. 16), qui potest videri in aliquibus Neo-Thomistis favere. Neque tamen ita est, prouti infra videbimus, licet vel ipse Molina subobscuro loquendi modo Soti deceptus sit. Cfr. Conc. q. 14, a. 13, disp. 39. Primo igitur ea videamus, quae Sotus prorsus *in sensu Molinae* de cooperatione Dei cum creatura operante docuit. Ea jam Suarez l. 3 « de Auxil. » c. 13, n, 21, § « Ultimo loco », « de Gratia » l, 5, c. 51 (47) n. 2. sqq. et P. Schneemann II. p. 158 sqq. laudarunt. Quamquam autem vel hujusmodi sunt, ut quidam ex Dominicanis Sotum propterea arguerint, quod nimium libertati faveret (2), ii scilicet, qui Victoriam strenue sectantes, Neo-Thomistice sentire coeperant, Petrus Soto, alii: nihilominus a R. P. Dummermuth suae causae vindicantur (3).

(1) De Dominico Soto cfr inter alios Ehrle « Katholik » II. p. 632 sqq.
(2) Ita ipse Soto testatur in comment. in 4 sent. in fine Dist. 50.
(3) II. p. 640 sqq.

In libro 1 De Nat. et Grat., cap. 15, haec ait Sotus: « Quartum validissimum argumentum [contra Lutheranos negantes liberum arbitrium sub motione Dei] est, et quod ratio ex Scriptura sacra elicit: Si Deus ita nos justificaret per gratiam suam, ut nihil assensione nostra et arbitrio opus esset, cum ipse ad ostium sit semper et pulset: quid causae restaret, cur non omnes converteret? Quod si rem forte *in aeternas causas praedestinationis retuleris,* quia cui vult miseretur, et quem vult indurat; *non satis quaestioni feceris.* Illa enim est causa suprema et remota, videlicet, quare hunc ad gloriam destinaverit, illum vero minime, de cujus effectu ait Augustinus, quare hunc trahat, illum non trahat, noli dubitare, si non vis errare. Sed tamen *causa praeterea desideratur proxima*, per quam destinaverit unumquemlibet in regnum recipere. Ut enim ex infantibus hic salutem consequitur, quia renatus est ex aqua et Spiritu Sancto, ille vero nequaquam, propterea quod absque baptismo vita decessit: ita *in adultis reddenda est proxima causa, cur, cum duos aeque sit Deus paratissimus convertere, praesentissimaque utrumque misericordia aspiret, hunc trahat, illum non trahat. Quae revera reddi non potest, nisi quod alter praebet assensum et cooperatur; alter vero minime.* Ut enim parvulum per baptismum sine suo consensu, ita adultum per suam cooperationem praedestinavit convertere. *Sed et rationem cur majori hunc gratia* [*habituali*], *quam illum perfundat, nullam certe aliam effingere poteris, quam quod unus majori se quam alter conatu et impetu amoris converterit.* Quis enim dixerit, omnes peccatores ad aequalem amicitiam reconciliari? tantam scilicet gratiam [habitualem] recipere tepidum poenitentem, quantam Magdalenam, cui remissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multum. Imo vero, si rem altius inspexeris, cum Deus Ecclesiam suam tam ex animo percupiat eo esse decore et sanctitate, qua decebat esse dilectissimam sponsam Christi, suo sanguine redemptam, tamque providenter eam legibus, documentis, exemplis, et sacramentis instruxerit, tamque sit praesto, qui nobis opituletur: nimirum qui irradiare principum corda sol ipse justitiae nunquam cessat, *quid in causa esse potest, cur non instauratur, nisi quia assensum nostrum expectat et operam?* Ut in propatulo eodem loco est Apocalypsis: Ecce enim sto ad ostium et pulso ».

Habes hic plura, quae Molinisticis doctrinis plane consentanea sunt, adversantur Thomistis: 1° *rationem unicam proximam,* « cur, *cum duos aeque sit Deus paratissimus convertere praesentissimaque utrumque misericordia aspiret,* hunc trahat, illum non trahat », i. e. unum convertat, alium non convertat, esse hanc, « *quod alter praebet assensum et cooperatur, alter vero minime* ». Jam vero hoc plane Molinistice dictum est; Neo-Thomisticis vero quicunque imbutus est principiis, id unice aut saltem praecipuo quodam modo in usum libertatis varium revocare non potest. In Dei praemotionem et praedeterminationem physicam, aut si magis placet, in voluntatem physice a Deo praemotam et praedeterminatam ut sic aut non ita motam et praedeterminatam revocare debet. — Porro 2° eadem adaequata motio aspirantis gratiae potest habere et saepe habet in duobus diversum prorsus ef-

fectum; nam unus se convertit, alter se non convertit, « unus majori se quam alter conatu et impetu amoris » convertit. Hoc iterum non Thomistice dictum est, sed plane Molinistice. Agi autem in utroque effectu de eadem *aduaequata* motione aspirantis gratiae evidens est. Nam id 1° ipsa verba indicant; 2° secus si esset, vanum esset quaerere, quae esset causa proxima, cur unus potius traheretur quam alter; 3° vanius etiam hujus rei causa in *unam* hominis liberam cooperationem aut non cooperationem referretur. — Haec autem ipsa suppositio aequalis *omnino* gratiae in uno homine se convertente et in alio homine se convertente minime etc, 3ᵘᵐ quoddam momentum est, quod in brevi hoc loco principiis Molinisticis convenit, contra in Thomistica placita graviter offendit. Nam gratia sufficiens et gratia efficax apud Thomistas ipsa physica essentia differunt.

Audiamus nunc, quomodo se Soto contra reprehensores hujus doctrinae in commentario ad 4 lib. Sent. II, defendat.

« Lib. 1 cap. 15, inter confirmandam sententiam de libero arbitrio, quartum adjecimus argumentum, quod si in adultorum justificatione assensione nostra et libero arbitrio non opus esset, *non redderetur causa proxima* cur unus converteretur, et non alius. Suprema enim et remota causa, praedestinatio quidem est. Unde Augustinus: Quare hunc trahat, et illum non trahat, noli dubitare, si non vis errare. Sed tamen causa praeterea reddenda est proxima, per quam destinaverit unumquemlibet in regnum recipere. Haec ibi. Ad majorem tamen explicationem addatur: quae sit ad justificationem materialis dispositio. Ubi causa per quam, non dicit causam praedestinationis, sed dispositio ad primam gratiam justificationis, quae est effectus ejus: quae ideo dispositio est itidem effectus ejusdem praedestinationis. Etenim sicut in parvulis baptismus est causa cur unus salvatur, et non baptizari est causa cur non salvatur, pariter in adulto qui per actum interiorem ante sacramentum convertitur, cum Deus paratissimus sit quemcumque convertere, praesentissimaque misericordia ex duobus utrumque aspiret, cur iste convertatur et non ille, *reddi non potest causa, nisi quia unus praebet assensum, alter vero minime.* Quidam vero hoc taxare voluerunt, dicentes, quod nimium tribuerim libero arbitrio in justificationis causa. Et tamen salva semper Catholicae Ecclesiae censura, arbitror necessario sic dicendum. Assensus enim liberi arbitrii non est causa praeveniens motionem Dei, sed effectus ejusdem motionis (1), idem praevenientis liberum arbitrium. Est enim pulsatio et aspiratio Dei ad corda nostra, similis aeri in fenestram clausam aspiranti. Sed quia non aperit nobis eadem corda ex necessitate, sed nobis libere consentientibus, quamvis *causa prior efficiens*, quae nos convertit, sit ejus aspiratio et *motio praeveniens*, tamen dispositio materialis, quae hoc modo dici potest causa, est assensio nostra (2).

(1) Scilicet per gratiam excitantem et praevenientem homo vires morales et physicas consequitur ad supernaturaliter operandum et assentiendum.

(2) Scl. assensus noster liber, qui a gratia praeveniente physice nobiscum operante procedit, est causa dispositiva et materialis ad gratiam habitualem.

Sicuti causa efficiens praeveniens, cur fenestra aperitur, est aer intrans, sed causa materialis, cur aer intrat, est quia fenestra aperitur. Et est exemplum ad propositum necessarium ex Philosophia accersitum: quae ideo philosophia non deberet in Theologia nihili fieri. Haec ergo Theologia non asserit assensum nostrum ut est a libero arbitrio meritum gratiae; hic enim fuit Pelagianus error; sed, ut procedit ab auxilio speciali, est sicut dispositio materialis natura praecedens primam gratiam habitualem; et ut subsequens eandem gratiam est meritum de condigno gloriae. Unde quamvis Deus apud Ezechielem dicat: Auferam ab eis cor lapideum, et dabo eis cor carneum; nihilominus Psalmista ait: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Primum, quia ipse aperit [scl. virtute gratiae praevenientis]; secundum, quia non nisi nobis consentientibus aperit. Et ideo postquam dixit Christus, Joann. 16: Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui me misit, traxerit eum, subjunxit: Qui audit et discit, venit ad me. *Quasi in nostra potestate sit trahenti assentire aut dissentire.* Unde Augustinus postquam dixit: Quare hunc trahat, illum non trahat, noli dubitare; subjunxit: Si non es tractus, ora ut traharis: insinuans quod etsi assensus noster non sit causa praedestinationis, sit tamen aliquo modo materialis causa justificationis. Et haec est doctrina S. Thomae; imo videtur sententia Oseae, cap. 13: Perditio tua, ex te, Israël; ex me tantum auxilium tuum. Ubi docemur causam justificationis in Deum referri: est enim hic aut ille justus, quia Deus illum justificavit; sed causa cur homo non justificatur, referenda est in ipsum hominem [non in Deum praemoventem aut non praemoventem physice]. Ob id enim Judas non est justificatus, quia inspirationibus divinis non assensit: justificatio enim non est praedestinatio, quae nullam habet causam, sed ejus effectus, quae in nobis habet materialem dispositionem. Eadem ratione causa cur Magdalena fuit ad majorem gratiam etiam primam conversa, quam alius tepidus poenitens licet efficiens fuerit motio ipsa divina, tamen dispositio materialis fuit ferventior ejus motus auxilio divino praeventus, quod rivulus lachrymarum ejus testatus est. Haec autem subsequenti capitulo 16 latius exposita sunt».

Lib. de Nat. et Grat., capite 16, quo praedicta latius exponuntur, Dom. Sotus ita loquitur: « Diluitur argumentum quo Lutherani, velut Achille, passim utuntur. *Si* quando Deus vel ad bonum vel ad malum nos movet, *in nostra esset potestate, non moveri; motio Dei non esset efficax*, atque adeo neque esset omnipotens: contra illud: Omnia quaecumque voluit Deus, fecit, in coelo et in terra. Quo argumento persuadent sibi, quoties nos Deus movet, necessitatem nobis inferre. Illatio sua tamen nullius est vigoris. Quod enim nos Deus libere moveat, nihil contra ejus cunctipotentiam et efficaciam pugnat. Quinimo *inde amplissime patet infinita ejus virtus et sapientia, quod alias causas instituit naturaliter movere, et alias libere, et cum singulis modo proprio concurrere.* Quocirca quicquid Deus vult voluntate absoluta, et quae dicitur beneplaciti, fit, juxta illud Rom. 9, 19: Voluntati ejus quis resistet? *Quando autem cum libero homine con-*

*currit, non vult illud fieri, nisi salva humana natura et libera voluntate, quae idcirco resistere Deo potest, ut de Pharaone legitur, et de Janne et Mambre:* Ita et hi resistunt veritati. Et: Vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut patres vestri ».

Haec iterum unis favent Molinistis, 1° quia asseritur, Deum, quando (i. e. quoties) concurrat cum libero arbitrio hominis, non concurrere decreto absoluto, sed conditionato; praedeterminationis autem physicae decretum plane absolutum est: « volo absolute hunc actum (libere) fieri »; 2° quia concursus Dei, quo cum causis liberis revera concurrit, ita accommodatus est, ut ei libera causa et possit reapse resistere et reapse saepe resistat. — Sequuntur obscure et ambigue dicta:

« At restat nonnihil praeterea explicandum. Aut enim sumus liberi in hujusmodi actionibus ante momentum temporis, quo nos Deus movet, aut praesente motione Dei: *non ante, quia absque eo movente, moveri nequimus, neque cum nos ipse actu movet, quia non stat ipsum nos movere, quin una moveamur. Sunt enim movere et moveri, ceu actio et passio, correlativa.*

« Ad dissolvendum argumentum hoc, *supponenda est definitio libertatis. Illa enim causa libera est, quae positis omnibus requisitis ad agendum, potest et agere et non agere.* Cui contraria ratio est causae naturalis. *Sunt ergo inter Scholasticos qui doceant, posito concursu Dei, non esse utrumque in potestate voluntatis, scilicet agere et non agere.* Ob idque secundo *ajunt ejusmodi concursum non connumerari inter requisita ad agendum.* Imo dicunt, ut sua utamur voce, *concomitari actionem ipsam. Horum autem duorum, vel utrumque nunquam intellexi, vel neutrum unquam credam. Etenim non est dubium, quin concursus Dei,* licet concomitetur, ut ajunt, actionem, sit nihilominus cuicumque causae secundae requisitus ad agendum, *imo vero et natura praerequisitus.* Quoniam non solum Deus est causa effectus secundae causae, *verum ipse etiam movet eam ad agendum. At quamvis ille concursus sit praerequisitus, nihilosecius, illo posito, tunc etiam est in facultate voluntatis agere et cessare.* Alias nullus dabitur requisitorum numerus, quibus positis, voluntas possit agere et non agere, atque adeo neque erit libera. Nam ante divinum concursum non potest agere; et quando ille adest, ut isti ajunt, non potest non agere ».

« *Solutio ergo dubitationis est, quod illo tunc temporis momento, quo Deus mecum concurrit, sum liber, ut tunc agere renuam. Etenim dum libere moveor, possum in sensu diviso non agere, et tunc cessabit concursus Dei. Tametsi in sensu composito contra se invicem pugnent, Deum agere erga me actione illa, et me non agere.* Neque aliud sibi vult Aristoteles, ubi ait, illud quod est, quando est, necesse est esse, quam quod sit jam tunc determinate verum ».

Circa hunc locum primo attendamus, vel in eo ipso duo esse, quae partibus Molinae non mediocriter prosint. Unum est: a Soto retinetur vetus definitio liberi arbitrii, contra id, quod suus olim in Theologia magister Victoria docuerat, et quod deinceps Neo-Thomistae passim docebunt. Hoc

ipsum jam non leve documentum est, Sotum minime in hac quaestione a partibus novae scholae stetisse. Alterum accedit. Evidens est ex ipsa solutione dubitationis, rejici a Soto hic rursus talem motionem liberi arbitrii per Deum, quae physice ipsum ad unum praedeterminet. Nam in eo ipso momento, quo Deus nobiscum concurrit et ego libere ago: in decisione libera mea est renuere, quominus agam: non sic quidem quasi possim simul libere agere et simul libere renuere, quominus agam s. in sensu composito, utriusque actus, quod sane absurdum est, attamen sic, ut possim in sensu diviso alterutrum in eo signo libere amplecti. Si porro in eo signo revera agere renuero, quemadmodum mea actio non habebit locum, ita divinus cessat concursus. Unde patet, auctore Soto in illo signo priore ante actionem meam divinum quidem concursum aliquo modo mihi adesse, cessat enim me renuente agere; neque tamen adesse mihi divinum concursum divinamque motionem per modum physicae praedeterminationis. Huic enim voluntas *reipsa* resistere non potest.

At difficultas loci est in hac re posita, quomodo simul possint tria haec esse vera, quae tamen omnia simul vera esse Sotus affirmat: 1° concursus Dei semper omnem nostram actionem natura praevertit; 2° repugnat, ut « Deus agat erga me actione illa (concursu, motione) et ego non agam »; et nihilominus 3io adest mihi realis et immediata potestas, ut causem cessationem concursus? Qui enim efficere possum actione mea, recusatione mea, cessationem ejus rei (concursus), quae et meam actionem semper praevertit, et quae, ubi adest, inducit repugnantiam, ne agam?

Ex hac difficultate non video exitum patere, nisi adhibita doctrina Molinistarum de concursu Dei oblato et exhibito seu de eodem concursu Dei in duplici quasi stadio considerato. Cf. supra pag. 113 sq. Etenim potest et debet dici, in solo eo signo, quo acturus vel electurus reapse sum, praesto mihi esse *perfecte* eum praecise numero concursum oblatum, quocum, si ita mihi placet, reapse ago, cum prius adfuerit, aut potuerit saltem adesse alius numero concursus, huic quidem in ceteris prorsus similis, at numero saltem diversus; ita autem eum numero concursum in eo signo, quo si placet ago, mihi adesse, ut apud me sit, influatne ipse reapse in meam actionem an non influat. Si porro me volente influit in meam actionem meumque consensum, et proinde Deus actione illa revera erga me agit, fieri nullo modo potest, ut jam non agam; esset enim, quia « movere et moveri (formaliter) correlativa sunt », aperta contradictio. Nam cum Deus non influat in eam, nisi pro mensura et modo, quo ipse in eam influo et ago, sane contradictio esset affirmare, Deo revera influente in actionem meam, me ipsum non influere et agere; influxus enim Dei et influxus meus in actionem meam re idem sunt, et inter se mutuo supponunt. Haec si ago. — Si non ago (renuo agere), concursus ille simpliciter cessat, licet nihil obstet, quominus alius similis omnino concursus rursus statim adsit. Unde in distinctione concursus ut oblati seu in actu primo et ut exhibiti seu in actu secundo, quando in eo momento conside-

ratur, quo voluntas fortasse agit, clavis, ut opinor, tenetur, qua exitus ex hac difficultate et vera obscuritate loquendi pateat. Ita enim jam vere possunt asseri simul haec tria: 1° concursum non solum concomitari, sed suo modo natura etiam praevertere consensum liberum voluntatis; 2° in nostra libera decisione esse, num cesset hic concursus, haec motio divina, an suum influxum revera exerceat; 3io asseri etiam potest, fieri non posse, ut Deo in me i. e. in actionem meam reipsa influente, ego non agam. Illud enim quod est, dum est, necesse est esse. —

Recte ergo Sotus affirmavit, concursum motionemque divinam, quae omni modo mere concomitans sit, statui minime posse, sed statui debere etiam concursum natura sua actionem nostram praevenientem (concursum oblatum), quia solum sic omnia ad agendum requisita in nostra potestate, cum jam acturi sumus, posita sunt. Et revera dummodo praevie ad actionem homini a Deo concursus perfecte offeratur (1), quo oblato divina homini potentia est quasi applicata et ad ejus dispositionem relate ad actionem et actum, qui eliciendus est: nihil amplius desideratur ex parte Dei, ut totum quod a creatura active procedat, active etiam a Deo procedat, non solum effectus, sed etiam ipsa creaturae actio; ipse enim Deus, quantum est ex parte sua, jam vult perfecte utrumque esse, actionem et actum, modo creatura, quod suum est, etiam conferat. Ergo creatura exerente vires suas, est actio et actus. Haec ex Dominico Soto attulisse hac occasione sufficiat (2).

---

## ART. III

### BARTHOLOMAEUS MEDINA O. P.

*Bartholomaeus vero Medina* ex eadem Salmantina schola celebris Theologus plane ad mentem Victoriae docuit (3). Locum huc pertinentem ex commentario ejus ad 1am 2ae q. 109, a. 2 in fine jam supra retulimus. Clare vero eadem, quae loco laudato Victoria, principia tradit ad q. 10, a. 4 in 1a 2ae. « Dicunt igitur, inquit, *quidam viri docti, qui sibi acuti viden-*

(1) Quid esset offerri a Deo concursum, in secunda sectione explicavimus.

(2) Cfr ea, quae de Soto ejusque doctrina valde accurate disputat Suar. « de Grat. » l. 5, c. 51 (47), n. 2; cfr ibid c. 9, n. 2.

(3) De eo consule P. Ehrle « Katholik » anno 1885 Erste Haelfte p. 175. Hausit Medina multa ex Victoria, quemadmodum ipse fatetur in praefatione suae « Expositionis in 1am 2ae D. Thomae ». Inter adversarios a Suarez saepe numeratur. Cfr v. g. « De Grat. » l. 5, c. 9, n. 3; Opusc. « de Auxil. » l. 3, c. 7, n. 2 in fine.

*tur, quod posito Dei concursu, quo Deus concurrit mecum ad loquendum, possum non loqui; imo de facto saepenumero non loquor.* [Videtur contra Sotum dici]. *Imaginantur* enim praedicti auctores, *quod Dei concursus semper est paratus,* et applicatus eodem modo, sive ego loquar, sive non loquar, et sicut ego habeo linguam quando taceo, et sicut corpus coeleste semper est in actuali motione, qua concurrit cum his inferioribus; sic adeo quod licet corpora inferiora non operentur, corpus coeleste semper movetur; ad eundem modum Deus semper suppeditat motum et concursum suum, quo concurrit cum his inferioribus (1), licet secundae causae non semper operentur, neque semper hoc concursu divino utantur. Et hac ratione acute et subtiliter salvatur, quomodo Deus concurrit nobiscum, et non necessitat nos ad operandum ».

« Haec ratio defendendi liberum arbitrium cum Dei concursu et motione, merito ab omnibus improbatur, *quoniam movere et moveri sunt correlativa,* quae mutuo se consequuntur. *Sed Deum concurrere cum causis secundis, est movere illas ad operandum. Ergo fieri non potest ut Deus concurrat cum causa secunda, et quod causa secunda non moveatur ad operandum* (2). Deinde, *Deus* non solum est *causa* partialis omnium horum effectuum, qui fiunt mediantibus causis secundis, sed *etiam totalis in suo genere.* Ergo impossibile est haec duo esse vera, quod Deus concurrat mecum ad loquendum, et quod ego non loquar: *posita enim causa totali, quae impediri non potest, necessum est poni effectum* (3). Ad haec, certa et immobili fide tenendum est, quod non solum Deus est paratus ad concurrendum cum omnibus causis, verum etiam quod movet et applicat universas causas ad operandum, et quod *ex Deo est initium operis nostri. Ergo impossibile est, quod Deus moveat concurrendo, et quod ego non movear.* Tandem secundum imaginationem istorum, quod est perfectionis in nostris operibus, tribuimus nobis: tribuimus enim nobis quod moveamur, quod operemur, quod velimus. Deo autem tribuimus quod est imperfectionis, nempe quod conferat nobis auxilium potentiale et habituale ». [ Hoc adversariis a Medina falso imponitur. Concursus exhibitus estne auxilium potentiale et habituale? ]

« Sic ergo labefactata et expugnata istorum opinione, Almaynus in suis Moralibus, c. 1 et 2, alia via pergit: opinatur quod... concursus divinus non est de praeviis, sed de concomitantibus... Sed iste auctor cum suis sequacibus, putat satis esse respondere ad verba, et quocumque modo se

(1) Id intellige, quantum est de se. Attende etiam, quantopere haec cum explicatione, quam modo de Dominici Soti doctrina dedimus, conveniant. Vide sequentem notam.

(2) Si hoc affirmatur de concursu, Dei re exercito, vere id dicitur. Nam concursum Dei exercitum sine nostra actione esse posse, hoc nihil aliud est nisi hoc : id, quod est, dum est, simul posse non esse. Dei enim concursus exercitus idem est re cum nostra actione. Hic porro unus concursus Dei est proprie concursus. Nam concursus Dei oblatus de se solo nihil ponit extra Deum. Si vero improbatio doctrinae ad concursum Dei *oblatum* extenderetur, nihil magis falsum, quam eam ab omnibus improbari, ut ex iis, quae dicta sunt, patet. Argumenta etiam Medinae attingunt solum concursum Dei re exhibitum.

(3) *Haec maxime verba Medinae mentem produnt.*

expedire ne capiatur in sermone, alioqui parum rem explicat, imo gravissime errat. Certe ut a facilioribus exordiamur, *errat in eo quod dicit, concursum Dei inter praerequisita non esse annumerandum: nam Dei concursus est causa nostrae volitionis. Ergo praerequiritur ad nostram volitionem: omnis enim causa praerequiritur ad effectum* (1)... Praeterea: Eodem modo sicut posito concursu voluntas non potest non agere, *ita posita volitione Dei ab aeterno, qua voluit me scribere, non possum non scribere: sicut enim motio Dei efficax est, sic et Dei voluntas omnipotens est; et tunc non potest dicere Almaynus, quod illa voluntas est de concomitantibus, cum manifeste sit de praeviis* (2). Itaque conficiatur sic hoc argumentum: Prius Deus voluit me scribere, quam quod ego scribam, voluit enim ab aeterno; caeterum hoc non tollit quin ego libere scribam, et posita illa volitione, possum scribere et non scribere (3). Ergo licet Deus me moveat prius ad scribendum, quam quod scribam, non tollit quin libere ego scribam, et quod possim non scribere »...

« Sed jam tempus est ut veram hujus nodi dissolutionem persequamur. Certe D. Thomas hoc in loco, et 1ª P., q. 83, a. 1, in solut. ad 3 dicit, quod posito Dei concursu, non est possibile quod homo non moveatur stante divino concursu, (4) caeterum absolute et simpliciter *potest* non moveri, quod perinde est atque si diceret, non esse possibile hanc copulativam esse veram: Deus concurrit mecum, et movet meam voluntatem, et mea voluntas *non movetur*. Caeterum haec copulativa est vera: Deus concurrit mecum ad volendum, vel loquendum, et ego *possum* non velle, vel non loqui. Cujus causa est: nam Deus concurrit cum causis secundis, sic ut non destruat earum naturas; cum causis liberis libere, cum causis necessariis necessario se accommodat et attemperat. Explicatur haec solutio: Sicut enim posito imperio efficaci intellectus, necessum est ut obediat voluntas, caeterum non necessitatur ad operandum, siquidem *potest imperium cessare pro nostro arbitratu*. Idem explicatur alio exemplo aptissimo: Nam si ego disputo, necessum est quod loquar; verum non necessario loquor, quoniam non necessario disputo: Ad eundem modum, *stante Dei concursu et motione, non possum non moveri, sed non necessario moveor, quia Deus libere me movet:* haec enim est necessitas conditionalis, non absoluta; non consequentis, sed consequentiae » (5).

(1) Hic Medinam oportuit loqui subtilius et distinctius; scl. *concursus Dei oblatus sane est inter praerequisita nostrae volitionis numerandus, estque ejus causa;* neque tamen concursus Dei *exhibitus*. Prior, ut notum est, secundum se nihil est aliud nisi ipsum decretum divinum nobiscum concurrendi hic et nunc, si id, quod nostrum est, praestemus.

(2) Haec iterum modernum Thomismun sapiunt, cum libertatis nostrae, ut opinamur, ruina. Distinctio autem hic adhibenda ex modo dictis patet.

(3) Hoc nonnemo in opinione Medinae dubitabit.

(4) Nihil hujusmodi eo loco occurrit, ut locum inspicienti patebit. Dicitur ibi hoc unum, Deum esse primam causam, moventem naturales causas et voluntarias, nec ob hoc harum destrui libertatem.

(5) Hic unum ex se quaerat lector, cur modum loquendi priorem immutaverit ac deseruerit Medina. Prius dixit: « potest imperium cessare pro nostro arbitratu ». Imperium, quod tale est, certe non tol-

Quemadmodum Victoria primus, deinde Petrus a Soto, sic jam nunc Bartholomaeus Medina, Bannezii coaevus et condiscipulus, statuit concursum Dei re exhibitum vere praevium et ad unum agendum destinatum, qui metaphysica necessitate hunc determinatum motum voluntatis nostrae importet. Quid hic potest ad praedeterminationes physicas adstruendas ultra desiderari? Quinimo apud Medinam jam offendimus illam, quam posteriores Thomistae adeo frequenter usurpant sententiam: « *Posita causa totali (praevia), quae impediri non potest, necesse est poni effectum* » (1).

Ea, quae modo vidimus, perpendenti dubium restare non potest, quin non fuerit Dominicus Bannez, qui systema praemotionum et praedeterminationum physicarum ex integro primus procuderit. Summatim enim jam in decessorum ac magistrorum ipsius libris continebatur, priusquam ipse, vir ingenio fervidus, et argumentandi constantia imperturbata et, ut ita dicam, ferrea, omni ea, qua pollebat, interposita auctoritate illud excolere, latius propagare, omnibus tanquam fidei dogma (2) imponere aggressus est. Ex altera vero parte etiam hoc evidens est, hanc doctrinam ante Victoriae tempora non exstitisse. Nam et Conradus et Cajetanus, Ferrariensis quoque, et ipsi, qui in Hispania florebant, Deza et Dominicus Soto a doctrina hac remotissimi erant, utut excepto Soto, sub eodem fere tempore quo Victoria vel paulo ante eum, diem obierunt. Conradus enim diem clausit anno 1536, Cajetanus 1534, Ferrariensis anno 1528, ipse denique

lit nostram libertatem, sed ejus exercitium supponit. Cur ergo postea non dixit Medina : « possum cessare pro arbitratu meo a motu » ? Profecto sensit, concursu Dei praevio re exhibito eoque tali, quo necesse est ob principium ipsum contradictionis motum voluntatis sequi, non posse voluntatem pro arbitratu suo a motu cessare. Ergo jam non est libera.

(1) Cfr etiam hic alter locus, qui cum eadem doctrina cohaeret: 1. 2, q. 109, a. 10 in fine haec habet Medina : « Eaedem inspirationes ex inspiratione divina habent aliquam energiam in eo, qui convertitur, quam non habent in eo, qui non convertitur... Loquitur de hoc Augustinus lib. de bono perseverantiae cp. 8. dicens : Cur ex duobus impiis unus sic vocetur, ut sequatur vocationem, inscrutabilia sunt judicia Dei. Sed cur ex duobus aeque justis, huic conferatur donum perseverantiae usque in finem, alteri vero non, inscrutabiliora sunt judicia Dei ». Sane ad hunc locum Augustini explicandum non erat opus ad specialem energiam recurrere, quae gratiae efficaci prae mere sufficienti insit. Cohaeret vero hoc (gratiae efficaci specialem vindicare energiam) cum systemate praedeterminationum physicarum. Absolute tamen posset hic locus ex Medina Molinistice explicari.

(2) V. g. Bannez 2. 2, q. 10, art. 1 (edit. Duac. 1614 p. 249 sq.) : « Si assertores contrariae sententiae ajunt, se non posse intelligere, quomodo homo libere credat, speret et diligat, doleatque de peccato, si auxilium Dei ita sit efficax, ita proficiscatur a divina praedefinitione, quod non possint simul stare haec duo : iste homo recipit tale auxilium et non convertitur etc. Ad hanc ergo objectionem responsurus, neque satis mirari possum hujusmodi Theologorum ignorantiam, ne dicam temeritatem : nam primum omnium debuissent credere, quod ajunt se non posse intelligere ; credimus enim catholici mysterium Trinitatis, etiamsi non intelligamus ». Sane illud inscrutabile profundissimumque mysterium credimus, neque tamen hominibus credimus illud, sed Deo ; neque id credimus perspicientes hujus mysterii impossibilitatem, sed dumtaxat non assequentes ejus possibilitatem. Hic vero Bannez hoc a nobis exigit, ut ipsius suorumque explicationi dogmatis, quam ipsi veram esse autumant, intellectum subjiciamus, idque jubent, licet nobis videamur perspicere, hanc explicationem involvere repugnantiam. Ipsorum sane est, si semel sibi persuaserunt, suas expositiones verbum Dei esse, intellectum submittere, etsi nullatenus videant, quomodo ea, quae dicunt, sint vera, sed hoc ab aliis exigere tam facile non debent. Similia Bannez aliis locis profert v. g. 1, q. 23, a. 5 cont. opinion. Javelli arg. 5 in fine (t. 1, p. 288 col. 2). Nec ab aliis Neo-Thomistis hic modus exigendi fidem alienus est ut v. g. Didacus Alvarez « de Auxil. » disp. 118 per totam eam a nobis extorquere conatur.

Victoria anno 1546 defunctus est (1). Tempus exorti Neo-Thomismi habemus. Causae vero ejus restant indagandae. Nec erit difficile, ut opinor, aliquas, quae rem probabiliter simul et sufficienter explicent, historia duce, indicare.

---

## § 2.

### De causis Neo-Thomismi.

Atque primum quidem illos instauratores Theologiae in Hispania ad hoc satis attendisse non putamus, eadem verba diversis aetatibus adhibita minime idem semper significare aut omnino aut communius. Legebant apud S. Thomam, Deum movere omnes creaturas ad agendum nec sine ejus motione creaturam posse quidquam agere. Opinamur, eos non satis vel mentem advertisse vel sententias accommodasse ad hoc, quod apud S. Thomam vocabulum movendi latissime patet, atque quod omnem a potentia in actum traductionem S. Thomas dicit et motionem et motum, et fortasse saepius ita appellat motum formalem quam causalem. Illi autem motionem audientes et motum de eo uno motus genere cogitabant, quod etiam hodie passim ita appellant, motionem dico causalem. Habet autem hoc totum genus motus illud proprium, ut duobus momentis inter se distinctis contineatur et absolvatur. Primum est, ut impulsus quidam vel impressio quaedam in subjecto recipiatur (motus causa), quam deinde consequatur motus ipse magis proprie talis i. e. ulterior quidam vi impressionis acceptae excursus, qui aut mechanicus sit et localis aut magis metaphorice motus, ut v. g. accidit in cognitione elicienda vi speciei impressae vel determinationis ab objecto acceptae. At S. Thomas quando de motione et motu loquebatur, saepissime hujusmodi motus genus ante oculos *non* habebat. In illo utique motu, quem recentissimi, fere unice considerant, motus vel potius motio, si terminative spectatur, est ille ipse impulsus vel impressio recepta et antecedens, quae tantummodo causaliter motus est. At quando S. Thomas productionem v. g. nostrae cogitationis per Deum motionem et motum ad cogitationem appellat, motio terminative spectata ipsa est formalis cogitationis productio, et non tantum aliquod principium cogitationis. Hoc si attendissent illustres illi S. Thomae interpretes, minime prorupissent in illam continuo conclusionem, unde, ut vidimus, totus Neo-Thomismus quasi natus est: S. Thomas docet, omnem creaturam ad om-

(1) Gener, Theol. Scholast. t. 1, p. 163.

nem actum divinitus moveri; ergo Deus ad omnem actum creaturae praemovet; et cum movere et moveri sint correlativa, prorsus repugnat, quominus Deus creaturam ad actum aliquem moveat i. e. praemoveat, nec tamen hic actus creaturae consequatur. Primum vitium hujus ratiocinii est in prima illatione, quatenus ex motione et motu Dei assertis statim ad praemotionem concludatur. Hoc in sectione altera fuse vidimus. Vitium alterum in minore latet.

Nam licet verum sit, movere et moveri correlativa esse, id tamen unice verum tum est, quando movere et moveri intelliguntur de eodem motu entitativo et formaliter sumpto, qui modo consideratur ex parte principii activi, unde procedit, modo, ut se tenet ex parte subjecti, quod movetur. Quoties vero movere significat imprimere aliquem motum in subjectum, vi cujus subjectum recipiens naturaliter deinceps progredi debeat et excurrere ad ulteriora, vel agere, id nequaquam verum est. Quid enim impedit, quominus Deus, impressione etiam in subjecto recepta, connaturaliter consequentem motum et actionem cohibeat?

Atque historia teste hanc praecipuam causam fuisse existimamus, cur S. Thomam perverse intelligerent illi ceteroquin insignes Theologi.

Quacum cohaeret altera erroris causa, quam licet dicere eandem ad alias voces applicatam. Nimirum ut significationem vocis movendi angustioribus limitibus illi Theologi, saltem inter ipsam argumentationem, saepe comprehendebant, ita voces modificandi, applicandi, instrumenti nimis materialiter intellexerunt, ut id in decursu libri multis persecuti sumus. Neque illi, quam multiplex vis atque significatio inesset in voce determinandi, satis investigarunt. Non attenderunt, licere quidem dici, idque multis modis, nos a Deo determinari in agendo; imo, si hoc placebat, licere dici etiam illud, Deum praedeterminare nos physice ad unum sine detrimento libertatis, dummodo tamen illud unum intelligeretur generatim, non singulatim et simpliciter. Quare falso existimarunt, se pro suis placitis firmamentum et praesidium apud S. Thomam consecutos esse, ubi primum apud ipsum invenerunt hanc doctrinam, Deum hominum voluntates ad unum determinare vel determinasse; oportuerat enim amplius quaerere, qualis illa determinatio, quale illud unum esset.

Etiam aliud quiddam ab illis et eorum asseclis neglectum video, sine quo non facile vera ex libris et scriptis, etiam illustrissimorum hominum, doctrina hauritur. Necesse est, ut *rerum* studium comitetur studium verborum et sententiarum. Si verbis unis inhaeseris, facile male et perverse ea intelliges. Quemadmodum enim rerum penetratio praeclare juvatur scriptis hominum in materia, de qua agitur, peritissimorum, ita vicissim verba sententiaeque a rebus perspectis ingens lumen, praeclaram illustrationem accipiunt. Qui in unum horum ita incumbit, ut negligat alterum, facile decipitur, ut quotidiano usu docti scimus. At apud Neo-Thomistas vereor, ut aequo passu rerum intelligentia comitata sit diligentiam in versando diu noctuque textu S. Thomae summopere laudabilem. Aut si esset ita comi-

tata, quomodo omnino fieri potuisset, ut non viderent Neo-Thomistae suam explicationem illius phrasis adeo apud D. Thomam tritae : « Deus hominis arbitrium ita movet, ut ipsum non ex necessitate ad unum determinet », minime aptam esse, atque adeo contra ipsam naturam et essentiam rerum excogitatam ?

Huic autem rei affinis est nimia celebratio omnipotentiae Dei. Non quod haec ipsa per sese nimium celebrari et efferri possit ; sed nostra rerum intelligentia per continuum recursum ad Dei omnipotentiam parum proficit. Fatemur ex animo omnes, Deum posse sua omnipotentia omnia operari, quaecunque ex nullo capite repugnent. At sitne aliqua repugnantia necne, id ex recursu ad Dei omnipotentiam nihil manifestatur. Itaque affirmare, Deum non solum nos movere ad actionem sed etiam ad actionis modum aut liberum aut necessarium, idque propter infinitam suam potentiam, non est ullo modo declaratio et illustratio hujus dubitationis, *quomodo* libertas nostrae actionis sub divina motione ad actum salva sit, sed est mera rei tanquam certae affirmatio. Debuerunt sane examinare, num studium conjungendi praedeterminationem physicam ad unum particulare cum arbitrii libertate non esset conatus conjungendi contradictoria. Cum iis, quae modo dicta sunt, cohaeret quod parum etiam attenderunt ad gravissimam illam distinctionem voluntatis Dei antecedentis et conditionatae et voluntatis Dei consequentis et absolutae. Nam etsi prior etiam voluntas Dei aliquid operatur, terminum tamen antecedenter intentum ob conditionem non impletam non semper consequitur. Quomodo enim, si secus esset, adeo frequenter in ore haberent illud: « Voluntati Ejus quis resistet » ?

Vereor denique, ne nimium abhorruerint Neo-Thomistae ab altissimis mysteriis divinae scientiae in omni disputatione agnoscendis. Sane facillime percipitur, quomodo, si omnes actiones creaturarum a Deo physice praedeterminantur, Deus omnia et singula praesciat, quomodo etiam de hominis libero, quod asseritur, arbitrio disponat ; quomodo vero ita verum maneat illud scripturae: « Scientia Tua mirabilis facta est ex me, confortata est, et non potero ad eam », quomodo nobis vera maneat in agendo libertas, id minime percipitur.

Nobis autem jucundissime accidit persuasio, S. Thomam, si rei summam spectes, in omnibus nobiscum consentire. Nam S. Thomae quamquam in hujusmodi quaestionibus non est definitiva prorsus nec peremptoria auctoritas, est tamen magnum ejus auctoritas argumentum veritatis.

FINIS

# INDEX RERUM

PROEMIUM . . . . . 1

## SECTIO PRIMA

**DE LAUDIBUS A SUMMIS PONTIFICIBUS CLEMENTE XI, BENEDICTO XIII, CLEMENTE XII, SCHOLAE THOMISTICAE TRIBUTIS** . . . . . 4

## SECTIO SECUNDA

**EXPONITUR STATUS CONTROVERSIAE** . . . . . 15

§ 1. — Praecipuae controversiae inter recentiores Thomistas et Molinistas vigentes circa cooperationem Dei cum homine libere in ordine naturali et supernaturali operante enarrantur et dijudicantur . . . . . 15

*Art. I. — Quaenam Molinistis in doctrina recentiorum Thomistarum difficilia videantur esse, quaeque Thomistae ad ea respondeant.* 15

*Art. II. — Exponitur atque expenditur, quae Thomistae in Molinistarum sententia imprimis reprehendant, quaeque Molinistae ad ea respondeant* . . . . . 27

CAP. I. — Difficultates Thomistarum contra Molinistas. . . . . 27

— II. — De prima difficultate Thomistarum scl. de Deo primo et universali motore . . . . . 30

— III. — De altera difficultate Thomistarum seu de ratione gratiae efficacis et gratiae sufficientis Thomistica. . . . . 37

— IV. — De tertia difficultate Thomistarum, ubi de scientia Dei liberarum

actionum creaturarum et de scientia media disputatur . . . . . 57
CAP. V. — De quarta difficultate Thomistarum seu de praedeterminatione in systemate Molinae proposita . . . . . 67
*Scholion* . . . . . 71

§ 2. — Controversia, de qua nobis agendum est, accuratius circumscribitur et a secundariis quaestionibus expeditur . . . . . 75

*Art. I. — Definitur accuratius, quaenam in praemotionibus et praedeterminationibus physicis recentiorum Thomistarum essentialia sint, quae non sint essentialia* . . . . . 75
*II. — R. Patris Dummermuth summaria doctrina de praedeterminationibus physicis dijudicatur et in multis deficere ostenditur.* 84

§ 3. — Ostenditur 1° liberam creaturae determinationem indigere vera Dei cooperatione, ut locum habere possit, utpote quae determinatio in vera actione creaturae posita sit; 2° exponitur, quomodo simultaneum Dei cum libera creatura concursum secundum Molinistas concipere oporteat; 3° notantur quaedam in doctrina R. Patris Dummermuth circa concursum simultaneum . . . . . 106

*Art. I. — Libera determinatio creaturae est vera ejus actio vel operatio concursu divino indigens.* . . . . . 106
*II. — Quomodo concursum Dei simultaneum concipere oporteat* . . 113
*III. — Dijudicantur ea, quae R. P. Dummermuth circa doctrinam Molinistarum de cooperatione divina cum creatura operante tradit* . . . . . 123

§ 4. — Brevis totius systematis Moliniani de libertate ac gratia conspectus . . . . . 130

## SECTIO TERTIA

**SANCTUS THOMAS PRAEDETERMINATIONEM PHYSICAM LIBERAE VOLUNTATIS PER DEUM DIRECTE ET MANIFESTO NEGAT.** . . . . . **134**

§ 1. — Doctrina, quam S. Thomas de voluntatis determinatione tradit, et modus, quo ab adversariis explicatur generatim, exponuntur . . 134

*Art. I. — Afferuntur directa S. Thomae contra physicam praedeterminationem testimonia.* . . . . . 134

*Art. II. — Quid contra allata testimonia R. P. Dummermuth opponat generatim* . . . . . 139

§ 2. — Quae contra allata testimonia D. Thomae ab adversario opponantur singulatim . . . . . 143

*Art. I. — Exceptiones a R. P. factae contra testimonium ex 2 dist. 25, q. 1., a 1, ad 1* . . . . . 143
*II. — Exceptiones R. P. Dummermuth contra testimonium ex 4, dist. 49, q. 1, a. 3, qstcla 2 ad 1 petitum* . . . . . 147
*III. — Quae contra testimonium ex q. 22 de verit. a. 6 ad 1 a R. P. adversario opposita sunt* . . . . . 148
*IV. — Exceptiones prolatae contra testimonium ex 2, dist. 25, q. 1, a. 1 excitatum* . . . . . 149
*V. — Quaenam R. P. Dummermuth ad testimonium, quod exstat apud D. Thomam 2, dist. 39, q. 1, a. 1, animadverterit* . . 151
*VI. — Quae a R. P. adversario contra testimonium ex qst. 6 « de Malo » articulo unico animadversa sunt* . . . . . 162
*VII. — Directa ex S. Thoma argumenta recapitulantur et concluduntur* . . . . . 165

## SECTIO QUARTA

**SANCTUS THOMAS ALIIS LOCIS PRAEDETERMINATIONES PHYSICAS LIBERAE VOLUNTATIS INDIRECTE QUIDEM, SED NON MINUS CERTO ET MANIFESTO NEGAT.** . . . . . **167**

§ 1. — Discutitur doctrina S. Thomae q. 6 « de Veritate » a. 3. . . . 167

*Art. I. — Praedeterminationes physicas a mente Aquinatis alienas fuisse hoc loco ostenditur* . . . . . 167
*II. — Elementa doctrinae de scientia media ab ipso S. Thoma fuisse praeparata ex eodem loco elucet.* . . . . . 170

§ 2. — Doctrina D. Thomae de scientia, quam Deus habet libere contingentium futurorum, elucidatur . . . . . 181

*Art. I. — Docet D. Thomas, futura contingentia eademque libera carere sufficienti cognoscibilitate atque determinatione, unde a Deo cognosci possint, donec considerentur in facto esse* . . . . . 181
*II. — Secundum S. Thomam a nullo, ne ab ipso quidem Deo, ulla libere futura in ullis eorum causis certo cognosci possunt* . . . 187

*Art. III. — Exceptiones quaedam a R. P. Dummermuth factae refutantur.* 192
*VI. — Expenditur sententia S. Thomae « de Verit. » q. 8, a 12.* . . 196
*V. — Alii quidam loci a R. P. Dummermuth contra doctrinam supra expositam ex operibus S. Thomae excitati expenduntur (cont. Gent. l. 1, cc. 66-68)* . . . . . 204
*V. — Objectio R. Patris ex. l. 3 cont. Gent. c. 56, n. 4 petita expenditur; qua occasione S. Thomae doctrina de Dei causalitate circa malas actiones exponitur, atque praedeterminationibus physicis fatalis esse demonstratur* . . . . . 213
*VI. — De reliquis objectionibus R. Patris contra doctrinam in superioribus propositam.* . . . . . 218

## SECTIO QUINTA

**SANCTUS THOMAS NULLO UNQUAM LOCO PRAEDETERMINATIONEM PHYSICAM LIBERORUM AGENTIUM DOCUIT.** . . . . . 221

§ 1. — De iis locis, qui a Thomistis quasi classici et primi ordinis pro praedeterminationibus physicis laudantur, et potissimum de illo ex quaestione 3 « de Potentia » articulo 7. . . . . 221

*Art. I. — Ipsa verba S. Thomae quaest. 3. de potentia a. 7* . . . . . 221
*II. — Commentatio hujus articuli per R. P. Dummermuth, nostraeque animadversiones* . . . . . 228
*III. — Doctrina Aquinatis 1, q. 105 a. 5. confertur cum quaest. 3 de pot. a. 7.* . . . . . 262

§ 2. — De iis locis, quos Thomistae secundo loco ponunt ad suam persuadendam sententiam . . . . . 266

*Art. I. — Ad articulum primum capitis quarti R. P. Dummermuth excutitur locus ex 1, q. 83 a. 1 ad 2 et 3 et cap. 129 Compendii Theologiae* . . . . . 266
*II. — Ad articulum alterum ejusdem quarti capitis R. P. Dummermuth, ubi de perfecta immutatione voluntatis per Deum facta agitur* (q. 22 de Ver. a. 9) . . . . . 272
*III. — Quae in proximo articulo statuta sunt, ea locis allatis consimilibus amplius confirmantur; atque imprimis ex a. 1, q. 116 1ae partis ostenditur, quomodo secundum D. Thomam dispositiones infallibiles divinae providentiae infallibilitatem suam consequantur ex praevisione conditionata actuum et eventuum liberorum* . . . . . 279
*IV. — Ad tertium articulum ejusdem quarti capitis, ubi examinatur*

*a R. P. Dummermuth q. 3 de Malo a. 3* . . . . . 285
*Art. V. — Ad quartum articulum R. P. Dummermuth ostenditur R. Patrem loco S. Thomae 1, q. 19, a. 3 falsam interpretationem adhibuisse* . . . . . 288
*VI. — Ad articulum quintum R. P. Dummermuth, in quo disceptatur de art. 4 ex 1. 2, q. 10* . . . . . 295
*VII. — Ad articulum sextum R. P. Dummermuth, ubi locus ex l. 3 c. Gentes c. 89 petitus potissimum perpenditur* . . . . . 307
*VIII. — Quae R. P. Dummermuth in doctrina Origenis nominatim reprehendenda videantur* . . . . . 317
*IX. — Ex 1 q. 23 a. 1, quem locum R. P. Dummermuth pro sua sententia laudat, ostenditur veritas doctrinae contrariae* . . . . 323
*X. — Expenduntur ea, quae a R. P. afferuntur ex cpp. 91 et 92 libri 3 cont. Gent.* . . . . . 327
*XI. — De doctrina in cp. 94 libri 3. cont. Gent. contenta* . . . . 335

## SECTIO SEXTA

**QUID VETUS SCHOLA S. THOMAE SENSERIT** . . . . . 344

§ 1. — Theologi S. Thomae contemporanei. . . . . .

*Art. I. — B. Aegidius Romanus Card., S. Thomae discipulus* . . . . 344
*II. — Innocentius V Papa, Petrus de Tarentasia antea dictus, ordinis Praedicatorum* . . . . . 357

§ 2. — Henricus Gorcumiensis, Vicecancellarius. Universitatis. Coloniensis. . . . . 362
§ 3. — Joannes Capreolus O. P. . . . . 367

*Art. I. — Quid posteriores theologi de doctrina Capreoli senserint* . . . 367
*II. — De ipsius Capreoli doctrina* . . . . . 371
*III. — Brevis doctrinae Capreoli recapitulatio* . . . . . 417

§ 4. — Franciscus de Sylvestris O. P. . . . . 419

*Art. I. — Doctrina Ferrariensis exponitur.* . . . . . 419
*II. — Brevis Summa eorum, quae Ferrariensis allatis locis docuit* . 433

§ 5. — Thomas de Vio, Cardinalis Cajetanus O. P. . . . . 434

*Art. I. — Doctrina Cajetani contra praemotiones et praedeterminationes physicas proponitur* . . . . . 434

*Art. II. — Ea, quae ex Cajetano contra nos afferuntur, nihil evincere, ostenditur* . . . . . 446
*III. — Synopsis propositionum, quas Cajetanus placitis Scholae Molinisticae conformes docuit* . . . . . 463

§ 6. — De duobus aliis veteribus Thomistis. . . . . 464

*Art. I. — Conradus Koellin O. P.* . . . . . 464
*II. — Didacus Deza, Archiepiscopus Hispalensis O. P.* . . . . . 465

## SECTIO SEPTIMA

**DE NEO-THOMISMI ORIGINE ATQUE AETATE, DE EJUSQUE CAUSIS .**

§ 1. — De origine ac tempore Neo-Thomismi . . . . . 470

*Art. I. — Franciscus a Victoria O. P.* . . . . . 470
*II. — Dominicus Soto O. P.* . . . . . 479
*III. — Bartholomaeus Medina* . . . . . 485

§ 2. — De Neo-Thomismi causis . . . . . 489

# ERRATA.

p. 6 linea ultima pro « obedient » lege « obedientia ».
p. 10 lin. 2 a parte inferiore pro « sini » lege « minicani ».
p. 22 lin. 10 a parte inferiore pro « actionibus » lege « actio ».
p. 24 lin. 12 a parte superiore ante « recto ordine » inseratur praepositio « a ».
p. 27 lin. 20 a parte inferiore pro « reprehenderant » lege « reprehenderent ».
p. 29 in nota (1) linea ultima omissus est numerus « I ».
p. 33 lin. 5 in nota pro « sole » lege « solet ».
p. 35 nota 1. lin. penultima pro « milius » lege « melius ».
p. 38 lin. ultima deleatur « supe ».
p. 48 lin. 4. a parte superiore pro « tamn hoc postulea- » lege « tamen hoc postula- ».
p. 49 lin. 3. a parte inferiore pro « locmu » lege « locum ».
p. 50 in nota lin. ultima pro « di » lege « diss. ».
P. 58 in nota lin. 12 pro « ei » lege « et ».
p. 59 lin. 6 a parte superiore pro « hae » lege « has ».
p. 60 in nota (1) lin. 4 pro « ib » lege « id ».
p. 61 lin. 4 a parte superiore pro « principii » lege « principiis ».
p. 62 in nota lin. 1. pro « Geilitas » lege « Ceilitas ».
p. 64 lin. 8 a parte inferiore pro « eorum esse » lege « esse eorum ».
p. 68 lin. ultima pro « ualiorm » lege « aliorum ».
p. 108 lin. 14 a parte inferiore pro « lassimilari » lege « assimilari ».
ib. lin. 13 pro « untatem » lege « luntatem».
p. 110 lin. 10 a parte superiore pro « di » lege « id ».
p. 113 lin. 5 » » inferiore pro « amplius » lege « amplus ».
p. 122 lin. 14 » » » pro « Videtis » lege « Videsis ».
p. 133 lin. 6 » » inferiore dele ante « bene agere » illud « et ».
p. 136 lin. 9 » » superiore pro « ibi » lege « sibi ».
p. 136 lin. 11 a parte superiore pro « sione » lege « tione ».
p. 148 lin. 2 » » inferiore pro « dossit » lege « possit ».
p. 151 in nota 1. lin. 2 a parte superiore pro « des » lege « das ».
p. 156 in nota lin. ultima pro « oxplicatum » lege « explicatum ».
p. 162 nota 3. lin. 1. pro « observatur » lege « obversatur ».
p. 177 lin. 18 a parte inferiore pro « De- » lege « Dei ».
p. 184 in nota lin. 12. a parte inferiore pro « suam » lege « suum ».
p. 216 lin. 17. a parte inferiore pro « 18 » lege « Rom. 1. 28 ».
ib. lin. 16 » » » pro « conveniant » lege » conveniunt ».
p. 242 lin. 14 a parte superiore pro « auctoritate » lege « auctoritati ».
p. 276 lin. 22 a parte superiore interserenda vox: « vel contra *ager* Deum ».

p. 283 lin. 14 a parte superiore pro « per quem » lege « per quam».
p. 307 in nota lin. 11 a parte superiore pro « en » lege « ens ».
p. 308 in nota lin. 4 a parte inferiore pro « cengruit » lege « congruit ».
p. 309 lin. 6 in nota a parte inferiore pro « antecedente » lege « antecedenter ».
p. 318 not. 1. lin. 9 a parte superiore pro « efficerint » lege « effecerint ».
p. 335 lin. 4 a parte superiore pro « totalis » lege « tota lis ».
p. 337 not. lin. 1. a parte superiore pro « id eo » lege « in eo ».
p. 354 lin. 13 » » pro « vet » lege ve- ».
p. 365 lin. 18 a parte superiore interserenda ante voces : « ille locus » particula « sicut ».
p. 367 lin. 3 a parte superiore pro « onimbricenses » lege « Conimbricenses ».
p. 385 in nota (1) pro « quod » lege « quo ».
p. 386 lin. 11 a parte superiore pro « interpretaveris » lege « interpretatus sis ».
p. 394 lin. 11 a parte superiore « praerequisitit sempore » lege « praerequisitis tempore ».
p. 403 lin. 11 a parte superiore deleatur Comma inter « modi » et « rationes ».
p. 414 lin. 8. » inferiore pro « volitio nis » lege « volitionis ».
p. 416 nota (1) lin. ultima pro « undatur » lege « fundatur ».
p. 445 lin. 3 a parte superiore pro « infirmorum » lege « infimorum ».
p. 451 lin. 1 » » pro « ei » lege « et ».
p. 484 lin. 16 a parte inferiore pro « ta » lege « ita ».

Minora quaedam benignus lector ipse corriget. In fine enim linearum quandoque una litera intercidit, interdum etiam initio ; saepius typi exciderunt, vel qui exciderant inepte restituebantur; saepe verba separata in unum contrahebantur vel unum idemque verbum inepte in partes discerptum est.

atione Dei cum omni
aesertim libera # 1409

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
10 ELMSLEY PLACE
TORONTO 5, CANADA.

1409.